# ORIGENES DEFENSVS.

# ORIGENES DEFENSVS.

# SIVE

# ORIGENIS

## ADAMANTII PRESB.

## AMATORIS IESV

VITA, VIRTVTES, DOCVMENTA.

ITEM

VERITATIS SVPER EIVS VITA, DOCTRINA, STATV, EXACTA DISQVISITIO.

AVCTORE

R. P. PETRO HALLOIX

LEODIENSI, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

AD

*SANCTISSIMVM D. N. PAPAM*

INNOCENTIVM. X.




LEODII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

HENRICI ET IOANNIS MATTHIÆ HOVIORVM

M. DC. XLVIII.

*Cum priuilegijs Cæsareo, & suæ P. L. ... Leodinis.*

NIHIL INVENTA AC DEFENSA VERITATE DVLCIVS.

*DEFENSVS meus ORIGENES, defensor IESV,*
*Dum prodit, mora magna subit, sed gloria maior:*
*ORIGENI maior, mihi nulla: sed omnis IESV.*
*Hanc in eum ORIGENES reijcit, hanc & EGO.*



*Cernis oliuiferam formoſa in luce Columbam?*
*Naufraga quæ vidit ſæcula, talis erat.*
*Cernis tergeminos florum quoque Lilia reges?*
*Vtraque, fortunæ ſigna fauentis habent.*
*LILIA Regum apices, Pacem deſignat OLIVA,*
*Eſſe procul pugnas blanda COLVMBA iubet.*
*His ergo auſpicijs, orbem Pax alma reuiſet,*
*Feſtáque regales cinget Oliua comas.*
*Hoc age Romuleæ Pater Vrbis, & arbiter Orbis:*
*Implebis numeris ſic bene ſtemma ſuis.*

*C. W. S. I*

# S. D. N.
# INNOCENTIO X.
# PONT. MAX.



*SANCTISSIME PATER*

ECCE ORIGENES, præcipuum quondam Orientalis Eccleſiæ decus, & primâ æuo ſuo virtutis peræquè & eruditionis gloriâ ſublimis, ad TVA nunc ſacra veſtigia ſubmiſſus accedit. Ille ORIGENES, quem ſummi duo viri, propter eius eminentiſſimum ſupra ceteros Eccleſiæ Doctores faſtigium, laude incomparabili, alterum poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum appellauerunt: Hieronymus ſcilicet è Doctoribus Latinis vnus, & impar nulli, & eiuſdem Hieronymi eximius præceptor Didymus, homo cæcus ſimul & videns, ſed magis videns. Quippe cui ab ætate paruula oculis capto magnus Antonius, cùm aliquando eum inuiſeret (quod ſæpius fecit) propter miram ingenij perſpicaciam ineſſe dixit oculos Angelorum: Hieronymus verò propter eius aciem mentis, ſublimiſſima fidei myſteria intimè penetrantis, eum habere oculum ſponſæ de Cantico canticorum prædicauit. Ille igitur à laudatiſſimis viris laudatus ORIGENES, qui etiam (quod omni laude maius eſt) ob defenſum à ſe Dominum IESVM aduerſus Celſum fidei noſtræ irriſorem atque allatratorem philoſophum (cui libris octo longè doctiſſimis os impijſſimum obturauit) & ob incredibilem erga IESVM amorem plurimis in eius libris teſtatiſſimum, meritiſſimo

AMATORIS IESV titulo est decoratus. Ille, ille, inquam, SANCTISSIME PATER, ad TE accedit, non qualis aliquando, tetra calumniarum, ( quibus illum malignus liuor asperserat ) fuligine sordidatus: sed qualem VERITAS ipsa detersis sua luce omnibus maculis, vero illam ac natiuo depinxit colore, candidatus. Qui talis cùm sit, & pristino nitori suo atque innocentiæ multa post tempora plenè restitutus, auet atque anhelat in eius venire conspectum summi Pontificis, qui duo illi amicissima nomina, alterum post alterum diuina sorte suscepit, vnum S. Pamphili, Martyris nobilissimi, quo nullus alius primis illis temporibus pro ORIGENE ADAMANTIO fortiùs atque animosiùs depugnauit: Alterum INNOCENTII Papæ I. eius nominis, qui Theophilum Alexandrinum ORIGENIS simul & S. Ioannis Chrysostomi ( quia hic pro illo stabat) hostem acerbissimum, Apostolica auctoritate confregit.

Talia igitur hodiéque ORIGENES à gente PAMPHILIA, & maximè omnium ab INNOCENTIO X. ( quem honoris & amoris gratiâ nomino ) aduersus sibi aduersantes exspectat, sperat que patrocinia. Solent enim similia à similibus (si quidem Παμφιλίοις) in re non dissimili Παμφιλίως exspectari. Equidem haud absque diuina factum prouidentia arbitror, vt quo tempore vita ORIGENIS ADAMANTII ad vmbilicum à me perducta est, & eius vitæ innocentia doctrinæque integritas ad amussim comprobata, & ab affictis illi erroribus plenissimè vindicata, vt eo, inquam, tempore ex inclyta Pamphiliorum familia, à Deo tanquam Aaron ad Pontificatum vocatere,& INNOCENTII X. nomen, tam fausto omine, quàm perfecto numero diuinitùs sortirere. Quo nimirum sperare nobis liceret, hanc quam duce S. Pamphilo adornauimus ORIGENIS AMATORIS IESV vitam, at-

que

que defensionem, perbenigna fronte, & animo perquam amicabili exceptum iri. Qua in defensione ipsius quoque caussa Chrysostomi quodam necessitatis nexu comprehensa est. Secundùm quem Chrysostomum ORIGENIS patronum INNOCENTIVS I. plus mille ducentis retro annis, aduersario eius condemnato, iudicauit. Et quoniam in hoc quantulocumque opusculo multa VERITAS, quæ perdiu latuit, in lucem producta est, & Deo donante, tanquã meridies publico demonstrata; eccuinam ea aduenire gratior possit, quàm illi, qui proximus Veritati in ipsa considet sede Veritatis? quàm illi, cui ius est proprium de omni, præter vnam (quæ via simul est & vita) iudicare Veritate? Quo fit, vt nullus iã mihi relinquatur ambigẽdi locus, quin TIBI Veritatis iuxtà & Innocentiæ primo Antistiti, hanc vtriusque principalis virtutis defensionem confidenter offerre debeam. Quod nunc proinde TVIS aduolutus sacris vestigijs volens, gaudens facio, gratissimum habiturus, quicquid non modò de ORIGENE, sed de me etiam ipso, vno de pueris tuis minimo, constitueris, feceris, ordinaris. Ita Deum opt. max. obtestor, votisque omnibus exopto, vt TE communem omnium parentem, & suum sub hoc sole vnicum VICARIVM, toti Ecclesiæ, in hoc præsertim turbido rerum statu, maximè necessarium, diutissimè incolumem seruet, dirigat, prosperet.

*SANCTITATIS TVÆ*

Humillimus in Christo seruus

PETRVS HALLOIX
S. I. Presb.

## TOTIUS OPERIS HUIUS MATERIES *ex his præcipuè fontibus deducta est.*

EX ipsiusmet Origenis scriptis.
S. Alexandro Hierosolymorum Episcopo & Martyre.
S. Dionysio Alexandrino Episcopo & Confessore.
S. Gregorio Thaumaturgo Neocæsareæ Episcopo.
S. Pamphilo Martyre.
Eusebio Pamphili Cæsareæ Palæstinæ Episcopo.
S. Athanasio magno Alexandriæ Episcopo.
S. Basilio Cæsareę Cappadociæ Episcopo.
S. Gregorio Nazianzeno Episcopo.
S. Gregorio Nyssæ Episcopo.
S. Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo.
S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo.
S. Ioanne Chrysostomo Constantinopolitano Episcopo.
S. Hieronymo Presbytero.
Ruffino Presbytero.
Palladio Helenopoleos Episcopo.
S. Augustino Hipponensi Episcopo.
S. Sulpicio Seuero.
S. Paullino Nolæ Episcopo.
Beato Theodoreto Cyri Episcopo.
S. Vincentio Lirinensi.
Socrate Historico Ecclesiastico.
Haymone Halberstatensi Episcopo.
Photio Patriarcha Constantinopolitano.
Guilielmo Parisiensi Episcopo.
Nicephoro Callisto Xantopuli.

# VETERVM SCRIPTORVM DE ORIGENE ELOGIA.

## S. Alexandri Hierosolymorum Episcopi & Martyris

*In epistola ad ipsum Origenem.*



ΠΑΤΕΡΑΣ γὰρ ἴσμεν τοὺς μακαρίους ἐκείνους, τοὺς προοδεύσαντας, πρὸς οὓς μετ' ὀλίγον ἐσόμεθα, Πάνταινον τὸν μακάριον ἀληθῶς, καὶ κύριόν μου, καὶ τὸν ἱερὸν Κλήμεντα, κύριόν μου γενόμενον, καὶ ὠφελήσαντά με, καὶ εἴτις ἕτερος τοιοῦτος, δι' ὧν σε ἐγνώρισα τὸν κατὰ πάντα ἄριστον, κύριόν μου, καὶ ἀδελφόν.

*PATRES illos beatos nouimus, qui nos præcesserunt, cum quibus breui post erimus, Pantenum illum verè beatum, & dominum meum, & sanctum Clementem, dominum meum, qui & adiuuit me, & si quis alius talis, per quos in tui notitiam veni per omnia optimi, & domini mei, & fratris.*

## S. Gregorij Thaumaturgi Neocæsareæ Episcopi.

*In oratione Panegyrica ad Origenem.*

Δῶρον μέγιστον οὗτος τοῦτο θεόθεν, ἐχεῖ λαβών, καὶ μοῖραν παγκάλην οὐρανόθεν, ἑρμηνεὺς εἶναι τῶν τοῦ Θεοῦ λόγων πρὸς ἀνθρώπους, καὶ συνιέναι τὰ Θεοῦ, ὡς Θεοῦ λαλοῦντος, καὶ διηγεῖσθαι ἀνθρώποις, ὡς ἀκούσωσιν ἄνθρωποι.

*DOnum hoc maximum [ Origenes ] diuinitus accepit, & hanc præstantissimam è cælo sortem vt diuiniorum eloquiorum interpres hominibus fieret, & Dei verba, quasi Deo loquente, intelligeret, eáque hominibus, ita vt perciperent, enarraret.*

## Eiusdem ab Origene benedictionem in discessu postulantis.

Σὺ δὲ ἀνασὰς ὦ φίλη, κεφαλὴ καὶ εὐξάμενος ἤδη πέμπε ἡμᾶς· σώσας μὲν παρόντας τοῖς ἱεροῖς σου μαθήμασι, σῶσον δὲ ταῖς εὐχαῖς καὶ ἀποδημήσαντας.

*TV verò exsurge, ô carum caput, & bene precatus iam nos dimitte: & qui præsentes sacris tuis disciplinis seruâsti serua etiam precibus à te digressos.*

Illum quippe & fratrem eius Athenodorum ad fidem conuerterat.

## Sancti Pamphili Martyris.

*In Apologetico pro Origene.*

*IN tantum autem progressa est obtrectatorum Origenis audacia, vt quidam aduersus eum scribere ausi sint, & libris editis derogare ei viro, qui per tot annos magister Ecclesiæ fuit, qui in Ecclesia senuit, qui aduersus eas hæreses, quæ illo tempore Ecclesiam impugnabant, ita constanter, ita fortiter dimicauit; vt omnia eorum diabolicæ machinationis fundamenta subuerterit.*

## Eusebij Pamphili Cæsareæ Palæstinæ Episcopi.

*Lib. 6. de præpar. Euangelica, num. X.*

Σὺ δὲ, εἰ μὴ τοῖς κρείττοσι βασκαίνεις, οἶσθά που τὸν ἄνδρα, Χριστοῦ μὲν θιάσοις εἰσέτι δεῦρο χορεύοντα, δι' ὧν ἀπολέλοιπε πόνων, οὐ μὴν οὐδὲ τοῖς ἐκτὸς ἀγνῶτα, δι' ἣν ἐπιδέδεικ-

ται

ται καὶ πρὸς τὰ τῶνδε μαθήματα φιλοτιμίαν. Σκέψε δ᾽ οὖν, ὅσα τε καὶ ὁποῖα ἐν τοῖς εἰς τὴν Γένεσιν ἐξηγητικοῖς, ὁ θαυμάσιος Ὠριγένης περὶ τῆς προκειμένης ὑποθέσεως διείληφε, καὶ ὅπως ἐφώδευσε τὸν περὶ εἱμαρμένης λόγον.

TV. vero, si melioribus non inuides, nôsti virum in Christi cætibus, per eos quos reliquit labores, etiamnum chorum ducentem [.1. præcipuæ auctoritatis ] nec ignotum sanè illum extraneis, propter partam in ipsorum disciplinis gloriam. Attende igitur, quæ & qualia admirandus ille Origenes in suis super Genesi commentarijs, de proposito argumento disceptauerit, & quomodo sermonem De fato persecutus sit. &c.

Nota totum hunc sermonem Origenis De fato sic placuisse SS. Basilio magno, & Gregorio Nazianzeno, vt totum descripserint, atque in suam Origenis Philocaliam retulerint.

## S. Athanasij magni Alexandriæ Episcopi.

*In lib. de Synodi Nicænæ decretis.*

Περὶ δὲ τοῦ ἀϊδίως συνεῖναι τὸν Λόγον τῷ Πατρὶ, καὶ μὴ ἑτέρας οὐσίας, ἢ ὑποστάσεως, ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν εἶναι, ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ Συνόδῳ, ἔξεστω πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι καὶ παρὰ τοῦ φιλοπόνου Ὠριγένους. Ἃ μὲν γὰρ ὡς ζητῶν καὶ γυμνάζων ἔγραψε, ταῦτα μὴ ὡς αὐτοῦ φρονοῦντος δεχέσθω τις, ἀλλὰ τῶν πρὸς ἔριν φιλονικούντων ἐν τῷ ζητεῖν, ἀδεῶς ὁρίζων ἀποφαίνεται. οὕτω δὲ τοῦ φιλοπόνου τὸ φρόνημά ἐστιν.

*VErbum autem ab æterno esse cum Patre, & non alterius essentiæ aut substantiæ, sed ipsum esse proprium Patris, vt in Synodo congregati dixerunt, liceat vobis rursus & à strenuo Origene audire. Quæ enim ipse disputationis & exercitationis gratia conscripsit, hæc non, quasi ita sentiat, accipienda sunt, sed contra cõtentiosius disputantes dum quærit, intrepidè videtur definire. Sed hæc est strenui illius Origenis sententia.* &c. Tum

pro-

profert eius ſententiam pro fide, de Filio Patri coæterno.

## Eiuſdem in illud Euangelij:

*Quicumque dixerit verbum contra filium hominis,* &c.

Παλαιοὶ μὲν οὖν ἄνδρες, Ὠριγένης ὁ πολυμαθὴς καὶ φιλόπονος, καὶ θεόγνωστος ὁ θαυμάσιος καὶ σπουδαῖος. τούτων γὰρ τοῖς συγγράμμασιν ἐνέτυχον. &c.

A*Ntiqui igitur viri, Origenes multæ eruditionis atque diligentiæ, & Theognoſtus ille admirandus & induſtrius, (horum enim ſcripta perlegebam)* &c.

## S. Gregorij Nazianzeni Epiſcopi.

*In epiſtola ad Theodorum Tyaneum.*

Ἵνα δέ τι καὶ ὑπόμνημα παρ᾽ ἡμῶν ἔχῃς, τόδε αὐτὸ καὶ τοῦ ἁγίου Βασιλείου πυκτίον ἀπεστάλκαμέν σοι τῆς Ὠριγένους φιλοκαλίας, ἐκλογὰς ἔχον τῶν χρησίμων τοῖς φιλολόγοις. τοῦτο καὶ δέξασθαι καταξίωσον, καὶ ἀπόδειξιν ἡμῖν δοῦναι τῆς ὠφελείας, καὶ σπουδῇ, καὶ πνεύματι βοηθούμενος.

V*T autem & à nobis aliquod monumentum habeas, hunc tibi libellum, eundémque ſancti Baſilij miſimus, Philocaliam Origenis rerum ſtudioſis vtilium collectanea continentem. Hunc accipias velim, & vtilitatis ex eo percepta argumentum nobis præbeas, & ſtudio, & ſpiritu adiutus.*

## Eiuſdem apud Suidam in Origene.

Ὡς θεολόγος φάσκει Γρηγόριος. Ὠριγένης ἡ πάντων ἡμῶν ἀκόνη.

S*Icut ait Theologus ille Gregorius: Origenes noſtrûm omnium cos.* &c.

Quaſi

Quasi dicat: suo sacrarum litterarum studio nostra omnium studia exacuit.

## S. Gregorij Nysseni Episcopi.

*In encomio S. Gregorij Thaumaturgi.*

Προσφοιτᾷ μετ᾽ ἐκείνου, τῷ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον τῆς τῶν χριστιανῶν φιλοσοφίας καθηγουμένῳ. Ὠριγένης δὲ οὗτος ἦν, οὗ πολὺς ἐπὶ τοῖς συγγράμμασι λόγος.

A*Ccedit vnà cum illo ad eum, qui illo tempore Christianorum Philosophiæ princeps erat. Is autem erat Origenes, cuius propter scripta celebris fama est.* Loquitur de sancto Firmiliano ducente Gregorium Thaumaturgum ad Origenem.

## S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi, admiratoris & interpretis librorum Origenis.

*Ad Psal.* 118. *vers.* 28. *Dormitauit anima mea.*

Qui familiaribus igitur, *inquit,* laborum vtuntur cõpendijs, *Dormitauit,* accipiunt: *sed Origenes, qui multorũ interpretationes diligenti discussit indagine,* stillauit *secutus est.* Hanc quoque lectionem, & non aliam admittunt Hebræa, confessione Iansenij, & Bellarmini Et 70. Interp. habuerunt ἔσταξεν, *stillauit,* pro quo nunc corruptè, ἐνύσταξεν, *dormitauit.* Nam & Hieronymus ἔσταξεν reddidit, *distillauit.*

## S. Theotimi Tomorum in Scythia Episcopi.

*In defensione Origenis contra S. Epiphanium.*

Ἐγὼ, ἔφη, ὦ Ἐπιφάνιε, οὔτε τὸν πάλαι καλῶς κεκοιμημένον καθυβρίζειν αἱροῦμαι, οὔτε βλάσφημον ἐπιχειρεῖν πρᾶγμα τολμῶ, ἐκβάλλων ἃ οἱ πρὸ ἡμῶν οὐκ ἠθέτησαν.

 *Ego*

EGo, inquit, ô *Epiphani neque virum iam olim præclarè mortuum contumelia afficere volo, neque facinus tam blasphemum aggredi audeo, vt eos condemnem libros, quos maiores nostri neutiquam condemnarunt.*

## S. Hieronymi Presbyteri.

*In epistola ad Damasum Papam.*

ORigenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit. Nam decem voluminibus explicitis, quæ ad viginti vsque versuum millia penè perueniunt, primùm septuaginta Interpretes, deinde Aquilam & Symmachum & Theodotionem, & ad extremum quintam editionem, quam in Actio littore inuenisse se scribit, ita magnificè apertéque disseruit, vt inde mihi videatur in eo completum esse, quod dicitur.* Introduxit me Rex in cubiculum suum.

## Eiusdem

*Prologo in Ezechielem:*

M*Agnum est quidem, amice, quod postulas, vt Origenem faciam latinum, & hominem iuxta Didymi Videntis sententiam, alterum post Apostolos Ecclesiarum magistrum, etiam auribus Romanis donem.*

*Et in prologo lib. 2. Super Michaam:*

N*am quod dicunt,* inquit, *Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere veterum scripta: quod illi maledictum vehemens esse existimant, eandem laudem ego maximam duco: cùm illum imitari volo, quem cunctis prudentibus, & vobis placere non dubito.*

*Et in præfatione libri de Nominibus Hebraicis:*

*AC ne fortè consummato ædificio, quasi extrema deesset manus, noui testamenti verba & nomina interpretatus sum, imitari volens ex parte Origenem, quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo, nisi imperitus, negat.*

## Eiusdem S Hieronymi.

*In epistola 89. ad S. Augustinum.*

*QVid igitur? ego stultus aut temerarius, qui id pollicear, quod ille non potuit? minimè. Quin potiùs in eo videor mihi cautior, atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum sentiens, Origenis commentarios secutus sum.*

## Eiusdem.

*In epistola 65. ad Pammachium & Oceanum.*

*QVis nostrûm tanta potest legere, quanta ille conscripsit? quis ardentem in Scripturis animum non miretur? Quòd si quis Iudas zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat liberè:*

*-- -Interdum magnus dormitat Homerus.*

*Verùm opere in longo fas est obrepere somnum.*

*Non imitemur eius vitia, cuius virtutes non possumus sequi. Errauerunt in fide alij tam Græci quàm latini, quorum non necesse est proferre nomina: ne videamur eum non sui merito, sed aliorum errore defendere.*

## Eiusdem S. Hieronymi.

*In Traditionibus Hebraicis.*

*DE Adamantio autem sileo, cuius nomen (si parua licet componere magnis) meo nomine inuidiosius est: qui cùm in homilijs suis, quas ad vulgum loquitur, communem editionem*

*se-*

*sequatur, in tomis, id est, in disputatione maiori, hebraica veritate stipatus, & suorum circumdatus agminibus, interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia. Hoc vnum dico: Vellem cum inuidia nominis eius habere etiam scientiam Scripturarum, flocci pendens imagines vmbrásque laruarum, quarum natura esse dicitur, terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis.*

## Eiusdem denique.

*In libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

ET super Origenis statu. *si quis scire velit, quid actum sit, primum quidem de epistolis eius, quæ post persecutionem ad diuersos missæ sunt; deinde & de sexto Eusebij Cæsariēsis Ecclesiasticæ historiæ libro, & pro eodem Origene in sex voluminibus possit liquidò cognoscere. Hactenus ex Hieronymo.*

Nota porrò ex istis, ad quos idem vir sanctus nos mittit, libris, Origenem Adamantium non modò catholicum & probum, sed insignem quoque fidei Confessorem comprobari, vt eiusdem vitæ decursus etiam ostendet.

## Ruffini Presbyteri.

*In libro de adulteratione librorum Origenis.*

QVid enim ipse, dum esset adhuc in carne viuens, sentiens vidénsque perpessus sit, de librorum suorum vel sermonum corruptionibus, vel adulterinis editionibus, ex ipsius epistola, quam scribit ad quosdam caros suos Alexandriæ, euidenter docetur.

## S. Augustini Hipponensis Episcopi.

*In epistola* 8. *S. Hieronymo. c.* 2.

P*Etimus ergo, & nobiscum petit omnis Africanarum Ecclesiarum studiosa societas, vt interpretandis eorum libris, qui græcè Scripturas nostras quàm optimè tractauerunt, curam atque operam impendere ne graueris. Potes enim efficere, vt nos quoque habeamus tales viros, & vnum potissimum, quem tu talentius in litteris tuis sonas.* [ Origenem scilicet. ]

Innuit ergo sanctus Augustinus, Origenem Scripturas sacras optimè tractasse; & eius præcipuè scripta exposci.

## B. Theodoreti Cyri Episcopi.

*In Epitome Hæreticarum fabularum. lib.* 1. *c.* 6.

Καταγωνίζονται δὲ τούτους Ἀγρίππας ὁ καὶ Κάστωρ ἐπίκλην, καὶ Εἰρηναῖος, καὶ Κλήμης ὁ Στρωματεύς, καὶ Ὠριγένης, τῆς ἀληθείας ὑπερμαχοῦντες.

C*Ontra illos decertant Agrippa, qui & Castor cognominatus est, & Irenæus, & Clemens Stromateus, & Origenes, veritatem propugnantes.*

Nempe contra Basilidem & Isidorum eius filium hæresiarchas.

## S. Sidonij Apollinaris Aruernorum Episcopi.

*Libro* 9. *epist.* 2.

E*Tenim, cùm Hieronymus Interpres, Dialecticus Augustinus, Allegoricus Origenes, grauidas tibi spiritalium sensuum spicas, doctrinæ salubris messe parturiant, num scilicet tibi partibus*

*tibus meis arida ieiunantis linguæ stipula crepitabit? Hoc more tu & olorinis cantibus anseres rauos, & modificatis lusciniarum querelis improborum passerum fringultientes susurros iure sociaueris.*

## S. Vincentij Lirinensis:

*In lib. aduersus hæreses.*

IAm verò, quanta apud omnes Origenis admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulò religiosior ex vltimis mundi partibus aduolauit? Quis Christianorum non vt Prophetam, quis Philosophorum non vt magistrum veneratus est? Quàm autem non solum priuatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reuerendus imperio, declarant historiæ, quæ eum à matre Alexandri Imp. accitum ferunt, cælestis vtique sapientiæ merito, cuius ille gratia & amore flagrabat.

## Pelagij II. Pontificis Rom.

*Epistola 3. ad Eliam Aquilensem, & ad alios Istriæ Episcopos.*

AN non & Gregorius Nyssæ vrbis Episcopus, cùm canticum canticorum exponit, magnis Origenem laudibus præfert? an non & Hieronymus nostræ Ecclesiæ Presbyter, & singularis Hebræi sermonis interpres, tanto erga Origenem fauore intenditur, vt penè discipulus eius esse videatur?

## Haymonis Alberstatensis Episcopi:

*Lib. 6. de Christianarum rerum memoria. cap. 3.*

*Vbi agit de erroribus affictis Origeni.*

EGo sanè, inquit, *de eo salua fide Patrum dixerim, vel quòd hæc omnino non scripserit, sed ab hæreticis ob præclarum nomen eius offuscandum malignè conficta sint, & præscripta, & nomine suo prætitulata: vel, si scripsit, non statuit ex sententia, sed disseruit ex opinione.*

Gui-

## Guilielmi Parisiensis Episcopi.

*In parte prima de Vniuerso cap. 19.*

A*Lium errorem, qui penè similis est huic, incipiam tibi destruere. Et hic est error, qui impositus fuit à quibusdam vni è præcipuis Doctoribus Christianorum, & iste fuit è sapientibus Theologis Græcorum, & vocatus fuit Origenes. Apparebit autem tibi ipsum nullatenus illud ex sententia & assertione dixisse, non solum ex verbis eius,* &c.

## Werneri Rolewink Carthusiani.

*In fasciculo temporum, ad tempora Antonini Caracallæ.*

O*Rigenes doctor egregius, ac sanctitate vitæ incomparabilis, clarissimus habetur in Ecclesia Dei.*

Addam honoris caussa (quem meo quondam in sacris litteris præceptori debeo) vnum è recentioribus, ab eruditione & sanctimonia multis notum.

## Cornelij à Lapide Societatis IESV.

*In priorem Petri epist. cap. 3.*

E*xcelluit hac laude Origenes* [libertatis scilicet atque constantiæ in fidei confessione] *qui rationem fidei, & spei suæ & nostræ, assiduè cunctis reddidit, ideóque indefessè docens, legens, & scribens, fidelium præceptor, infidelium catechista, Martyrum pater exstitit: vt illud Horatij de Græcis iure illi accommodetur:*

Origeni ingenium, Origeni dedit ore rotundo
Pneuma loqui, præter Christum, nullius auaro.

*Hinc cognominatus est Adamantius. Adamas enim indomiti*

*nomen obtinuit : quòd cùm ſit lucidiſſimus, ne chalybis quidem duritiei, nec malleorum ictibus, ignibúſque cedat. Origenis item animus fuit adamantinus, vtpote quem nec vitæ auſteritas, nec perpetui labores, nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec ſuppliciorum timor, nec vlla mortis facies, de ſancto inſtituto vel tantillum dimouere potuit. Phraſis eius viuida, diſtincta, dilucida, ipſa breuitate vitat faſtidium. Amabat, quæ loquebatur : ( & de amatis cum voluptate loquimur ) ideóque cùm de Martyrio agit, ſentias enthuſiaſmum quendam. Quocirca adamatus ille Adamantius multos Epiſcopos, Doctores, & Martyres, quaſi adamantius Chriſto genuit.* Hæc ibi, & alia rurſus alibi de eodem egregia : ſed hæc ſufficiunt.

## TOTIVS OPERIS DISTRIBVTIO.

Complectitur hoc opus de Origene libros IV.

Primùs continet omnem vitæ seriem atque contextum XXIII. constantem capitibus.

Secundus, illustrium quarundam Origenis virtutum in scriptis eius præcipuè emicantium delibationem, in capita V. diuisam.

Tertius, insignia Origenis documenta partim ad Ecclesiæ fidem, partim ad morum honestatem spectantia, capitibus XXIII. comprehensa.

Quartus, Veritatis super vita, doctrina, statu Origenis exactam disquisitionem, in Quæstiones XI. dispertitam.

*Post hæc autem accedunt, instar corollarij, Notationes quædam ad vitæ ipsius, quà illustrationem, quà confirmationem haud parum vtiles.*

Libri igitur primi hæc sunt capita.



CAPVT

---

## LIBER SECVNDVS.

CAPVT V.

*Zelus Origenis in hæreticos, & in quoscumque fidei Christianæ aduersarios.*

## LIBER TERTIVS.

*Documenta continet ad Ecclesiæ fidem, & ad morum honestatem spectantia, è libris Origenis excerpta quorum hæc sunt capita.*

CAPVT I.

*Trinitas sanctissima.*

CAPVT II.

*Incarnationis Mysterium: siue, Filius Dei æternus, in tempore autem animâ & carne vestitus.*

CAPVT III.

*Spiritus sanctus, eiúsque propria in homines operatio.*

CAPVT IV.

*Sacrosancta Eucharistia & verbi diuini comparatio, ac fructus eximij.*

CAPVT V.

*Angeli sancti.*

CAPVT VI.

*Dæmones seu maligni spiritus.*

CAPVT VII.

*De Anima Rationali.*

CAPVT VIII.

*Ecclesia Dei.*

CAPVT IX.

*Ecclesiæ cœtus commendati.*

CAPVT X.

*Ecclesiæ Præsidum Vigilantia & Seueritas, optima Christianæ Religionis custos.*

CAPVT XI.

*Maria Virgo Deipara.*

CAPVT XII.

*Fides virtutum Theologicarum prima ordine & necessitate.*

CAPVT XIII.

*Baptismus & Catechumeni.*

CAPVT XIV.

*Crucis & mortis Christi virtus.*

CAPVT XV

*Scriptura sacra.*

CAPVT XVI.

*Scripturæ sacræ difficultas.*

CAPVT XVII.

*Scripturæ sacræ stilus ab Origene defensus.*

CAPVT XVIII.

*Traditionum Ecclesiasticarum auctoritas.*

CAPVT XIX.

*Liberum Arbitrium defensum.*

CAPVT XX.

*Castimonia Ecclesiæ, eiúsque gradus.*

CAPVT XXI.

*Confessio peccatorum salutaris.*

CAPVT XXII.

*De Purgatorio, siue, De animarum perpurgatione post hanc vitam.*

CAPVT XXIII.

*De hæreticis ab Origene oppugnatis.*

## LIBER QVARTVS.

*Continet Veritatis super Vitâ, Doctrinâ, Statu Origenis Exactam disquisitionem.*

*Procœmium & totius disquisitionis seu apologiæ basis?*

QVÆSTIO I.

*An S. Pamphilus Martyr sit auctor illius Apologiæ pro Origene, quæ S. Pamphili non sine hactenus inscripta est?*

QVÆSTIO II.

*Quinam alij cum Pamphilo & post Pamphilum, fuerint Origenis defensores?*

QVÆSTIO III.

*Quænam aduersus Origenem obiecta sint?*

QVÆSTIO IV.

*Quinam sint errores præcipui, quos Origeni obiecit Hieronymus, & sintne reuera Origenis?*

QVAESTIO V.

*An tenuerit Origenes pœnas damnatorum non fore æternas?*

QVAESTIO VI.

*Quænam aduersus Origenem præcipuè criminatus sit Theophilus Alexandrinus? & quid eis respondeatur?*

QVAESTIO VII.

*Quænam Concilia aduersus Origenem hac in vitâ superstitem facta referantur? & quid illis responderi possit? ac primùm de Concilio Alexandrino sub Antistite eius Vrbis Demetrio?*

QVAESTIO VIII.

*Quænam Concilia particularia post mortem Origenis aduersus eum concitata sint, quáue ex caussa & occasione?*

QVAESTIO IX.

*An post aduentum Theophili Constantinopolitani, aliquid inibi contra Origenem statutum sit?*

QVAESTIO X.

*Quænam Concilia Generalia spatio trecentorum annorum, (qui fluxerunt à morte Origenis vsque ad Iustinianum Imperatorem.) habita fuerint? & quid de Origene senserint?*

QVAESTIO XI.

*De salute & gloria Origenis.*

# ORIGENIS ADAMANTII; PRESB. AMATORIS IESV VITA.

## PRÆFATIO.

Vitam ORIGENIS ADAMANTII multorum à me doctorum Virorum votis expetitam, adeoq; nonnullorum, qui & imperandi ius habebant, hortatibus prouocatam, mandare litteris dum instituo; duobus mihi ad rem tantam adminiculis peropus esse video. Primò quidem ac potissimè DEI OPT. MAX. qui omnium est via, veritas, & vita, iugi auxilio; deinde hominum, qui in scripta hæc nostra inciderint, ac legere dignati fuerint, nō mediocri beneuolentiâ. Nam cùm huius viri caussa, & omnis vitæ doctrinæq; ratio ob varios & maximè differentes hominum affectus, tàm antiquorum, quàm recentium, plurimis fit circumsepta difficultatibus, & ijs quidem, quas viri sancti suis inter se dissidijs plurimum auxerint, ac propè inexplicabiles reddiderint; non est nostrarum virium, neque ingenij, neque item, vt opinor, cuiusquam alterius mortalis industriæ, sed solius Diuinæ opis, ita per hos anfractus incedere, vt à via non aberret; ita res perplexas explicare, vt à veritate non deflectat. Quocirca illam ipsam in primis Diuinam opem (sine qua nihil posse me, quod lectorum meorum saluti conducibile sit, ingenuè profiteor) quantis possum maximis votis mihi adesse exposco; satis certus, illa duce, nec à via me aberraturum, nec à veritate deflexurum. Lectorum nihilominus æquitas ac beneuolen-

*tia vel hoc nomine mihi admodum est necessaria, quod multi, præsumptis iam vel horum vel istorum opinionibus ita sint occupati, vt difficillimum videatur, etiam prælucente veritate, aliorsum, quàm quò antehac inclinauerint, ipsos reuocare. A quibus si hoc vnum impetrauero, vt seclusis tantisper omnibus præiudicijs, ipsam totius vitæ huius seriem ab initio ad extremum vsque patienter velint attendere, tum hoc certè illis polliceri audeo, haud paruam hinc reportaturos tàm Diuinæ laudandæ bonitatis, quàm admirandorum eius occultorum iudiciorum materiam. Quin & illud quoque addam, tantum ipsos ex hac vnâ vitâ, quantum è multis alijs, etiam in quouis genere virtutis ac pietatis, operæ esse facturos. Nihil equidem afferam, quod sedulò non probem; nihil sic probabo, quin matris Ecclesiæ iudicio libenter submittam. Interim amicam veritatem sic amplectar, vt in referendis antiquorum Patrum, quamuis Sanctorum, dictis ac testimonijs, mihi ducturus sim religioni, vel bona præterire quæcunque fuerint; vel mala dissimulare, si quæ memoratu necessaria occurrerint. Nam cùm ipsi sua quæcunque malefacta bono aut laudabili vitæ exitu oblitterarint, haud certè magis fraudi seu ipsis, seu Ecclesiæ esse debent, quàm ipsis Dei Prophetis in veteri lege, sua qualiacumque peccata olim fuerunt; quæ propter insecutam morum correctionem, non minùs ad Dei gloriam nunc faciunt, quàm ad peccatoris, ne penitus desperet, stabiliendam in Domino fiduciam conducunt. Igitur ad vitam perillustribus vtramque in partem exemplis vberem ac fæcundam, ipso ducente Deo, aggrediar.*

VITÆ

# VITÆ ORIGENIS ADAMANTII

## LIBER I.

### CAPVT I.

*ORIGENIS PATRIA, PARENTES, EDVCATIO.*

NATVS est[a] ORIGENES [b] Adamantius Alexandriæ, vrbe totius Ægypti primâ ac nobilissimâ, parentibus Christianis, atque inter Christianos studio pietatis, & ardore fidei longè nominatissimis. [c] Annus Dñi vertebatur circiter 187. olympiade ccxli. imperante Cõmodo Marci Aurelij Antonini filio, præsidente toti Ecclesiæ S. Eleuthero, Alexandrinæ autem Iuliano; dum sedatâ quintæ persecutionis tempestate, Christiana religio dulci iucundæ pacis tranquillitate frueretur. Pater illi fuit Leonides, vir egregiâ eruditione præditus, & familiæ (quam Deus illi copiosam dedit) non tam diuitijs augendæ, aut fluxis honoribus attollendæ, quam ex optimâ Christi disciplinâ regendæ & amplificandæ intentus: septem filios è coniuge vna, cuius ignotum nomen, cum timore Dei (qui vtrûque possidebat) & cum mutuâ charitate (quæ vnum è duobus fecerat) felici sorte suscepit: sed totam ferè omnis sobolis curam & amorem vnus Origenes iam tum puer ad sese attrahebat. Quippe in quo vis ingenij præ cæteris velox atque ignea erat, memoriæ facultas tenax & expedita, impetus sensuũ acres ac viuidi, denique tota mẽtis animique indoles ad bonas artes, & probos mores, si quis excolere amaret, quasi diuinitus facta. Amauit verò pater, & quàm impensè promouit. Nam vt à primis infantiæ annis spem de illo maximam conceperat, perdiligenter cauit, ne quid in eâ ætate addisceret, quod aliquando dediscendum esset: sciens nimirum, quantò pueris sit facilius mala ab initio non discere, quàm illa postquam semel didicerint, serò dediscere. Vt enim in molli cera, figuræ; & in recenti testâ, odores; sic in teneris animis, seu visa, seu audita, facillimè quidem imprimuntur; sed impressa difficillimè oblitterantur. Igitur præter morem plerisque omnibus vsitatum (qui liberos profanis prius litteris imbuendos tradunt, quàm sacris) ipse puerulum antè voluit sacris institui, quàm profanis; quatenus quidem illa ætas capax erat. Nam difficiliores quæstiones, & pueritiæ captum excedentes, non modò ei proponebat nullas, sed etiam, si tales ipse sua sponte filiolus discendi caussa, ex ingenij sagacitate proferret, eum modestiæ commonitum retundebat. Hanc autem inibat eius intra domesticos parietes instituendi rationem. Dabat scilicet ei quotidie certas è libris sacris sententias animo versandas, ac memoriæ commendandas;

*Euseb. l. 6. hist. c. 1*

*Ibid. c. 3.*

*Euseb. l. 6. c. 2.*

*Origenis pueri prima institutio.*

quas itidem quotidie, tanquam diurnum pensum, memoriter sibi recitandas curabat: tum verò, an & illarum sensa perciperet, & quemadmodum, quáue facilitate, & dicendi gratia explicaret, haud paullò studiosius attendebat. Ipse verò puer ingenij sui fretus acumine, & tacitâ laudis gloriolâ (vt in eâ ætate assolet) incitatus, non tantùm non abhorrere ab istis, licet quotidianis exercitijs, sed etiam pulli instar generosi, exultare, ac velut latiorem per scripturas, & varia earum interpretamenta exspatiandi campum appetere. Crescentibus enim simul cum ætate, ingenij iudicijque viribus, quanto plus in illo sacrarum litterarum studio & intelligentiâ promouebat, tanto ardentius atque audentiùs ad alia atque alia perdiscenda properabat. Neque iam satis habebat illarum simplices apertosque sensus animo comprehendere, sed altiùs quoque penetrare, & profundiores diuinorum eloquiorum contemplationes attingere satagebat; ac eò quidem vsque, vt & ipse suo parenti, dum identidem sciscitaretur, quid sibi hæc & illa scripturæ diuinitus inspiratæ sententia indicaret, non parùm in rebus difficilioribus exhiberet negotij. Tum autem pater quidnam? nempe in præsentiâ quidem velut obiurgantis speciem induere, ac ne quid supra ætatem & ingenij captum curiosiùs perquireret, sed planâ & apertâ dictorum intelligentiâ contentus esset, admonere; seorsum tamen secum in sinu mirificè lætari, & ingentes Deo Opt. Max. bonorum omnium auctori gratias agere, quòd talis filij parentem se fecisset; quin & illi non rarò per noctem in lecto recubanti adstitisse fertur, ac remoto stragulo, pectus dormientis, tanquam sacrum quoddam Spiritus sancti receptaculum, religiosè exosculatus esse; nimirum se perbeatum tam felici procreatione filij arbitratus. Postquam igitur bona diuinæ illius doctrinæ principia, tanquam aureas columnas fundando totius eruditionis atque virtutis ædificio posuisse filium animaduertit, tum denique profanis applicare animum disciplinis concessit, seriò antè monitum, has artes sacræ Theologiæ, tanquam artium omnium reginæ, velut famulas ac pedissequas ancillari debere, ac sic eas quidem ad multa, quæ tempus pòst ostenderet, bono vsui fore; non paruo alioquin, si contrà accideret, damno atque exitio futuras. Quæ optimi patris monita perquam altè in animum tunc dimissa, deinceps per omnem vitam studiosè, constanterque seruauit. Itaque ex illo tempore ad politiorem litteraturam, & artes omnes liberales capessendas, adiectâ prompti animi voluntate, per illas quidem inferiores vt minùs difficiles (præsertim tali ingenio) & nonnihil in se habentes voluptatis, Poëticam scilicet, Historicam, Oratoriam, aduigilante semper illo, cuius plurimùm interesat, solliciti patris oculo, satis celeri & inoffenso pede percurrit; Philosophiæ verò, vt principali scientiæ, ac cæterarum directrici, multò plus operæ studijque tribuit; cuius proinde partes omnes tantâ complexus est felicitate, vt & admodum adolescens viros æquaret; & iam vir inter suos æquales longè primus esset. Vsus est autem tàm in

hac,

hac, quàm in sacratiore & Christiana Philosophia præstantissimis illius æui præceptoribus, nempe viris illis beatissimis, Pantæno, inquam, sectæ stoicæ scientissimo; & post illum Clemente Alexandrino Platonicæ; vtroque autem, sed altero post alterum, scholæ Catecheseos à S. Marco Euangelista olim institutæ Præfecto; quorum quidem posteriori (quem & diutius audiuit) successor, vt breui pòst dicetur, fuit. Fertur & Ammonij Saccæ, percelebris Philosophi, fuisse auditor. Nam & Gentiles quoque ex Academia ad illum, quamuis Christianum, concurrebant audiendum. Qui Ammonius, quòd aliquando baiulus fuisset frumentarius, à sacco portando, est *Saccas* cognominatus. Hic igitur, audito nonnunquam Philosopho, philosophiæque laudibus, necnon leuioris eam artem esse oneris, quàm quotidianum sacci sui gestamen, arbitratus, relicto sacco, ad Academiam transijt, atque animum deinceps liberali instruere disciplina, quàm corpus seruili degrauare sarcina, satius duxit. Quare, vt ingeniò erat inculto magis quàm agresti, ita illud sensim excoluit, itáque studijs se immersit, vt improbo labore ac solerti industria vsque eò profecerit, non in Platonica modò, sed etiam in Christiana philosophia, vt inter vtrosque tam Platonicos quàm Christianos, quà docendo, quà scribendò, non exiguum sibi nomen decúsque compararit; interque alios auditores, Origenem quoque, vt dixi, habuerit. Qui Origenes à prima pueritia ad annum ætatis decimum septimum (quo toto tempore pacem Ecclesia tenuit) inter placidissima eruditionis atque virtutis studia vitam innocentissimam ac prorsus Angelicam duxit; nempe parentibus perquam obsequens, domesticis ac familiaribus admodum officiosus, maiorum ac seniorum insigniter reuerens, neque vllius sodalium ob ingenij præstantiam (quod nonnullis interdum vsu venit) despiciens; sed omnibus ex modestia & facilitate morum peræquè carus. Et hæc quidem foris, & in pace emicuerunt. Nam quod intus longè maioris ac robustioris latebat virtutis, vt cognosci foris posset, opus bello ac tempestate fuit: quæ mox insecuta, vtriusque, tàm patris, quàm filij generosos spiritus, & verè heroicam fortitudinem (quam extemplo monstratum imus) prodiderunt.

*Theodoret. l. 6. de Prouidentia.*

*Ammonij Saccæ à sacco ad Philosophiam transitus.*

 CAPVT II.

# CAPVT II.

## *SEVERI IMPERATORIS ACERBA persecutio; & in ea Leonidis, & filij eius Origenis virtutes heroicæ.*

DVM Origenes in vtroque stadio, virtutum iuxtà & optimarum artium, pari felicitate decurrit, & Leonides pater tali lætus sobole inter populares suos eximiè gloriatur; ecce post aliquantam Ecclesiæ tranquillitatem sæua tempestas exoritur, & iucundam serenitatis faciem mirum quantùm interturbat. Auctor sæuæ tempestatis Seuerus Imperator fuit; instigator autem atque impulsor, ipse ex inuidia frendens Diabolus. Ille igitur gente Afer, & ingenij mobilitate supra modum vafer, specie religionis in Deos, veram conatus est in vnum Deum pietatem & religionem extinguere. Decimus erat eius imperij annus, & tertij huius sæculi quartus, hoc est, à Christi natiuitate ducentisimus quartus, cùm moueri cœpta est acerba persecutio, ordine quidem sexta, sed grauitate & diuturnitate, post Neronis & Domitiani monstrosam immanitatem, tertia. Agebat autem tum Origenes annum ætatis suæ decimum-septimum; & in hoc florentis adolescentiæ vigore, mirificos in omni disciplinarum genere profectus faciebat; ex quibus incredibile dictu est, quanto eum pater amore diligeret; quanta ipse vicissim patrem charitate redamaret: ille cùm diues esset ac copiosus, nullam in rem sumptus facere libentiùs, quàm in filij studia & progressus, solebat; hic autem, cùm esset parentum multò obseruantissimus, id vnicè studebat, vt ambobus, ac patri inprimis, quàm maximè in omnibus complaceret. Si qua igitur erat, non dicam Alexandriæ, sed tota in Ægypto, beata familia, quam amor regeret, quam virtus ornaret, quam concordia stabiliret, certè hæc in paucis erat; multò tamen illustriorem, sicut ignis aurum, sic eam reddidit præsentis flamma persecutionis. Cùm enim Læto Alexandriæ, ac totius AEgypti Præfecto mandata Imperatoris rigidiùs exequente, magis ac magis in dies cresceret, ac cuncta deuastaret motæ persecutionis incendium, iamque adeò ex omni AEgypto, & vniuersa Thebaide eximij quique fidei propugnatores Alexandriam (vbi certaminis stadium, ac velut sæuitiæ theatrum ab impio infestatore constitutum erat) confestim adducerentur, illi autem magno animo, atque exporrecta fronte, non tanquam ad supplicia, sed tanquam ad palmas & opima spolia læti alacresque procurrerent, sic intus incitari generosus Origenis animus cœpit, sic amore martyrij æstuare, vt vltrò & periculis sese offerret, & ad certamen promptus paratusque prosiliret. Et sanè parum abfuit, quin

*Persecutio 6.*

*Martyrij ardor in Origene.*

quin penitus animo suo satisfecerit, vitamque in martyrio reliquerit, nisi & satellites præcipuis instare capitibus iussi, adolescentem contempsissent; & eius mater diuina quadam ac cælesti prouidentia (quæ illum maximis posthac rebus, & multarum saluti prouinciarum reseruari incolumem volebat) omni ope obstitisset. Nam primò quidem blandis eum, ac prudentibus aggressa verbis, docuit efferuescentis ætatis subitos ac varios esse motus, quos temerè & inconsultò sequi sæpe damnosum, semper autem sit periculosum: nunc verò, si vnquam aliàs, cùm de vita agatur, seriò ac maturè cogitandum atque expendendum, quid consilij tali in re ac tempore capiendum sit. Neque enim Christum Dominum præcepisse discipulis suis, immo ne suasisse quidē, vt persecutoribus se obijcerent, sed hoc potiùs, vt, cùm vna in ciuitate ipsos persequerentur, fugerent ipsi in aliam; nec illis sui occidendi, quamuis ad necem inferendam paratis, occasionem præberent. Non enim occupanda mortis tempora, sed exspectanda, & diuinæ dispositioni committenda. Nam & Christum ipsum, ducem optimū, ita fecisse, itàque vt faceremus, exemplo præiuisse; qui tantùm abfuit, vt intempestiuè se hostibus obijceret, aut capiendum exhiberet, vt potiùs & clandestinò se subduxerit, & Iudæorum insidias ac lapidationes deuitarit; quia scilicet tempus mortis eius à Patre constitutum nondum aduenisset. Falleris porrò (aiebat) fili mi, multùm falleris, si tempus tuum iam aduenisse existimas. An credis idcircò Deum Opt. Max. istas quibus polles, ingenij memoriæque dotes tibi contulisse, aut tantā in litteris atque in omnigenis artibus te operam ponere voluisse, vt partarum multo labore scientiarū fructu nunquam vterere? vt ad nullius vtilitatē, nec popularium, nec alienorum, dona tibi à Deo data, vel cōmodata potiùs, reputares? vt cum nullis, ne cum fratribus quidem tuis (qui quo te minores sunt, hoc magis tua indigent opera) acquisitam Scripturarum cognitionem communicares? Visne igitur, si quid fortasse patri tuo (quod Deus auertat) à persecutoribus, qui eum perquirunt, funestū acciderit, me insuper & omnes liberos meos, fratres tuos, mœrore ac luctu perdere? Consecutis ad has & ad similes voces vtrimque lachrymis, nonnihil cessit in præsentia victus adolescentis animus. Verùm vbi aliquantò pòst, ipsum patrē suum à Præfecti satellitibus cōprehensum, atque in carcerem, fidei caussâ, coniectum intellexit, tum verò noui in eo motus exsurgere, tum ignis semi tantùm sopitus, non exstinctus, redaccēdi; tum patri omnino, & in carcere, & in tormentis velle coniungi; tum totus in solius martyrij cogitatione esse, nihil audire lubentiùs, de nulla re loqui ardentiùs, quàm de gloria Martyrū, quàm de palma Martyrij; denique certū sibi esse, ad patrem proficisci, & cum illo vnà occūbere. Pluris enim sibi patris exemplum atque robur, quàm matris preces ac lachrymas fore. At verò mater, Dei suffulta ope, & boni instinctu Angeli edocta, contra istos filij ausus sibi etiam aliquid audendum esse arbitrata, cùm includere illum pro affectu materno, durius esse iudicaret; saltem illi dormienti vestes omnes

*Matris Origenis prudentia in cohibēdo filij impetu.*

(sine

*Aufert illi dormienti vestes.* (sine quibus eum prodire in publicum verecundia prohiberet) auferre per cæcam noctē constituit; atque vbi eas reperturus non esset, in secretioribus ædium penetralibus abscondere. Ita igitur cùm fecisset, filium necessariò magis quàm precariò domi retinuit. Hic verò vim maternam teneritus nec vlteriùs contrà tendere ausus (ne & illam, & patrem, & Deum ipsum fortè offenderet) tantisper cessit; viuente interim flamma, & vsque ad intimas medullas penetrante, nec quietem vllam indulgente, donec hoc tandem accepit consilij, vt cum aliud non posset, saltem litteras ad patrem sui testes amoris & voluntatis conscriberet. Verebatur scilicet pius adolescens, ne paternus in ipsum & fratres suos affectus (quem in se quidem esse permagnum non semel iam senserat) fidei rigorem aliquatenus emolliret, atque à principalis illius palmæ obtentu nonnihil retardaret. Scripto igitur ad *Origenis ad patrem epistolium.* eum epistolio hortatus est nihil vt de sua obeundi pro fide martyrij sententia, vel vxoris, vel sui, vel aliorum liberorum respectu demutaret; sicque genitorem suum natus, tametsi optimè animatum, in incepto confirmauit, & currentem, vt dicitur, incitauit. Adeò iam tum in arte sancti amoris versatus puer erat; adeóque in illo, atque etiam in patre, Dei sapientia ordinauerat charitatem; multùm vt ille quidem amaret patrem, sed secundùm Deum; impensè & hic diligeret filium, sed infra Deum; quod vtrumque confestim planius fiet.

# CAPVT III.

## *S. LEONIDIS MARTYRIVM, ET ORIGENIS eius filij omnibus exuti fortunis magnanimitas; & Dei erga illum mira prouidentia.*

PLVRIMIS quidem, in illo acerbissimæ persecutionis æstu, tàm viris, quàm feminis, aliqua præsertim nominis aut dignitatis claritate fulgentibus, grauia fuere pro fidei negotio Alexandriæ certamina; sed nulli fortè tam varium ac multiplex, quàm vni Leonidi, viro sanè multis nominibus in ea vrbe clarissimo, eaque re hostium inuidiæ, & auaritiæ, & sæuitiæ, præ multis obnoxio. Nam toti familiæ in sanctissima Christi disciplina fundatæ, ac velut in exemplum omnis probitatis à Deo ipso compositæ, non poterat ille generis humani iuratus hostis non summopere inuidere; inuidendo autem non omnes suas ad eam funditus perdendam copias obarmare, sed multo minùs sibi temperare; quin & hinc Imperatorem in auaritiam, ad fortunas eius inuadendas, & fisco applicandas; & inde satellites, atque carnifices (qui & feritate pasci, & alienis semper inhiare spolijs solent) in sæuitiam, ad immania in hominem innoxium expromenda tormenta excitaret atque incenderet. Si quid tamen grauem eius animo inferre dolorem

rem aut cruciatum potuit; crediderim equidem, non tam squalorem ac pædorem carceris, non tam equuleum & fidiculas, non tam aliâ quælibet tormenta, quamuis immania & effera, id potuisse, quàm obuersantes diu noctuque eius animo domesticas caritates, & tam florentis antehac familiæ multò miserrimam modò orbitatē, & ex acerbissima fortunarum omnium direptione, extremam viduæ coniugis & tot liberorum in tam pusillâ ætate egestatem ac penuriam. Qui enim è septem filijs natu erat maximus Origenes, in mediâ tantùm erat adolescentiâ; reliqui ferè omnes imbellem vel pueritiæ vel infantiæ ætatē non excesserant. Quin & ipse vnus Origenes (cuius tot tantasque spes moriturus pater relinquebat incertas) cura illi erat & anxietas fortè omniū, quas adhuc senserat, longè atrocissima. Quam tamen ipsam non mediocri ex parte leuauerūt eæ litteræ, quas ab eodem carissimo filio recepit in carcere. Dabant enim excelsi eius animi, & præsentis in Deū fiduciæ perexcellens testimonium. Quo confirmatus solatio Leonides, depositâ deinceps rerum omnium terrenarū curâ, totam constituit ad cælum mentem conuertere, & pulchrum domesticis ac popularibus suis in morte pro Christo fortiter tolerandâ exemplum fortitudinis relinquere. Igitur fidei constantiam nullis infringendam tormentis, nullis debilitandam promissis palàm confessus, lubens, volens, lethali gladio ceruicem subiecit, & insignem nunquam interituræ gloriæ palmā, ad decimum Kalendas Maij (quo die natalis eius in sacris fastis adscriptus est) anno Seueri imperantis decimo suscepit. Ecce igitur paruulū Origenem anno ætatis suę decimo septimo orbum patre; ecce vnâ cum sex iunioribus fratribus; & viduâ matre quàm afflictissimâ, & vindicatis fisco cunctis facultatibus, in summâ rerum omnium paupertate derelictum. Tibi, tibi IESV-CHRISTE, *tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adiutor.* Et sanè fuisti, ac mirabiliter quidem. Nam, qui olim coruis rapacibus imperasti, vt Eliam Prophetam *in torrente Carith, qui est contra Iordanem*, pascerent, idem Antiochię mulieri hæreticæ præcepisti, vt adolescentem Catholicum domo suâ exciperet, exceptum benignè aleret, & cunctis rebus necessarijs adiuuaret. Erat ea femina inter Alexandrinas locuples inprimis & copiosa, laxéque habitans, tum alijs quoque rebus (exceptâ fidei ignorantiâ) perillustris; & quod haud parum demirere, illa ipsa (quasi facere vellet, vt apud se habitaret lupus cum agno) hominem vnum in ijsdem suis ædibus habebat, Paullum nomine, genere Antiochenum, & grassantis cuiusdam inibi hæreseos ducem inter suos celeberrimum, quem propter doctrinæ morumque præstantiam, ipsa sibi filium adoptarat. In eodem igitur cum illo versans contubernio, sed ex necessitate, Origenes, iam tum occæpit egregia suæ rectę fidei edere documenta. Nam cùm ad istum hominem audiendum propter singularem dicendi vim ac facultatem, innumera mortalium multitudo, non hæreticorum dumtaxat, sed etiam fidelium confluerет, induci Origenes nunquam potuit, vt vel auditum iret vel, ijsdem

*Leonidis Martyriū & dies natalis.*

*Psal. 9.*

*Lib. 3. Regum cap. 17.*

cum

cum illo vnà præcibus intereſſet: quippe qui & Eccleſiæ regulam à teneris, quod aiunt, vnguiculis obſeruaret, & doctrinas hæreticorum (vt ipſemet quodam in ſermone profeſſus eſt) impensè execraretur. Cæterùm in alijs rebus ita cum illis, tametſi diuerſa ſectantibus, ſe gerebat, ita prudenter ac moderatè ſuas agebat partes, vt ipſis, & alijs omnibus domeſticis carus eſſet. Cùm autem, patre ſuperſtite, non pœnitendam humanioribus litteris, & ſtudio eloquentiæ nauauiſſet operam, tum verò ab eius obitu, & in hoc velut ſeceſſu, longè diligentiùs atque impenſiùs in eaſdem Græcorum ſeu Gentilium artes ac diſciplinas cœpit incumbere. Nimirum ad veram & minimè fictam AEgypti ſpoliationem, atque ad opportuna Eccleſiæ arma aduerſus contrarias poteſtates ſuppeditanda, illam ſuam peracutæ mentis aciem longè protendebat. Igitur breui ſpatio adauctâ non mediocriter in hiſce diſciplinis dicendi diſſerendique facultate, ludum litterarium aperire ſtatuit, & Grammaticæ magiſterium profiteri. Quod inſigni gratiâ, nec minore induſtriâ & ſedulitate cùm præſtaret, cœpit in dies auditorum numerus, præſertim noui magiſtri nomen differente famâ, vſque eò increſcere, vt res illi familiaris pro illa ætate, ſeu ad vitam honeſtè degendam, ſeu ad bibliothecam (vt librorum erat ſtudioſiſſimus) vel conficiendam, vel amplificandam abundè ſuppeteret. Neque verò dum in his verſaretur artium liberalium, & tam noſtris, quàm à fide extraneis communium ſcientiarum ſtudijs, neque tum, inquam, ita ſe illis obrui paſſus eſt, vt vel pietatis conſueta ſibi à puero exercitia negligeret, vel commendandæ identidem (dum res vel tempus ferret) religionis noſtræ inſitas animo cogitationes dimitteret. Iam enim ex illo in diſcipulorum ſuorum animos per varias occaſiones ea iecit ſemina, quæ poſtmodò in arbores ingentes, & inſignia cæli plantaria (vt proximè demonſtrabitur) feliciter excreuerunt. Nam bona pars eorum, qui Alexandriæ poſt illum primum turbinem (quo eius pater Leonides cum alijs non paucis ſublatus eſt) ſuperfuerunt, & qui exæſtuante altiùs tempeſtate, miris procellis agitati, portum denique Martyrij tenuerunt, ij ferè omnes, ſalutem ſuam & coronam vni poſt Deum acceptam Origeni referunt. Age, id oſtendamus.

*Adoritur docere Grammaticam.*

## CAPVT IIII.

### *ORIGENIS, PER TEMPVS PERSEcutionis, egregij pro Eccleſiâ labores, & pericula.*

CVm in tradendis Grãmaticæ ſeu primis liberalium artium diſciplinis non integrũ Origenes expleſſet annũ, tãtus ſubito ad eum concurſus hominum fieri cœptus eſt, non eorum modò qui iſtis diſciplinis erudiri vellent, ſed illorum quoque, qui aut fidei rudi-

mentis

mentis imbui, aut vitæ perfectioris instrui documentis percuperent; vt necesse habuerit suum ita tempus dispertiri, vt nec istos negligeret, & his abundè satisfaceret. Nam rari tum erant Alexandriæ sacræ doctrinæ professores, nempe alijs metu persecutionis foras egressis, alijs intra occultiores suorum penatium latebras absconditis. Ita duplicatus Origenis labor fuit, cui par ferendo fortassis non fuisset nisi certa iam prouenturi fructus germina animassent, & laboris magnitudinem gratiæ copia peræquasset. Ratus igitur se omnia posse in eo, qui confortabat, etiam ad fortiora manus misit. His enim non contentus quotidianis erga fratres exercitijs, alia in semetipsum aggressus est haud paullo difficiliora; intestinum scilicet, aduersus carnem spiritui repugnantem, bellum, & continuam cupiditatum, adhibito voluntariæ paupertatis, ac propè extremæ nuditatis fræno, repressionem: veritus nimirum, ne qui alijs viam ad excelsa virtutum, & ad martyrij palmas commonstrabat, ipse non satis sibi prouidendo, nec gressus suos per arctas vitæ semitas attentè & circumspectè dirigendo, de via recta exorbitaret. Quare rationem vitæ inijt sanè austeram, atque ipsis quoque rigidioribus Philosophis admirabilem. Nam quòd sui iuris iam esset, nec iuuenilis feruoris vllum haberet moderatorem, ad summa quæque rapiente impetu ferebatur; & quæ á Domino dicta discipulis circa perfectam viuendi normam in Euangelio lectitabat, hæc perinde atque sibi dicta, & perquam strictè obseruanda iudicabat. Igitur propter illa Christi verba, quibus (vt est in Matthæi & Lucæ Euangelijs) monentur Apostoli nec duas gestare tunicas, nec vti calceamentis, nec solliciti esse in crastinum; ipse quàm simplissimo amictu, & qui vix à frigore defenderet, vti cœpit, & annos complures nudis incessit pedibus, & præter frequentia ieiunia, & crebras vigilias, non solum vini vsu, sed aliorum quoque licet vtilium, tamen quia non necessariorum, esu tamdiu abstinuit, donec stomachi non modò debilitandi, sed etiam corrumpendi, præsens adijt periculum. Adde quòd grauibus diurnis laboribus, & magnæ corporis animæque fatigationi nec dulces somnos submitteret, nec integram noctis quietem indulgeret: quippe solitus propter frangendas corporis cupiditates, non in lecto, sed humi cubitare; nec multam noctem sopori, sed leui somno horas pauculas admetiri; Nam meliorem noctis partem Diuinarum meditatio litterarum sibi vindicabat. Paupertatis verò, vsque ad amicorum stuporem, & quorundam ferè impatiētiam (quòd vltro oblatas pro tantis suis in sacrâ doctrinâ laboribus facultates non admitteret) præcipuè amans, atque in omni vita retinens fuit. Sed hoc tandē (quò à nimia de necessarijs ad vitā sollicitudine liber esset, & sartam tectam simul paupertatē, amicam suam, conseruaret; hoc, inquam, secū inijt consilij, vt scilicet è libris (quos multos habebat egregiè perque elegāter conscriptos) aliqua ex parte diuēditis pecuniā conflaret, sibi dietim ab eorundem librorum emptore ita dispertiendam, vt quaternos

*Vita Origenis austeritas.*

*Matt. 10. v. 9. Luca 10. v. 4.*

*Humicubatio.*

*Paupertatis amor.*

nos quotidie obolos ipse ab illo velut per modum census, non annui, sed dialis, reciperet. Hi verò pauculi nummi ad pauperem & frugi vitam satis illi erant, neque suam sanè quamuis tenuem mensam cum omnibus Crœsi aut Midæ diuitijs commutasset. Hoc porrò vitæ institutum prorsus Philosophicum, & maximè Christianum à decimo octauo ætatis suæ anno inchoatum (quo & Catecheseos & simul Grammaticæ curam suscepit) annos deinceps permultos tenuit. Distinguenda enim sunt magisterij eius tria tempora; vnum, quo in solis Grammaticæ studijs operam posuit; alterum, quo Catecheseos, seu sacræ doctrinæ munus vnà coniunxit; tertium, quo dimissâ Grammaticæ curâ, solius Catecheseos scholam retinuit. In illo igitur secundo tempore, permulti Gentilium (quos prius in Grammaticis erudiuerat, sibique multâ benignitate deuinxerat) illiùs magno amore capti, etiam in Catecheseos scholam, eum secuti sunt, vbi doctrinæ Christianæ nouitatem simul & altitudinem plurimum demirati, ad eam mirifice affici cœperunt, & magistrum suum magis magisque reuereri, diligere, consectari, præsertim inspecto vitæ illiùs, quam proximè descripsimus, rigido instituto; quod aliud nihil erat, quàm viuum quoddam prædicatæ à se doctrinæ exemplar ac simulachrum. Quo fiebat, vt animaduerso morum eius cum oratione pulcherimo consensu, aut potius (vt sic dixerim) per quam iucundo ac delectabili concentu, non possent ipsi, quocunque is traheret, non sequi. Sic ergo ad fidem, sic ad lauacrum, sic & ad martyrium, hac ipsa in persecutione plurimos pertraxit, non plebeios modò, sed genere etiam & eruditione præstantes atque in Philosophiâ conspicuos. Ecquos autem? Ponam in medio dumtaxat præcipuos. Primus igitur ex eius in primâ Catechesi discipulis memoratur fuisse Plutarchus, homo cordatus, & ex eâ quâ florebat insigni eruditione atque virtute, ciuibus suis admodum carus: huic Origenes primum fidei saporem, dum Gentilis esset, instillauit: huic vitæ Christianæ præcepta tradidit: hunc martyrij desiderio incendit; huic certamen ingredienti adfuit, pugnanti succurrit, denique velut manu sua triumphalem coronam capiti eius imposuit. Vnde & parum absuit, quin ab eiusdem Plutarchi ciuibus, dum ipsi in extremo vitæ actu præstò esset, è medio tolleretur; siquidem omnes eius mortis causam in illum conferebant, sed eadem diuina prouidentia, quæ & aliás ipsum seruauerat, etiamnum conseruauit. Longè enim pluribus, quám antehac, erat in posterum profuturus. Frater Plutarchi germanus fuit Heraclas, insigni vir doctrinâ, & Origenis quidem in Philosophiæ studio haud ita pridem condiscipulus, & quinquennio ante ipsum in eo studio versatus, sed tamen paullò pòst eiusdem Origenis in Catechesi secundus auditor, & vitæ imitator, deinde & in docendo adiutor, postremòque Alexandriæ Episcopus exstitit, de quo (ne ordinem Martyrum interrumpam) nihil plus in præsenti, quandoquidem non Martyr fuerit, sed

*Origenis discipuli quàm egregij martyres.*

*1. Plutarchus.*

Con-

Confessor tantùm. Secundus ergo Martyr è discipulis Origenis fuit S. Serenus, ille insignis Christi athleta; qui fidei suæ sinceritatem, quam ab Origene magistro didicerat, ignis incendio, perinde atque aurum solet, dedit explorandam. Tertius Heraclides, etiam tum in numero discentium versans, qui & ante Baptismum ferro collum submisit, & cælum rapuit. Quartus Heron, qui nuperrimè ab eadem schola in salutare fidei lauacrum descenderat, vt ab aquis, quæ sub cælo sunt, purior ad aquas supramundanas euolaret. Hic quoque, vti prior, victoriæ securus, securi ceruicem subiecit. Quintus ex eodem sanctitatis ludo, alius à priore Serenus emicuit, pietatis athleta egregius, cui post plurima & acerbissima tormẽta inuicto demum caput resectum est, & cæli valuæ lato aditu reseratæ. Sextum locum femina quædam sibi vindicauit Rhais nomine, tametsi lymphâ piaculari nõdum abluta, sed à magistro, quæ fidei sunt satis edocta, plus quoque ignem in hoc articulo, quàm aquas posse agnouit; per quem ignem ad vitę gaudia penetrauit. Septimum Potamiæna virgo obtinuit, de qua mox erit sermo. Octauus locus Basilidi, persecutionis huius satelliti, & Martyrum ad lupanaria ductori (ô miraculum!) debetur. Res ita accidit: Virgo quædam Alexandriæ erat, Potamiæna nomine, cùm eximiâ vegeti corporis forma excellens, tum longè præstantiori internæ mentis pulchritudine foras emicante, prorsus admirabilis. Hæc innumeros pro tuenda corporis pudicitia & virginitate, quâ singulariter eminebat, conflictus amatorum sustinuerat: hæc pro adstruẽda in Christum germana fide, quàm plurimos tormentorũ cruciatus generosè exantlârat; ergo illis inuictam, interminatur Aquila (is erat persecutionis & iudicij Præses) post inflictas toto corpore immanes plagas, traditurum se illã ad corporis cõtumeliam hominibus lasciuis, & castimoniæ corruptoribus, nisi si animum inducat resipiscere. Tum illa, fixis humi oculis, velut deliberabunda, paullisper constitit. Hic autẽ. *Age* inquit *expedi, ecquid sentis*? Cùmque illa sic respondisset, vt eius verba impietatem aduersus Deos sonare ipsi viderentur; euestigiò lethalem in eam profert sententiam, atque ad mortem duci iubet. Mox ergo Basilides manu prehensam abducit quidem versus supplicij locum, sed in via, dum turbas aduertit in illam proteruiùs insultantes, atque impudicis ac salacibus verbis insolentiùs lacessentes; ipse pio erga ipsam affectu commoueri, & istos contumeliosos summouere ac propulsare, & plurimam denique commiserationem & humanitatem in eam commonstrare; Quam eius sympathiam, & tali in tempore peropportunam benignitatem magni æstimans Potamiæna, hominem complectitur, & bono esse animo hortatur; se enim, cùm è vita abierit, postulaturam sibi eum à Domino dari, neque diu pòst ipsius quoque erga se benefacta remuneraturam. Atque sic omnino factum est, *& non cecidit* (vt scriptura loquitur) *ex omnibus verbis eius in terram.* Postulauit enim sibi à Domino, & obtinuit; & citò remunerata est, vt mox videbitur. Nam & martyrij eius certamen tali certè dignum concessione

[Margin notes: *2. Serenus.* — *3. Heraclides.* — *4. Heron.* — *5. Serenus alter.* — *6. Rhais catechumena.* — *7. Potamiæna.* — *8. Basilides.* — *Potamiænæ Virginis martyrium.* — *Basilidis satellitis conuersio, & martyrium.* — *1. Reg. 3. v. 19.*]

muneris fuit. Quippe ad locum supplicij vt peruentum est, stetit illa virgo pro Christi fide intrepida, & plusquam virili animo tormentum vel ipso auditu horridum pertulit: nempe feruentem picem ab imis pedibus ad capitis vsque verticem per cuncta membra sensim ac pedetentim circumfusam, donec perustulato immaniter corpore, inuictum ad se spiritum Deus euocauit. Cum ea simul eius mater Marcella igni consumpta est & coronata. Ecce autem inde non plus triduo adest per noctem Basilidi Potamiæna, capiti eius coronam imponit, & gratiam ei poposcisse à Domino, & impetrasse renuntiat; proinde se paret; breui enim & ipsum ad gloriam assumptum iri. Ipse igitur nequaquam tanto in negotio negligenter agere, sed Christianis se miscere, fidei mysteria condiscere, vitam illorum moresque perscrutari; denique quod didicisset, verbo factoque in tempore ostendere. Nam paucis diebus à martyrio Potamiænæ, exigētibus ab eo sociis satellitibus solitū certa in re per Deos iusiurandum: *Non iuro*, inquit, *deinceps; nec Deos colo*. Hem inquiunt illi, *non iuras deinceps, nec Deos colis? Desine iocari; nos seriò agimus*. *Et ego*, inquit ille, *magis seriò; iurare enim mihi non licet. Sum etenim Christianus*. Eho, Christianus! *Enimuero, & bona fide sum; neque id propalam pudebit pigebitq́, profiteri; sum Christianus.* Agè, inquiunt, *id modo videbitur: tibi enim nobiscum ad iudicem veniendum est. Eamus*, inquit, *non differo.* Quid multa? Iuit, interrogatus est, respondit, in carcerē coniectus est. Ea de re disperso sermone, illum Catholici fratres adiere, & tam subitaneæ mutationis caussam quæsiuere. Quâ ex ordine denarratâ, salutaribus eum aquis abluerunt. Persecutores autem posterâ die securi percussum cælo consectarunt. Atque vt intelligatur, quantæ sint apud Deum potestatis, Martyrum preces, non illi soli beata Potamiæna per visum è cælo adfuit, & profuit, sed multis itidem alijs, quos per quietem affari dignata, ad verbum Dei audiendum, & ad fidem amplectendam concitauit; quorum frequenti ad ecclesiam accessu, haud paruum Religio incrementum accepit. Harum porrò visionum haud ignarus Origenes, (quippe qui omnibus ferè martyrijs non intererat modò ea tempestate, sed quasi præerat; & istarum nouellarum plantarum præcipuus erat irrigator) ipse, inquam, Origenes, eorum, quæ circa Basilidem, persecutionis satellitem, & martyrum carnificem, ac postea Martyrem, & quæ circa complures alios etiam diuinitus contigerant, probè conscius, non dubitauit in suo contra Celsum Philosophum, nostræ fidei acerrimum impugnatorem, opere elaboratissimo mentionem inducere, dum ita scripsit: *Tametsi Celsus*, inquit, *aut introductus ab illo Iudæus, ea, quæ dicturus sum, irrisurus sit; dicam tamen, multos penè inuitos ad fidem Christianam, Spiritu mentes eorum subitò demutante, sic fuisse attractos, vt pro doctrina ad id temporis valde exosa, iam post obiectas sibi, seu vigilantibus, seu dormientibus visiones, mortem oppetere non cunctarentur. Talia enim multa vidimus; ac si illa quidem, quæ in præsentia nostra dumtaxat*

*Potamiænæ Martyris apparitiones.*

*Orig. l. 1. contra Celsum.*

*Visiones sacræ.*

*taxat gesta sunt, memorare vellemus, cachinnum, opinor, infideles tollerent, rati nos quoque, de quibus mala suspicantur, sicut ipsos, fingere. Verùm testis est conscientiæ meæ Deus, non falsis me narratiunculis, sed veris exemplis conari doctrinam* IESV *hominibus commendare.* Ita Origenes, vnicus ferè illo tempore magister, hortator, incensor Martyrum. Dictu enim incredibile est, quantam erga omnes, tàm ignotos, quàm notos, tàm in carcere, quàm extra carcerem, beneuolentiam atque humanitatem exprompserit. Neque enim solummodò dum in vinculis essent, ac de fide examinarentur, ipsis vsque ad vltimam feralis sententiæ pronuntiationem præstò adfuit, sed etiam eductis, atque ad mortem proficiscentibus comitem se applicuit, & generosâ loquendi & agendi libertate, positis licet ob oculos præsentibus periculis, volens libens obiecit. Nam & turbarum cuneos interdum perrumpebat, & factâ sibi viâ in martyrum colla inuolabat, & strictè amplexos, liberóque sanctæ charitatis osculo impertitos inuitus dimittebat. Quod cùm crebrò faceret, nihil propiùs abfuit, quàm vt à circumstante Gentilium turba à furentibus furijs agitata, lapidibus obrueretur: sed Diuina protegente dextera præter omnium opinionem fugâ dilapsus euasit. Verùm neque tanto periculo inhiberi potuit eius ardens in fratres charitas, & in verbo Dei prędicando inclita libertas, quin se iterum atque iterum ac multò sæpissimè se in publicum daret, martyres quæreret, verba ad eos faceret, armis Deo potentibus communiret; cùm & toties præstantissimum Diuinæ manus auxilium experiretur, quoties varijs inimicorum appetitus insidijs (hoc autem percrebrò accidebat) sese humanitus expedire non posset. Denique tanta infideles aduersus eum, propter ingentem illorum multitudinem, quos labore suo atque industriâ à Deorum cultu ad Christi Religionem ac cælestem doctrinam deduxerat, incessit iracundia atque indignatio; vt ipsi, conspiratione facta, nonnullos milites circa domum, in qua degebat, in insidijs ad eum comprehendendum collocarint; ipse autem, Domini inspiratione, & fratrum hortatu, migrare identidem è loco in locum, & propter persequentium & inuestigantium, quasi canum venaticorum, sagacitatem, nulla in domo cōquiescere, atque adeò tanta in vrbe, quanta est Alexandria, totius AEgypti caput, nusquam denium tutus esse. Quonam igitur se receperit, & quibus vitam suam latebris incolumem deinceps conseruarit, subest explicandum.

*Amor Origenis ergà Martyres.*

*Domus Origenis circumsedetur à Gentilibus.*

 CAPVT V.

# CAPVT V.

## *ORIGENIS A PERSECVTORIBVS ad necem perquisiti fuga, latebra, studia.*

POSTQVAM aduertit Origenes præcipuam huius tempestatis procellam in caput suum incumbere, ac se potissimùm ab omnibus, ac nominatim à Gentilibus peti, à satellitibus quæri, nec iam ferè, tametsi creberrima locorum mutatione, vllum sibi reliquum esse in vrbe perfugium, statuit denique partim amicorum hortatu bene ipsi cupientium, partim etiam ne multorum pericula inuolueret suo, ad maiorem vtrorumque securitatem vrbe excedere. Sensit enim iam adesse tempus mandati illius exequendi, quod Dominus Apostolis suis, & per illos omnibus iniustam ad necem pro ipsius nomine perquisitis dedit:
Matth. 10. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Igitur excessit Alexandriâ, & huius occasione excessus ad peregrinandum in terras alienas, & ad hauriendam ex omnibus prudentiam ac sapientiam est vsus, sicut & fecisse magistros suos, Pantænum & Clementem, meminerat: quorum
Clemēs l. 5. hic etiam istum Homeri versum ad persuasionem peregrinationis vsur-
Stromatum. pauit, quo dixit oportere Πολλὰ πλαγχθέντα δεξάμενον ἔμμεναι ἐσθλόν.

*Qui bonus esse velit, varias inuisere terras,*

Siue multùm peregrinari quærendæ sapientiæ & veritatis gratia. Talem enim post multos errores tanquam bona & mala multifariam expertum, fore bonum atque præstantem. Quod ipsum tam Origenes ipse, quàm illi eius præceptores multò efficaciùs dictum esse ab Eccle-
Ecclesiast. siastico, & inter alia sapientis officia recensitum acceperunt, vbi de eo-
c. 39. v. 5. dem viro sapiente dictum est: *In terram alienigenarum gentium pertransiet; bona enim & mala in hominibus tentabit*, id est, discet, experietur, cognoscet. Igitur Origenes non ignarus illorum fructuum, quos in Christi electa vinea iam adolescens produxerat, nec spe item modica fretus in maiori ætate, maiorum in cælesti penu reponendorum, tunc relinquendam sibi AEgyptum duxit, atque longiùs à solo patrio peregrinandum. Multis ergo regionibus peragratis, tandem Cæsaream Cappadociæ peruenit, vrbem magnam, & vastæ illius terræ caput, sed nec ipsam quidem id temporis à Pagana infestatione immunem; quippe vbi S. Alexander, postea Hierosolymorum Episcopus, multa pro Christi fide tum passus sit, & gloriosum confessionis nomen (vt suprà in eius vita explicatum est) acquisiuerit. Ibi autem cùm esset Origenes, parum abfuit, quin se in scylla depre-

deprehensum, post euitatam Charybdim, subitò conspexerit. Et tanti periculi caussam occasionémue fuisse crediderim, quòd sicut ignis diu in aliquo loco ita condi vix potest, quin se prodat; ita hic adolescens totus igneus, & fidei ardore flagrans, tenere se non potuerit, quin aliqua nostræ Religionis signa istis Ecclesiæ persecutoribus nimis exosæ (vt antehac Alexandriæ fecerat) foras prodiderit, propter quę ad necem instanter perquisitus sit. Quęrendæ illi proinde fuerunt latebræ, quas quò tutiores haberet, minúsque suspectas, in certæ virginis, cui nomen fuit Iuliana, domum confugit. Ipsa verò, vt locuples erat & fidelis, libenter benignéque excepit, & exceptum liberaliter habuit, & quasi thesaurum (quippe filium Martyris, & dignos martyre gerentem spiritus) diligentissimè custodiuit. Quin & biennium ipsum tanquam fratrem domi suæ tenuit, proprijs sumptibus aluit, libros aliáque necessaria promouendis eius studijs (cùm & ipsa esset haud mediocriter erudita) munificè suppeditauit. Apud hanc virginem reperit Origenes inter alia, Symmachi versionem Scripturarum, quam ipsa ex ipsiusmet manu Symmachi acceperat. Huc autem ipse postmodùm alijs quoque conquisitis ac repertis earundem Scripturarum interpretationibus coniunxit, & ex omnibus illa sua nominatissima Hexapla (de quibus suo agetur loco) confecit. Nactus est igitur in hoc biennij abdito secessu multam ac peropportunam in varijs studiorum generibus se exercendi commoditatem; nempe ex otij & magistrorum copia, non quidem otij ex inuisentium interpellatione citò ac facilè interrumpendi; nec magistrorum item rarò ac pro libitu suo docentium, sed eorum, quos acquisita apud omnes maximæ eruditionis ac sapientiæ gloria eminentes, semper sibi præsentes, semper ad se docendum habebat paratissimos: diuinos, inquam, Prophetas, sanctos Apostolos, sacros Euangelistas, eorúmque doctissimos interpretes, quorum doctrinam sine strepitu verborum, & in amica quiete ac silentio, non auribus laboriosè attentis hauriebat, sed oculis longè certioribus ac facilioribus nuntijs imbibebat. Tales quippe sunt ipsorum Auctorum libri, quos si legas, perinde est, ac si loquentes ipsos audias; hocque amplius, quòd loquentis vox citò effugiat, nec elapsam facilè ad te reuoces: quod autem scriptum est, penes te maneat, &, quoties volueris, tibi ob oculos restituas. Hoc nimirum agebat Origenes, vt in librorum lectione, seu diuinorum, seu aliorum, sed maximè istorum, multus esset: sedulóque operam dabat, vt in cunctis homine libero dignis artibus ad quoscunque mortales Christo & Ecclesiæ lucrifaciendos nemini concederet. Cùm enim antehac certo experimento didicisset, iacto extranearum disciplinarum hamo, permultos in Christi retia pertractos esse, hac ipsa de caussa nulli parcendum labori ratus, tam modò, quàm deinceps in omnes artes sic incubuit, vt præter litteras sacras (quarum respectu Hebræam quoque linguam, contra ætatis gentisque suæ naturam, perdidicit) etiam artes omnes liberales, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Musicam,

*Iuliana virgo Origenem profugũ abscondit, & liberaliter sustentauit.*

*Symmachi interpretatio Bibliorũ ab Origene reperta.*

*Libri doctorum, magistri optimi.*

*Extraneis disciplinis vsus est Origenes, vt hamo, ad capiendos Infideles.*

Geometriam, Astrologiam, denique omnium sectas Philosophorum ita percalluerit, vt eius immortale ingenium, ac varia doctrina, multis stupori, omnibus admirationi, nonnullis bonæ æmulationi, pluribus etiam, vti non rarò accidit, inuidiæ fuerit. Certè, & cùm Alexandriæ post hanc peregrinationem iam iuuenis ageret, & cùm postea in constanti ætate, vt infrà dicetur, Cæsareæ Palæstinæ degeret, miri ad ipsum vtrobique concursus facti sunt, non modò nostrorum hominum, sed etiam externorum, & qui aliquo inter suos loco essent, Philosophorum, quos ille propterea non inuitè admittebat, vt singulos proprijs inescatos illecebris, sensim ac suauiter ad altiorem de Deo Philosophiam, & hac duce ad Christi legem perduceret. Quod qua facilitate perfecerit, partim ex dictis suprà nonnihil innotuit, partim ex dicendis infrà passim ac dispersim ampliùs innotescet. Iam enim, decursâ eius adolescentiâ, postulat ordo temporis, & nostri ratio instituti, vt ad demonstrandam ipsius iuuentutem passu non impari progrediamur.

# CAPVT VI.

*ORIGENIS IN PERDOMANDIS animi cupiditatibus, & in acquirenda sui ipsius perfecta victoria, ardens studium; voluntaria item sui ipsius, propter regnum cælorum, castratio.*

POST biennij circiter tempus in ea peregrinatione, de qua nunc egimus, feliciter exactum, reuersus Alexandriam Origenes (pristinus enim ille persecutionis feruor nonnihil remiserat) iàmque nouam ætatem ingrediens, & vigesimum primum vitæ suæ annum, qui & feruentis iuuentæ primus est, vix dum emensus, ad ea se conuertit ardentiùs, quæ & sibi maximè necessaria, & alijs credidit potissimè profutura: nimirum ad exactam Scripturæ sacræ non cognitionem tantùm, sed etiam eiusdem mandatorum & consiliorum (quatenus quidem sibi facultas esset) executionem. Quò ipsum valde accendebat multa Diuinæ erga se prouidentiæ, in præsentissimis periculis, in longissimis peregrinationibus, in maximis necessitatibus, toties sibi expertæ consideratio. Quare ne in tantum ac tam beneficum curatorem esset ingratus, longè maiori quàm adhuc studio cùm ad legendam ac ruminandam

dam Christi doctrinam, tum ad eiusdem vitam quàm proximè sectandam atque imitandam applicuit animum. Hinc paupertatem illam, de qua antè diximus, quaternis in dies singulos pro victu atque vestitu contentam obolis, strictiùs amplecti ac retinere; hinc cælibatum atque castimoniam magis magísque in dies diligere & exosculari: & quia singulariter & magnificè à Deo commendatam virginitatem intelligebat, perpaucósque esse, qui eam caperent, ipse totus in illam ferri, & omnia præferuidè amoliori impedimenta, & blandarum cupiditatum retinacula perrumpere. Hinc cùm illa Christi verba de triplici eunuchorum genere prolata: *Sunt eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt; & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorū; Qui potest capere, capiat*; cùm illa, inquam, verba Christi tanquam ad statum matrimonio altiorem atque perfectiorem cohortantia, ac simul rei difficultatem indicantia, cum animo suo reputaret; arbitratus est eunuchi nomen in quocunque istorum trium membrorum esse vniformiter, hoc est, propriè ac simpliciter, & sine vlla translatione positum, nec aliud inter ea esse discrimen, quàm intentionis; quòd scilicet primi citra voluntatem tales essent, quippe sic nati; secundi autem vel contra voluntatem, vel voluntate quidem, sed non recta, neque ad Dei vnius gloriam spectante; tertij verò purissima ac sincerissima voluntate, nempe non propter terræ diuitias aut delicias, sed vnicè ac singulariter propter regnum cælorum, hoc est, propter Dei amorem ac honorem. Igitur iuuenili ausu, & magno fidei, castimoniæque affectu (sed non secundùm scientiam) se castrauit. Neque enim Dominus, quomodo plerique omnes hodie sentiunt, quemadmodum in duobus membris prioribus de corporali castratione loquebatur, sic etiam in tertio; sed in hoc de spirituali, siue de voluntaria voluptatum carnalium repressione, & perpetuæ castitatis ac cælibatus electione agebat. Ille autem simpliciùs, vt dixi, intelligens, & sperans hoc animoso facto obsecuturum se Diuino hortatui, futurúmque ex illis melioribus eunuchis, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, eam rem, licét non exigui doloris, nec mediocris periculi, Deo soli vt placeret, suscepit, vel, vt Hieronymus loquitur, *Dei zelo aggressus est.* Quo proinde in facto propter istum zelum & ingens ac sincerum Deo placendi desiderium, nihil prorsus peccati fuisse arbitrandum est; propter animi verò generositatem tantum opus audentis, & incredibili ardore fidei & castimoniæ aggredientis, haud parum meriti. Hinc aliquanto pòst, cùm id resciisset Demetrius, ecclesiæ Alexandrinæ Pontifex, & simul facti caussas didicisset, ipsum quidem factum vehementer est admiratus; mentis verò generositatem, ac sinceram fidem amplexus, macte animi esse iussit, & nunc, si vnquam, incepto operi Catecheseos omni cum diligentia vt insisteret, est cohortatus. Ex illo igitur, quanta potuit sedulitate munus istud docendi, ac tradendæ quibuslibet ad se ventitantibus Christianæ disciplinæ

*Matt. 19. v. 12.*

*Eusebius Pāphili lib. hist. ecclef.*

ciplinæ prouinciam liberè ac sine vllo personarum respectu administrauit. Nam Demetrius tam certo eius castimoniæ accepto experimento, nulla opus esse circa eius conuersationem, in qua nihil nisi pudicum, nisi modestum obseruabat, circumspectione ratus, perinde vtrique sexui aures dare, & cum omnibus indiscriminatim sanctam cõmunicare doctrinam permisit. Quod ille tam sapienter, & tam bono cunctorum exemplo præstitit, vt nec leuis cuiusquam offensio, nec vllus de eius vita moribúsque sinister rumusculus vnquam exceptus sit. Tempus verò suum ita dispertiebat, vt magnam diei partem scholæ daret; nonnullam deinde hominibus ipsum priuatim consulentibus, noctis verò bonum spatium studio meditationíque Scripturarum; somno enim quietique pauxillulum, nec ferè nisi necessariò, & quasi quoddam tributum tribuebat. Nam doctrinæ amor, & erudiendæ Christóque lucrifaciendæ multitudinis cura ad antelucanas eum vigilias suscitabat; quippe cui omne tempus præ tantis, quos amplectebatur, laboribus ac negotijs perbreue semper & peranguſtum videbatur. In hac porrò tantarum occupationum assiduitate complures annos continenter & indefessè perstitit; sed tanto fructu, & Ecclesiæ augmento, vt nec ipsum laboris suscepti, nec quemquam impensæ apud ipsum operæ pœniteret. Quam autem illi Dominus, ne tam continuis frangeretur laboribus, peropportunam animi, tanquam arcus, laxationem indulserit, nunc exponemus.

*Temporis distributio.*

---

# CAPVT VII.

## *ORIGENIS AB ALEXANDRIA Romam profectio.*

ORIGENI propter continuas hominum ad eius doctrinam quà publicè, quà priuatim audiendam confluentium interpellationes, vix quicquam vacui temporis reperienti, ac propè sub curarum onere grauissimo fatiscenti, iniecit Diuina benignitas immensum quoddam inuisendæ Romanæ Ecclesiæ desiderium: quippe famæ celeberrimæ & omnium principis, atque vbi Petrus & Paulus, duo totius Religionis præcipua columina diu commorati, stabilissima fidei fundamenta iecerant. Huc igitur, vt sibi aliquantam liceret instituere peregrinationem, multis à Demetrio, Antistite suo, precibus depoposcit, & ab illo quidem ægrè admodum, ab amicis verò suis auditoribus ægerrimè impetrauit. Verùm spe, quam illis dabat, celerioris reditus, tandem bonâ omnium veniâ & secundis prosequentium amicorum apprecationibus itineri se dedit. Quæ autem tam in hac, quàm in

alijs

aliis peregrinationibus obseruare esset solitus, ipsemet cùm alibi passim, tum præcipuè contra Celsum disputans indicauit. Hæc autem vt summatim exequar, ipsi maximè cordi erant, inspectio & consideratio status Ecclesiarum, quas pertransibat, communicatio cum earum Antistitibus & Presbyteris, exploratio doctrinæ, consuetudinum & traditionum à maioribus acceptarum disquisitio; de hæresibus hic illic grassantibus, & earum auctoribus aut propugnatoribus peruestigatio, Philosophorum denique & aliorum in quâlibet scientiâ liberali eminentium studiosa auditio. Nam pectus illud omnigenæ eruditionis ac sapientiæ auidissimum vndequaque bona ac salutaria sibi pabula perquirebat, quibus alta in mente repositis, ac probè digestis, ad suum scribendi, atque ad alios deriuandi institutum aliquando vteretur. Hac ergo mente iter ingressus, & Antistitis sui litteris instructus commendatitiis, cùm facilem atque obuiam Episcoporum ac proborum fratrum habuit vbique charitatem, tum etiam non mediocria ad scopum suum reperit adiumenta. Quis enim filium Martyris videre, affari, iuuare, non amaret? præsertim eum, cui nuper Martyres parturienti, Martyrium dumtaxat ipsum, non voluntas Martyrii defuisset? immo eum, qui antehac pro Christi fide persecutionem passus, & nominatim ad mortem quæsitus, solaque Dei ipsius prouidentia superstes, verus Confessor iam esset, & iure haberetur. Nam dubitare quis possit, quin eius magnanimitas circa Martyres, & egregia in adeundis pro Religione periculis fortitudo, in principe totius AEgypti vrbe testata, omniumque oculis exposita, in remotos quoque locos (dispergente, vt solet, etiamque exaugente fama) penetrarit, atque in ipsam Italiam, vrbemque Romam peruaserit? Iam enim sex septémue anni præterierant, ex quo illa in AEgypto gesta erant; vt autem nonnulli censent, etiam plures; vt incredibile sit, tot annis, qui inter illum ardorem persecutionis, & hanc in Italiam peregrinationem intercesserunt, non diuulgata fuisse quaquà versum tam illustria, seu Martyrum, seu Confessorum media in luce gesta facinora. Gratissimus proinde ipsius, tàm ex sua quàm ex patris virtute cogniti, iis omnibus, ad quos diuertebat, aduentus erat, consuetudo item & conuersatio, propter multam variarum scientiarum peritiam, maxima cum humanitate coniunctam, viris probis ac doctis longè acceptissima. [a] Romam porrò peruenit, sancto Zephyrino Pontifice, Seuero Imperatore iam vitâ functo, & Antonino Caracalla filio eius clauum Imperii tenente, sub annum Christi Domini circiter ducentesimum decimum quintum, qui fuit Zephyrini 13. Caracallæ 3. Erat autem Origenes, dum Romam peruenit, annos natus circiter viginti octo, atque in ipso virilis ætatis primo ingressu. Tum igitur ad ea, quorum caussâ venerat, seriò intendere; illius Ecclesiæ statum, coloremque sedulò contemplari; sacros cœtus, & diuina mysteria quo ritu fierent, & Alexandriníne omni ex parte consentirent (nam vt Petrus Romanam, sic eius auditor Marcus Alexandrinam instituerat

*Peregrinatio pia & proficua.*

*Quandonam Origenes Romam peruenerit.*

tuerat

tuerat eccleſiam) vel qua in re diſcreparent, diligenter obſeruare; de doctrina item, & de ſtatutis, ac traditionibus, ſeu Apoſtolorum, ſeu conſequentium Epiſcoporum, cum viris eruditis agere, & ſermocinari. [b] Meminerat enim, Victore Pontifice (qui hunc, de quo agimus, Zephyrinum proximè anteceſſit) non minimas, nec minimis de rebus agitatas eſſe quæſtiones, ac nunc quoque nonnullis in eccleſijs certas reſidere controuerſias inaudierat; de quibus, vti & de nouis hæreſibus, earumque auctoribus, non mediocri cura (quemadmodum poſtea ipſemet indicauit) perquirebat. Et quantos quidem viros modico interuallo, quàm hinc Alexandriam rediit, ab erroribus hæreſeon in viam reduxerit, breui docebimus. Hoc autem ipſo Zephyrini tempore Proclus, Montani hæreſiarchæ ſectator, Romæ degebat; inter quem & Caium præſtanti virtute atque eruditione virum, à melioribus ſtantem partibus, [c] grauis interceſſit de noua prophetia diſceptatio, quæ ab eodem Caio litteris mandata, ſuperfuiſſe hac ipſa tempeſtate SS. Petri & Pauli Apoſtolorum ſepulchra declarat his verbis: *Ego inquit, trophæa Apoſtolorum habeo tibi oſtendere. Si enim in Vaticanum, aut in viam Oſtienſem ire volueris, ibi eorum, qui hanc fundauere Eccleſiam, trophæa inuenies.* Quorum Apoſtolorum, itemque aliorum ſanctiſſimorum Epiſcoporum, & Martyrum ſepulchra ac monumenta mirabiliter, & planè diuinitus ad id temporis conſeruata, contemplatus & veneratus Origenes, auditiſque & conuentis, qui Romæ primas artes tum profitebantur, Philoſophis, alijſque viris eruditis (hoc enim in more habebat, ac diu etiam poſthac factitauit) & perceptâ, quoad eius fieri potuit, earum rerum, propter quas venerat, notitiâ, longiores ibi trahere moras noluit, ſed expeditis, quàm valuit citiſſimè, omnibus negotijs, iter ad ſuos relegere accelerauit; quippe & promiſſi memor, & alienæ ſalutis, quàm proprij commodi gloriæue cupidior. Hinc & illum Deus Opt. Max. ſuis Alexandrinis citiùs quàm ipſi ſperare auſi eſſent, ſaluum incolumemque reſtituit.

## CAPVT VIII.

# CAPVT VIII.

## *ORIGENIS ALEXANDRIAM reuersi pristinorum in Catechesi studiorum resumptio, & variæ eruditionis gloria.*

QVAM tristis ac molestus multis fuerat Origenis in Italiam abscessus, tam hilaris ac lætus postea fuit eiusdem ad ipsos reditus; nulli tamen magis, quàm Antistiti Demetrio, qui & auidè exspectabat, & reuersum impensè hortatus est, vt interruptos hactenus docendi labores omni cum alacritate resumeret, atque id munus ad fratrum vtilitatem impigrè administraret. Obsecutus igitur tanto Antistitis sui desiderio (quod & magna ipsorum auditorum exspectatio adiuuabat) redijt ad pristinam sacræ Catecheseos disciplinam; quæ tanto iam concursu celebrari cœpta est, quanto anteà nunquam: ita vt necesse habuerit, cùm vnus ipse impar esset oneri, alterum sibi adsciscere adiutorem. Nam auditorum sanè non multitudo dumtaxat, quamuis etiam illa, sed multò magis diuersitas, & inæqualitas studiorum & profectuum, mirè eum prægrauabat. Cùm enim illi, qui in scripturæ scientia prouectiores erant, & quibus difficiliores loci diuinorum eloquiorum distinctiùs enucleabantur, non modicum sibi tempus deposcerent, atque alij nihilominus, qui primis fidei principijs imbuebantur à manè ad vesperam alij post alios in ludum litterarium continuò ventitarent, ne respirandi quidem locum ei relinquebant. Quocirca, adigente necessitate, vniuersam hanc multitudinem bipertitò diuisit; atque hos quidem, qui primis fidei elementis imbuendi erant, Heraclæ, suorum principi discipulorum, imbuendos attribuit, viro cùm sacrarum litterarum perquam studioso, tum etiam Philosophiæ aliarumque scientiarum disciplinis egregiè instructo, cuius & aliquam suprà mentionem fecimus: alteros autem in doctrina prouectiores sibi perdocendos perficiendosque reseruauit. Ita mediocri temporis accessione facta, longè plus operæ tùm in Diuinis litteris propter domesticos fidei instruendos, & hæreticos impugnatores repellendos, quàm in extraneis scientijs propter Gentiles, præsertim Philosophos ab impio Deorum cultu reuocandos collocauit. Hinc perlectis ferè omnium excellentium Philosophorum libris, tàm antiquorum, quàm recentium, tanta apud Philosophiæ studiosos effulsit claritate nominis, vt eorum non pauci, & quidem illa ætate perillustres eius amicitiam & familiaritatem ambiuerint,

libros

libros illi dedicauerint, lucubrationes suas ipsius iudicio censuræque submiserint. Atque, vt alios omittam, è gentilibus Philosophis ea tempestate præstantibus, tres potissimè apud suos nominatissimi, eum plurimi fecerunt, Longinus scilicet, qui ab Eunapio *spirans quædam Bibliotheca, ac viuum Musæum est appellatus, & cui de veteribus iudicandi permissa potestas erat*: deinde Plotinus Longino carissimus, nec vlla laude inferior: Porphyrius denique istorum amborum, itemque nostri Origenis aliquandò auditor, & ex parte admirator. Nam cùm hic esset fidei nostræ (contra quam libros etiam scripsit non paucos) admodum infensus, hinc Ammonio, atque Origeni nostrarum partium hominibus, suas quidem in Philosophia laudes, quas detrahere non poterat, attribuit, sed præcipua eorum gloriæ ornamenta detraxit, aut certè detrahere voluit. Nam finxit Ammonium, tametsi à parentibus Christianis educatum, perceptâ Philosophiæ doctrinâ, defecisse ad legum, vt vocat, politiam, hoc est, ad superstitionem Gentilium; Origenem verò gentilem, temerariâ quadam audaciâ transisse ad Christianos; cùm nec Origenes vnquam gentilis fuerit, nec Ammonius à Christianis aliquando defecerit. Qua de re commodiùs infrà & pleniùs. De vtroque autem, Ammonio, & Origene præclarum dedit ipse Longinus testimonium in procemio libri sui *De Fine*; vbi duo distinguens Philosophorum sibi cognitorum genera, quorum aliqui sententias suas litteris commendarent, vt scribendo posteris prodessent: alij satis haberent, viua voce doctrinam suam præsentibus enuntiare; postquam prioris generis claros homines, tàm Platonicos quàm stoicos & Peripateticos, qui post se de rebus Philosophicis scripta reliquerunt, recensuit, tum ad alteros veniens, & à Platonicis incipiens: *Fuerunt*, inquit, *in secundo genere Platonici quidem, Ammonius atque Origenes, quibuscum nos diu versati sumus, viri profectò non mediocri interuallo sui sæculi Philosophos intelligentia antecellentibus*: deinde & alios persequitur recensere. Hæc autem idcirco nunc protuli, quòd hîc se locus obtulerit, & de varijs eius studijs dicendi, quando inferioribus dimissis occupationibus, ipse iam virili ætate maturior, celebriores cum Philosophis, Hæreticis, Iudæis, de fide & religione congressiones ac disputationes habere instituit; ad quas omni artium genere instructum esse ipsum oportebat. Talis autem cùm vbique audiret, nimisque multi ab eo instituti peterent, ipse singulorum ingenia sagaci mentis acie perlustrans, quos quidem rudiores tardioresque aduertebat, eos ad litteras humaniores hortabatur; non mediocrem in illis vim esse persuadens, ad viam altioribus disciplinis, adeóque sacrarum litterarum cognitioni muniendam. Quos verò acti iudicio, atque ingenij acumine cernebat præpollere, & magnas sui profectus spes dare, hos benignè confouebat, hos Philosophiam, Geometriam, Arithmeticam, aliasque artes huiusmodi, conciliandis illorum animis, atque ad scientiam Dei & Sanctorum sensim pelliciendis opportunas condocebat. Floruit porrò

*Eunapius Sardianus de vitis Philosophorum.*

*Porphyrij Philosophi de Ammonio & Origene falsum iudicium.*

*Infrà cap. 20.*

*Longini Philosophi Gētilis verum de ijsdem iudicium.*

porrò in his studijs quàm maximè ab anno ætatis suæ vigesimo octauo; quo finito, virilis ætas incipit, miréque nomen eius ex illo tempore celebratum est, non Alexandriæ solùm, vbi nunc degebat, nec tota in Ægypto duntaxat, vbi pridem notus erat; sed in regionibus quoque extraneis. Verùm omnis hæc gloria, & quantacunque nominis ac famæ claritas, si intra illam stetur, cui bono? Quid dici, haberi, immo & esse in his magnum & excellentem prodest, si nullus ex his exstet fructus, si nulla animarum salus, si honos Dei nullus? Nam pro re leuissima, & maximè euanida, tantis conflictari laboribus, atque araneorum more exenteratis visceribus telam texentium fragilissimam, omnes mentis & corporis vires in auolantis famæ, tanquam fumi prehensionem, exhaurire, an non extremæ foret dementiæ? Quocirca quænam Origenes tot è sudoribus atque vigilijs sibi alijsque extuderit emolumenta, iam nunc videndum est.

## CAPVT VIIII.

### *HÆRETICORVM DOCTRINA ILLVSTRIUM ad Ecclesiam, & ad fidem sanam per Origenem conuersio; & eiusdem in Ambrosio, antehac Valentiniano, opima spolia.*

DVM Alexandriæ his ipsis, quæ iam persequimur, Imperatoris Caracallæ temporibus, secundissimâ doctrinæ Origenis famâ quoquò versus volitante, multi hæreticorum eius experiundæ eruditionis gratiâ ad ipsum confluerent, adfuit inter alios etiam Ambrosius quidã nomine, vir nobilis, doctus, locuples, & sanè quàm cordatus, sed hæresi Valentini (quæ tum Alexandriæ plurimùm grassabatur) non mediocriter imbutus. Hic ergo disputante Origene, & partes veritatis contra Valentinianos propugnante, aures cœpit arrigere, animum dictis intendere, rationum momenta sedulò perpendere. Quid multa? Denique tanquam terra bona, & optima, semen excepit veritatis, & internæ lucis radio mentem illustrante, rectam fidem amplexus, adamauit, quod oderat; odit, quod adamarat. Exinde Origenem, quo facem prælucente errorem agnouerat, & damnarat, singulari amore & veneratione tanquam patrem & magistrum est prosecutus; & quidem pro eo, quo flagrabat sacrarum litterarum studio, persæpe ad eum ventitabat, persæpe super difficilibus Scripturæ locis consulebat. Cuius in congressu benignitatem, in responsis sapientiam cùm admiraretur, eam concepit

*Ambrosij Valentiniani ab Origene ad fidem conuersi mira in eundem liberalitas.*

 de

de ipso opinionem, vt illum existimaret omnibus præferendum, & cum illo conferendum neminem. Hinc cohortari illum ac deprecari aggressus est, vt præter quotidianas ad populum lectiones, etiam aliquos in Scripturas sacras commentarios ederet. Id enim & Hippolytum (cuius

*S. Hippolyti Scriptoris laus.*

tanta non esset, quanta ipsius, existimatio ingenij atque doctrinæ) non sine magna laude præstitisse, atque etiamnum præstare. Iam autem posse ipsum, si quidem vellet, non hunc tantùm & eos, qui tunc scriberent, sed eos quoque, qui olim scripsissent, non modò adæquare, sed etiam antecedere; & si quidem amanuensibus, si libris, si librarijs opus habeat, sese, quotquot voluerit, & quacumque re alia eguerit, pro virili suppeditaturum. Neque verò profusior in promissis fuit, quàm in benefactis largior. Nam & victui abundè prouidit; & librorum copiam affatim suppeditauit; & celeres notarios, qui statis temporibus inuicem succederent, plus septem procurauit; & librarios itidem non pauciores, necnon puellas eleganter scribere edoctas attribuit; quos omnes suis ipse sumptibus haud parcè aluit, & perhonestè semper habuit. In summa, tanti vir ille, quamuis eloquens & eruditus, ingenium sapientiamque Origenis æstimabat, vt nunquam desisteret, vel præsentem verbis, vel absentem litteris, opportunè, importunè, ad scribendū exstimulare. Cui propterea rescribens quadam in epistola Origenes, eum *exactorem operis*, appellauit. Vrgente igitur eodem Ambrosio libros quàm plurimos, alios super alios continenter emisit, quorum bonam partem ipsimet Ambrosio tanquam optimè de se merito dedicauit. Hic porrò Ambrosius (qui de castris inimicorum, & de Valentini secta extractus, meritò inter opima Origenis spolia primum dici potest) hic, inquam, non tantùm magistri & victoris sui eruditionem coluit, & sectatus est, sed virtutem quoque & sanctimoniam pro virili æmulatus, duorum se in primis, hoc est, sacrarum litterarum, & sinceræ pietatis præstitit studiosum. Nam omne suum tempus (dum illi quidem adesset Origenes) etiam mensæ, etiam somni, censebat vel auditioni scripturarum, vel piæ precationi concedendum. Ita enim de illo simul & de Origene Hieronymus (qui hunc ob inuictos labores, & infractos conatus, nunc Adamantium vocauit, nunc Chalcenterum) ita, inquam, de vtroque scribit: *Ambrosius (quo chartas, sumptus notarios ministrante, tam innumerabiles libros verè Adamantius noster, & Chalcénterus explicuit) in quadam epistola, quam ad eundem de Athenis scripserat, refert nunquam se cibos, præsente Origene, sine lectione sumpsisse; nunquam inisse somnum, nisi vnus è fratribus sacris litteris personaret: hoc diebus egisse vel noctibus, vt & lectio orationem susciperet, & oratio lectionem.* Cuius quidem in istis litteris peritiam demonstrant partim eæ, quas ad Origenem misit, litteræ, partim ea scripta, quæ tradidit illi Origenes (vt ipsemet testis est Origenes) corrigenda. Studij autem honoris ac gloriæ Dei luculentius perhibent testimonium, tàm ipsa Or-

*Ambrosius Origenis ad scribendum exstimulator.*

*Eiusdem Ambrosij mira diligētia.*

*Hieronym. epist. ad Marcellam.*

ipsa Ordinis Diaconatus, seu sacri in Ecclesia ministerij, fidelis & accurata perfunctio, quàm gloriosa in consecutis diræ persecutionis temporibus, fidei ac religionis Christianæ confessio. Nam & Ecclesiæ Diaconus, & confessionis Dominicæ gloria insignis à magno illo Ecclesiæ Doctore prædicatur. Hanc ergo insignem Ecclesiæ gemmam (cuius ego præmicanti splendore nonnihil à recta instituti mei via abstractus sum) hanc, inquam insignem Ecclesiæ gemmam è luto sectæ Valentinianæ eductam, & Diuini eloquij nitore diligenter expolitam ac perpurgatam, Christo suo lætus & gaudens Origenes obtulit; nec illam tamen solam, sed cum illa simul, aut aliquantò post illam, plures quoque alias, tametsi illas non eiusdem gratiæ atque splendoris, quas quidem è Valentini aut Marcionis luto circa præsens tempus extraxerit. Nam quòd aliunde multo etiam nobiliores & pretiosiores margaritas ad exornãdum Christi sui altare adduxerit, suis ostendetur locis. Nunc verò nec longè ab ista Ambrosij conuersione, & quidem propter illam, dicuntur complures viri docti à ludo Valentini, & à Marcionis schola ad Origenem, præparatis quàm validissimis, vt putabant, Logicarum astutiarum telis, velut ex condicto, impugnandum accessisse; sed eorum tela tanquam aranearum telas, Origeni fuisse, nullóque difsfracta negotio, plenam illi victoriam reliquisse. Arbiter certaminis ex consensu partium constitutus fuisse fertur homo neutrarum partium, hoc est, neque Catholicus, neque Hæreticus, sed gentilis Philosophus, vir sciens versutias, & intelligens sapientiam, Eutropius nomine, qui expensis hinc inde rationibus tandem secundùm Origenem iudicauit. Extat quidem inter Origenis opera Dialogus de recta in Deum fide, omnem hanc disputationem, quæ tum habita creditur, fusè complectens; vbi & singula aduersariorum argumenta, & acutæ Origenis responsiones, interiectis itidem Eutropij comprobationibus, distinctè referuntur: veruntamen haud facilè crediderim eum (prout nunc quidem reperitur) vel à Notarijs exceptum, vel ab Origene descriptum fuisse, sed ab aliquo è posterioribus scriptoribus, qui reperta disputationis puncta nonnihil dilatarit, ac tempori accommodarit. Igitur viris doctis, qui Dialogum illum Origeni attribuunt, eatenus assentior, vt disputatum ab Origene cum illis, qui illic differentes introducuntur, hæreticis non diffitear, quin & multos ab eodem conuictos, & ad Ecclesiam traductos credam, tàm Marcionis, quàm Valentini sectatores: non autem vt ea fuisse tempora admittam, quibus vel Imperatores essent Christiani, vel templa Gentilium, vt ibi scriptum est, simul cum idolis suis euerterentur; quorum prius ætate quidem Origenis accidit, posterius autem tempore demum Constantini Magni, vno ferè post Origenem sæculo, conspectum est. Quid autem studij ad conuersionem Imperatorum idem attulerit Origenes, suo infrà dicetur loco: nunc enim ea præuertenda sunt, quæ huic propinquiora sunt tempori.

*Hieron. lib. de Script. eccles. c. 56.*

*Eutropius Gentilis constitutus iudex disputationis inter Origenẽ & Valentinianos hæreticos.*

C 2 CAPVT X.

# CAPVT X.

## *ORIGENIS IN ARABIAM fidei caussâ euocatio.*

NOMEN Origenis longè latéque iam diffusum valde exauxerunt tam illæ, quas de hæreticis reportauit, celebres victoriæ, quàm ij, quos in lucem edidit ad fidem atque pietatem spectantes in Scripturam sacram commentarij. Hos enim ille eius mæcenas Ambrosius à librarijs pereleganter accuratéque descriptos, pro suo erga Religionem, & Origenem studio, quàm primum euulgandos, atque ijs, quibus maximè profuturi videbantur, dum noui recentesque essent, dispertiendos curauit. Igitur qui virum sola virtutis & doctrinæ famâ antehac nouerant & amarant, nunc eius videntes & legentes scripta, tanto certiùs nosse, & ardentiùs amare instituerunt, quanto veriorem in illis ac præsentiorem agnouerunt ingenij morumque expressam effigiem. Quæ caussa fuit, quamobrem & nonnulli è suis finibus ad illum coràm intuendum & audiendum, procul accesserint: & quidam homines præillustri dignitate & loco eximij (quos à suis abesse prouincijs officia non sinebant) eius ad se accessum exorarint; ac primò quidem Præses Arabiæ, cùm de fide & doctrina Christiana secundos sermones à nostræ Religionis hominibus accepisset, & quempiam, à quo pleniùs erudiretur, requireret: quamuis alij non deessent in Arabia, qui id commodè præstare possent, seu Episcopi, seu Sacerdotes, interque illos aut S. Hippolytus, ille B. Irenæi auditor (nam illum egisse in Arabia id temporis, perquam est credibile) aut Beryllus, scriptor illius æui haud ignobilis, aut alius quispiam è sacro ordine vir probus, & eruditus, quales ibi tum fuisse non paucos minimè dubium est; vnum tamen præ omnibus alienigenam elegit Origenem: quippe scriptis suis recentibus, ac planè musteis, in ore omnium ac sermone versantem, mirificéque sibi commendatum. Quem quò faciliùs ac citiùs obtineret, duorum, qui ad hanc rem plurimùm poterant, sibi vtendum auctoritate iudicauit, nempe Præfecti Ægypti, & Antistitis Alexandrini ad quos certum hominem è suis militaribus cum litteris misit, quibus eos singillatim rogabat, vt cum omni celeritate Origenem ad se allegarent: percupere enim se fidei mysterijs ab eo erudiri. Horum proinde cohortatu (nec enim votis eiusmodi par erat vel impedimentum afferre, vel moram interponere) confestim Origenes qui & ipse litteras super eo negotio primus acceperat, & in talia Ecclesiæ lucra per sese totus ardebat, itineri se dedit, & eò incolumis cùm

*Præses Arabiæ ab Origene ad fidẽ conuersus.*

peruenisset, mox ad opus aggredi, cuius causâ venerat, Deo autem iuuante, non illud modò, sed alia quoque non parùi in futurum momenti, feliciter expediuit. Nam & illum Arabiæ Præsidem à suo pendentem spiritu, egregiè instruxit, & instructum Christóque adiunctum, omni armatura fidei communiuit. Iam extra eam occupationem quod superfuit vacui temporis, hoc omne vtilibus impendit congressibus; seu cum Episcopis, & Sacerdotibus, quorum gratiam sua in ipsos singulari obseruantia ac modestia conciliabat, seu etiam cum hæreticis, quorum ad Ecclesiam reducendorum magno semper studio deflagrauit, & tam prospero quidem cum his successu, vt à deuictis singulari quodam affectu diligeretur. Adeò illos non modò euincere studebat fortibus argumentis, sed etiam (atque haud scio, an non multò magis) humanitate ac beneuolentia deuincire. Sic enim prorsus, quò dignum è victoria nostra emergat operæ-pretium, cum illis agendum est: talibus palmæ nostræ lemniscis ornandæ sunt. Ita cum Ambrosio illo iam antè laudato quondam fecit Origenes; ita & cum Beryllo, celebri Scriptore & Antistite, pòst faciet. Nam hoc ad aliud spectat tempus; nunc autem dum in Arabia tantisper moratur, minimè dubium est, quin illic quoque id, quod vulgò in more habebat, factitarit, & partim studij, partim honoris causâ, ad audiendos in ecclesiæ cœtu Episcopos accesserit; ac tum quidem accidisse illud, quod de S. Hippolyto refertur, nempe dum concionem ad populum de Domini Saluatoris laudibus haberet, atque in præsentem Origenem oculos intendisset, eius præsentiam auditoribus indicasse, seu quòd eum dictis suis assentientem videret, seu quòd plebi talem tantumque declarando hospitem, gratificari vellet. Magnus enim tum erat honos Scriptoris, magna gloria Confessoris, magnum nomen decúsque filij Martyris; quæ simul omnia cùm in Origenem conuenirent, mirificè ipsum non modò apud vulgus, sed etiam apud primores commendabant. Denique rebus omnibus in Arabia prosperè expeditis, in Ægyptum rediit, atque ad solita Alexandriæ, tàm docendi quàm scribendi, exercitia se retulit. His autem quotidianis occupationibus accedebant identidem extraordinariæ non paucæ, dum scilicet extranei, & longè ab eo dissiti, quod præsentes per se non poterant, absentes per litteras efficere conabantur; & ipsum vel de locis Scripturæ obscurioribus, vel de rebus ad vtramque Philosophiam spectantibus non raró consulebant. Quibus ipse (vt erat in ijs studijs ambidexter, & in omnes perhumanus) magna cum humanitate & dexteritate, vel redditis epistolis, vel editis tractatibus respondebat. Et hactenus quidem amor & æmulatio amabiles placidæque virtutes secutæ sunt Origenem, nec vllus ipsi, nisi & virtuti, fuit inimicus. Hunc autem cursum saltem vsque ad prima Alexandri Imp. tempora tenuit; hoc est, vsque ad annum ætatis suæ trigesimum octauum, qui est annus Domini ducentesimus vigesimus

*Origenis humanitas erga fidei aduersarios.*

quintus, & Imperij Alexandri primus; ita vt nulla eum attigerit reprehensionis nota, neque in moribus, neque in doctrina, neque in scriptis, sed vbique permagni æstimatus sit; & aliò atque aliò ab Episcopis euocatus, adeóque pluris factus à nonnullis, quàm proprio ipsius placeret Episcopo; vnde inuidia & turbæ multæ (vt nunc speciatim exponere aggrediar) ab vrbe Alexandria primùm exortæ, omnem ferè orbem peragrarunt.

## CAPVT XI.

*ORIGENIS ATHENAS PER PAlæstinam profectio, Sacerdotij susceptio, inuidentiæ in eum origo; Episcoporum Orientis & Achaiæ pro illo patrocinia.*

QVAMDIV Origenes Alexandriæ fuit, & ex Demetrij Episcopi sui voluntate primam eruditionis sacræ scholam (ipsi Catecheseos vocant) omni diligentia administrauit; aut, si quas peregrinationes seu Romam, seu in Arabiam, seu quocunque aliò suscepit; quamdiu, inquam, in illis, seu pro celeri regressu, seu pro negotiorum tractatione, seu pro onerum honorúmue susceptione, ab eo totus pependit, tamdiu Demetrius illum habere carum, eius fauere studijs, labores æstimare, scriptis auctoritatem, & quasi pennas dare. Hinc permultos eo tempore libros conscripsit, quibus per ora hominum clarus volitare cœpit, & longinqua regionum præ multis alijs Scriptoribus sublimis peragrare, adeoque suspiciendus in paucis vulgò existimari; quam ipse existimationem præclaris factis egregiè exaugebat. Post hæc negotij cuiusdam ecclesiastici gratiâ ab Episcopis Achaiæ Athenas est inuitatus. Indicauit hoc ipsum Demetrio, simúlque petijt, sibi vt liceret per huius occasionem itineris transire per Palæstinam, [a] & loca sancta inuisere, eorúmque Episcopos conuenire; placuit Demetrio; quin & epistolas ad eosdem tradidit commendatitias; quibus acceptis, bona eius venia, & omnium Alexandrinorum pace iter ingressus, primò petijt Cæsaream Palæstinæ, vrbem eius regionis celeberrimam atque maritimam, vbi Theoctistus ecclesiam regebat; ac deinde Hierosolymam, vbi S. Alexander egregius fidei Confessor, sanctitate simul & doctrina, velut duobus humeris, totam Terræ Sanctæ diœcesim sustinebat. Est autem dictu incredibile, quanta illum charitate ambo exceperint, quanto apud ipsos commorantem honore affecerint, quanta abeuntem beneuolentia prosecuti sint. Nam cùm eius præsentiâ & consuetudine ob variam eruditionem, moresque suauissimos mirè delectarentur, gaudebant etiam eum non priuatim modò, sed & publicè

*Loca sancta inuisēdi-studium in Origene.*

blicè dicentem & disputantem audire. [b] Igitur illum neque dum Sacerdotem, hortati sunt, vt ad populum in sacris cœtibus coram se, & Presbyteris, ac Diaconis verba faceret, & aliqua de Scripturis diuinis explicaret. Quod cùm ille tantorum virorum rogatu non semel, sed sæpius, & magno cum plausu præstitisset, peruenit hoc ad aures Demetrij; & quia in suæ ditionis loco id non permiserat, arbitratus est ab alijs non rectè permissum esse, cœpitque ab vtrisque alieniore esse animo; ab Origene quidem, quòd hoc ausus esset; ab Episcopis autem, quòd hoc imperassent. Quin & litteras ad eosdem Episcopos dedit, querulas admodum & amarulentas; quibus illos velut minùs dignitatis suæ retinentes, & quasi ecclesiasticæ consuetudinis inscientes redarguebat; quòd hominem scilicet nihil sacri Ordinis habentem, coram infulis contionari, & sermones de sanctis eloquijs habere in Presbyterorum cœtu permisissent. Ipsi autem tueri factum, & proferre exempla aliorum Episcoporum, qui in suis prouincijs idem fieri non siuissent modò, sed etiam postulassent: quin & ipsas recensuere ciuitates, in quibus constabat id esse factitatum; nempe Larandis ciuitate Lycaoniæ in Præfectura Antiochena, & Iconij in eadem Lycaonia, & Synnadis in Phrygia. Nam his ferè verbis respondit vtriusque nomine S. Alexander: *Quod adiunxisti in tuis litteris, neque auditum vnquam, neque hac memoria vsurpatum esse, vt homines Laici, seu è populo, conciones sacras præsentibus Episcopis haberent; haud scio, quo pacto mihi videris perspicuè, non vera dicere. Nam vbi istorum aliqui ad fratres verbo Dei adiuuandos idonei reperiuntur, etiam à sanctis Episcopis rogantur, vti ad populum conciones habeant; sicut Euelpis à Neone, Larandis; Paullinus à Celso, Iconij; & Theodorus ab Attico, Synnadis; beatis fratribus nostris Episcopis; & satis veritati consentaneum est, & alijs in locis idem fieri, sed nos ignorare.* Sic illi viri sancti, & pro se, & pro Origene. Qui etiam cum animis suis reputantes, Demetrio, & omnibus Origenis obtrectatoribus ita os facilè obstrui posse, & longè plus itidem auctoritatis excellenti Origenis doctrinæ adiectum iri, si honore Sacerdotij condecoraretur, habito inter se consilio, eum, antequam Athenas discederet, Sacerdotem consecrarunt. Sic enim Episcopis Achaiæ, quibus suppetias aduersus hæreses latum ibat, venerabiliorem futurum, atque ad ea, quæ agenda erant, efficaciorem. Quod verum quidem fuit; sed quantum ea res Demetrium huius ignarum consilij momorderit, ipsius haud multò pòst testatæ sunt crebræ ac volucres litteræ, quibus vltrò citròque dimissis, Episcoporum factum improbauit, [c] & Origenis abscissionem in adolescentia voluntariam, totque annis tacitam, quin & in admiratione à seipso habitam, nunc quaquauersum velut facinorosam diuulgauit. Neque enim ex eo facto culpa vlla in Origene (ipsomet teste Demetrio, qui animi magnitudinem tantam rem ausi olim demiratus fuerat, inhæsit, sed potiùs magnum id fuit victoriæ sui, castitatisque testimonium. Quippe qui non carnem & sanguinem, sed putam

*Origenes necdum Sacerdos corã Episcopis concionatur.*

*S. Alexandri Hierosolymorum Episcopi littera pro Origene.*

*Origenis castratio culpa experti.*

putam

putam Dei gloriam in actione tam difficili ac periculosa est consectatus. Nam id procul dubio facturum non fuisse; si quid vel leuis delicti in eo suspexisset, vita eius ad id temporis innocentissimè transacta conuincit. Verùm sicut nimia hominum priuatorum atque iuniorum gloria apud maiores potestates ferè in inuidiam, & varias suspiciones cadit, ita apud Demetrium tantus honos ab alienigenis Origeni subdito suo habitus, si non liuore, certè specie liuoris non caruit. Deinde quòd, se inscio & inconsulto, contulerant homini per aliena transeunti, Sacerdotium; id non sine aliquo sui contemptu factum esse creditur interpretatus. Certè nunquam proprijs placuit Episcopis, nullo interueniente suo consensu, subditos suos consecrari ab alienis; atque hac de caussa, [d] multæ inter Antistites, & in omnibus ferè sæculis, graues coortæ sunt dissensiones. Quemadmodum igitur de concionante coram Episcopis in ecclesiæ cœtu Origene haud iusta fuit Demetrio querimoniæ caussa (si quidem & ab alijs, vt antè dictum est, etiam sanctissimis ad id hortantibus Episcopis, in ecclesia fuerat idem factitatum) ita de eiusdem Origenis consecratione, eo, qui proprius erat ipsius Antistes, non consultò factâ, haud iniusta videri potuit offensionis Demetrij occasio. Absit tamen, vt propterea S. Alexandrum Hierosolymorum Episcopum (quem diuino electum ad id munus consilio, scripta superius vita ostendit) absit, inquam, vt tantum virum vel tenuis incusare velim imprudentiæ. Nam illi quidem, quamobrem id faceret, satis fuisse caussæ autumo, & quamuis inconsulto Demetrio, haud quaquam tamen inconsulto Domino id fecisse arbitror. Sic enim in diuersa quondam & Angeli ipsi, sed bonis ac sapientibus vtrimque caussis, discessere. Origenes interim iusto temporis spatio partim Cæsareæ Palæstinæ, partim Hierosolymis transacto, expletisque apud amantissimos sui Antistites omnibus charitatis ac beneuolentiæ, seu docendo, seu disputando officijs, Athenas versus, acceptis ab ijsdem locupleti multiformis doctrinæ, itémque suscepti Sacerdotij testimonio, perrexit. Quò cùm felici nauigatione peruenisset, magnis omnium studijs præsertim Episcoporum & Presbyterorum exceptus & detentus est. Hic enim erat, qui multorum instar nullos Philosophorum congressus (quorum ibi præcipuum erat domicilium) vereretur; qui nullas nec hæreticorum, nec Iudæorum sectas, quæ ibidem erant non paucæ, reformidaret. Permagno igitur Achaiæ Pontificibus, & toti sacro Ordini, aduersus istos omnes religionis ac pietatis aduersarios, præsidio fuit; cùm & cœtus sacros inibi haberet, & Scripturas sanctas explicaret, & cunctos veritati aduersantes ipse verè Adamantius atque inuictus perdomaret. Denique nomen eius & honos non minùs in aduersis floruit & creuit, quàm in prosperis. Hinc Demetrius, auditâ illius apud alienigenas gloriâ, missis ad eum litteris Alexandriam reuocauit; atque vt reditum acceleraret, per ipsos ecclesiæ suæ Diaconos solli-

*Dissensio Episcoporũ de iure ordinãdi Sacerdotes.*

sollicitauit. Ipse autem Origenes, tametsi in Palæstina, & sanctis in locis libenter versaretur, & satis indignè à Demetrio antehac habitus fuisset, reditum tamen haud detrectauit, sed paci atque amicitiæ cuncta postponens, vale dicto ijs, à quibus perhonorificè tractabatur, Alexandriam remigrauit. Quæ autem hunc reditum secuta sit rerum varietas, & commutatio animorum, nouam exigit narrationem.

---

# CAPVT XII.

*ORIGENIS ALEXANDRIAM REditus, pristina exercitia, fidei animositas, noua in illum turbæ.*

REVERSVS Alexandriam Origenes magno popularium suorum gaudio & congratulatione exceptus est, eorum præsertim, quos vel fidei præceptis imbuerat, vel communione studiorum sibi deuinxerat. In his enim altiùs amor imprimitur, & strictiùs fortiúsque adhæreſcit. Nam Demetrij quidem animus, vt pote senis & semel offensi, quamuis nunc Origenem, vt optarat & poposcerat, reducem haberet, tamen non eundem paterni affectus tenorem, quem olim solitus erat, in ipsum ostendit. Hic autem, cui ferè nusquam alibi voluptas & solatium, quàm in vno Deo, & sacris litteris erat aliâ omni semorâ curâ, hoc egit, vt resumpto pristino docendi munere, tam in illo fratribus prodesset, quàm in diuinis scripturis se oblectaret. Qui igitur nouus iam Dei altissimi Sacerdos erat, & suas in Palæstina, in Iudæa, in Achaia, sacras primitias cunctorum datori munerum obtulerat, cùm & in natali solo suas vellet offerre, constituit præter illas incruenti & principalis ad aram maximam Sacrificij, in quibus æternum æterno Patri Filium verbis solemnibus repræsentarat, alias item primitias ex ingenij sui fœtu, aggrediendo ad Dei gloriam explicationem Euangelij S. Ioannis (quo nihil in omni Scriptura est altius atque diuinius) pro suarum facultate virium elaboratam, supremo Numini consecrare. Cuius quidem consecrationis mentionem ipsemet inducit in Præfatione tomi primi ad idem Euangelium; vbi allatâ diuisione populi Dei in duodecim Tribus, & in ordinem Leuiticum, atque ostenso cuiusque Tribus primitias, esse virgines ipsius, iuxta illud Apocalypseos, cap. 14. *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadriginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Tum ipse, conuerso ad Ambrosium suum sermone, sic ait: Apoc. 14.

*At*

S. Ambrosij Diaconi laus. *At enim, dum hæc leges*, inquit, *fortasse dices, O Ambrosi, verè homo Dei, & homo in Christo, & qui pro virili contendis esse spiritualis, nec ampliùs homo: Ecquidnam hæc sibi volunt? Audi igitur.* Deinde pergit docere, aliquos esse, qui per alios offerant primitias, & nullis ipsi fruantur primitijs; alios autem, quisimul & fruantur, & per se offerant; atque inter priores quidem censeri eos, qui sunt è populo, & vitam viuunt vulgarem; inter secundos autem eos, qui sunt sacri Ordinis, & Diuino dicati Verbo, quique in solo Deí cultu sincerè & legitimè versantur. Quorum numero postquam ipse nunc adscriptus sit, totúmque vitæ suæ ordinem atque institutum Deo dicauerit, æquum esse ad præstantiora contendentem, præstantes quoque offerre operum suorum primitias. *Quænam autem*, ait, (*nisi fortè ita existimantes fallimur*) *quænam aliæ nobis primitiæ præstantiores esse debeant, postquam à mutua inter nos consuetudine disiuncti sumus, quàm de Euangelio disputationem instituere? Etenim audebo dicere, omnium Scripturarum primitias esse Euangelium.* Ex quo igitur tempore *Alexandriam redijmus, quasnàm alias esse oportuit nostrarum actionum primitias, quàm in Scripturarum primitijs?* Et infrà: *Arbitror equidem, tametsi quatuor sint Euangelia, velut elementa fidei Ecclesiæ, ex quibus elementis totus hic constat mundus, Deo per Christum reconciliatus, cùm dicat Paullus:* Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, &c. *arbitror, inquam, Euangeliorum primitias, Euangelium esse Ioannis.* Quod & paullo pòst repetit, quibusdam interpositis ad eius probationem argumentis, dicitque: *Audeamus ergo dicere, primitias Scripturarum omnium esse Euangelium; Euangeliorum verò primitias Euāgelium à Ioanne traditum, cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui suprà pectus* IESV *recubuerit, vel acceperit à* IESV *Mariam, quæ etiā ipsius mater fiat.* His igitur atque alijs huiusmodi in commendationem Euangelij S. Ioannis in medium adductis, eius explanationem tanquam primas à reuocatione sua in vrbem Alexandrinam, Scriptionis primitias est aggressus, & quidem tomos quinque rebus in Ægypto tranquillis, absoluit; sed sexto vix inchoato, motus quidam ciuiles coorti sunt, partim à Gentilibus, vt apparet, ex odio, & persecutione fidei, partim etiam à domesticis Ecclesiæ, ex aliqua opinionum ac sententiarum diuersitate. Nam ad prius quod attinet, sunt qui referant redulcerata aduersus Origenem, postquam Athenis redijt, impiorum odia (fuit enim semper Gentilibus ac Iudæis quælibet, quamuis leuissima facti cuiuspiam suspiciò, ad premendos calumnijs Christianos sufficiens occasio) & dum iubentur ciues, seu ob salutem Imperatoris, seu propter victorias, seu quacunque alia de caussa Dijs Ægyptijs vota facere, & falsis supplicare numinibus, tum aiunt Origenem ad fanum Serapidis à Gentilibus pertractum, & raso capite pro eiusdem fani gradibus constitutum, iussúmque vt ad ritus nefarios atque Idoli adorationem ascendentibus ramulos palmarum porrigeret (nam ita se

Euangelij præ reliquis Scripturis dignitas.

Euangelij Ioannis laus.

Ex Epiphanio, hæresi 64.

ita se habent, geruntque Idolorum sacrificuli) ipse autem longè aliter, quàm sperabatur, acceptis in manus ramulis, magna voce & confidenti animo nihil prorsus nec metuens, nec dubitans, clamare cœpit: *Adeste, adeste, accipite, nō idoli ramulū, sed Christi.* Quibus dictis & Christianos in fide cōfirmauit, & ipse Diuino fultus præsidio fugâ euasit. Alia eiusdem generis egregia huius viri facta à maioribus ad posteros vario sermone transmissa sunt, per quæ non semel, sed sæpius præsentissima adijt vitæ pericula, ex quibus eum semper eripuit ille Dominus, qui sua vnicuique definiuit vitæ mortisque tempora; quæ vt præterire non licet, sic anteuenire est nefas. Iam porrò quod ad alterum spectat aduersus Origenem turbarum caput, quod ex opinionum discordia natum est, id digresso iam ex Ægypto propter priorem procellam Origene, videtur accidisse: nimirum quòd eo absente liberiùs vellicare ipsius scripta, seu ab æmulis, seu ab inuidis cœpta sint, & ab vtrisque Demetrius ad nouarum quarundam opinionum reprobationem incitari; quibus ille commotus nouas aduersus Origenem litteras circumquaque miserit, tam noua facientes vulnera, quàm refricantes antiqua. Nam distinxisse ipsummet Origenem vtrumque hoc tempus istorum motuum, ex ijs verbis colligi datur, quæ post eorum aliquantam compositionem ac sedationem, resumens intermissum opus in Ioannis Euangeliū, ita tomo sexto præfatus est: *Iam inquit, ad quintū vsque tomū, quamuis aduersari nobis videretur Alexandriæ procella, persecuti sumus ea, quæ nobis à Deo concessa sunt,* IESV *increpante ventos & vndas maris. Ex hoc casu progressi, extracti sumus ex Ægypto, Deo nos liberante, qui eduxit populum suum ex ea.* Atque hæc ad persecutionem ab hostibus fidei, & ad eius ex Ægypto fugam creduntur pertinere: illa autem, quæ proximè & continenter subiunguntur, ad discordiam & alienationem Demetrij; & sunt hæc: *Deinde,* inquit, *inimico aduersus nos acerbissimè pugnante, per suas nouas litteras reuera Euangelio inimicas, omnesq; Ægypti ventos aduersum nos concitante, ipsa me ratio stare potiùs ad certamen hortabatur, ac præstantiorem mei partem conseruare, quàm importunè id, quod è scriptura restabat, priùs coniungere, quàm rationis discursus tranquillitatem reciperet, ne fortè prauæ cogitationes vsque eò inualescerent, vt in animam quoque meam tempestatem inducerent. Quin & velocium, qui mihi adesse soliti erant, scriptorum absentia impediebat, quò minus ea, quæ cogitarem, mandare litteris possem: nunc verò, postquam ignitæ contra nos sagittæ, Deo illas exstinguente, multùm inanes factæ sunt, & anima nostra intentas mihi propter cæleste verbum insidias faciliùs ferre assuefacta est, velut aliquātulum nacti serenitatis, nihil plus differentes cupimus ea dictare, quæ restant. Deum proinde magistrum imploramus, vti in animæ nostræ intimo penetrali præsens adsit, dicendaq; insonet, donec tota tādem huius enarrationis in Euangelium Ioannis structura finem accipiat. Atque vtinam preces nostras exaudiat Deus, quò possimus aliquando totius operis corpus absoluere, nec vlla*

*Origenes diuinitus multis ereptus periculis.*

*Origenis verba de sibi aduersantibus.*

*Pietas Origenis.*

*poſthac ſacram Scripturæ ſeriem intercipiat interrumpátue neceßitas.* Hactenus verba Origenis de motu Alexandriæ, & per Ægyptum operâ Demetrij contra ſe excitato, ſimúlque de opere in Ioannis Euangelium ex cauſſa tumultus interrupto, poſt tumultum reſumpto; quo de opere dicetur poſtea ſuo loco ampliùs. Iam enim de alijs operibus Alexandriæ, ante egreſſum ex Ægypto, exaratis, priuſquam ad alia tranſeamus, breuiter adiúgendum eſt. Eodem igitur tempore, quo dictabat in Euangeliū Ioannis, ſimul dictabat cōmentarios in Geneſim, ſimul in pſalmos, ſimul in lamentationes Ieremiæ, ſimul quoque ſcribebat libros *De Principijs*; ſimul componebat libros Stromatum, quos decem numero edidit. Quæ omnia celeribus librarijs ab eius ore continuò dictantis viciſſim excipientibus Alexandriæ in lucem emiſit, imperantibus partim Antonino Heliogabalo, partim eius ſucceſſore Alexandro Seuero; quamuis ea non integrè (exceptis fortè Principijs & Stromatis) ibi abſoluerit, ſed demum Cæſareæ Palæſtinæ, cùm illuc domicilium & ſcholam Catecheſeos, vt breui poſtea explicabitur, tranſtuliſſet.

*Libri Alexandriæ compoſiti ab Origene.*

# CAPVT XIII.

*ORIGENIS ANTIOCHIAM SYRIÆ, A Mammæa Alexandri Seueri Imp. matre, eruditionis ſacræ gratiâ euocatio, commoratio, fructus egregij.*

QVANDOQVIDEM ad Alexandri Seueri Imperatoris peruenimus tempora (cuius imperium cœpit ab anno poſt Chriſtum natum circiter ducenteſimo vigeſimo quarto, & proceſſit vſque ad ducenteſimum trigeſimum ſeptimum) quidnam & quantum ad eiuſdem Imperatoris verè regiam inſtitutionem contulerit hic noſter Origenes, videtur minimè prætermittendum. Nam tantum certè effecit, vt nullus, ad illud vſque tempus, præteritorum Imperatorum tam ſapienter, tam moderatè, tam caſtè, tam iuſtè, tam fortiter, liceat etiam addere, tam piè atque Chriſtianè (tametſi non penitus & omnino fortè Chriſtianus) Romanum adminiſtrauit imperium. Atque hoc quidem ex his certò conſtare poterit, quæ etiam ex ipſorummet libris Gentilium breui pòſt producturus ſum, nunc autem qua via in illius animum doctrina Chriſti per Origenem aditum inuenerit, paucis expediam. Huius ergo Imperatoris mater, Mammæa nomine, magni ſagaciſque ingenij femina, cùm de lege Chriſtiana, ſanctiſque Chriſtianorum moribus inaudiſſet, eius cognoſcendæ legis cupida, deinde & perdiſcendæ cupidior, primò quidem in Syria filiolo eius tunc admodum paruulo, prima fidei elementa

*Mammæa Alexādri Seueri Imperatoris mater Origenis diſcipula.*

elementa delibauit; quorum sapore capta, & suaui insuper virtutum odore pellecta plenius perfectiusque instrui cùm cuperet, intellexit vnum è primis, qui tum clari habebantur Ecclesiæ doctoribus, præcipuè celebrari Origenem. Tum illa hominis videndi, & experiendæ eius in Diuinis rebus sapientiæ, quæ cunctis erat admirationi, perquam auida, misso militari satellitio, ipsum Antiochiam Syriæ, vbi tum vnà cum filio degebat, ad se accersiuit. Ipse igitur illò profectus & non modico tempore apud illam commoratus, plurima, tam illi, quàm filio iam regnanti, aut mox regnaturo (suscepit enim Imperium anno ætatis decimo-sexto, cùm Cæsar superiore anno creatus fuisset) in primis necessaria, & quę ad Dei gloriã facerẽt, ac Diuinæ doctrinæ virtutem commonstrarent, præcepta tradidit. Quibus adolescens Imperator imbutus, & matris Christianæ consilijs semper acquiescens, plus intra annos tredecim, quibus habenas tenuit Imperij, verarum ac regiarum virtutum vnus ostendit, quàm omnes retrò Imperatores annis omnibus. Ac modestiam quidem suique notitiam toties ac tantopere in Christi schola sub humilitatis nomine commendatam, cùm in ipso Imperij ingressu variè ab omni Senatu tẽtaretur, vt illustria nomina seu Antoninorũ, seu Alexandri Magni reciperet, hisce omnibus fortiter repudiatis, constantissimè retinuit. Cùm enim illum septies iteratis acclamationibus Antoninum vocitassent, ipse itidem septies, hoc est, post singulas acclamationes, se illa indignum appellatione reclamauit, caussasque repudiationis adiecit, demúmque vicit. Post hoc acclamatum est: *Magne Alexander, Dij te seruent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe. Magne Alexander, Dij te seruent.* Quibus ille: *Facilius fuit Patres conscripti*, inquit, *vt Antoninorum nomen susciperem (aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis Imperialis) Magni verò nomen cur accipiam? Quid enim tam magnum feci? cùm id Alexander post magna gesta, Pompeius verò post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur, venerandi Patres, & vos ipsi magnifici vnum me de vobis censete potius, quàm Magni nomen ingerite. Posthæc acclamatum est: Aureli Alexander Auguste, Dij te seruent, & reliqua ex more. Dimisso Senatu, cùm & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit, multò clarior visus alienis nominibus non receptis, quàm si recepisset; atque ex eo, constantiæ ac plenæ grauitatis famam obtinuit; siquidem vni adolescenti Senatus totus persuadere non potuit.* Ita in eius Vita Ælius Lampridius scriptor Ethnicus; qui & post nonnulla addit: *Et cùm puer ad Imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre, vt illa videretur pariter imperare, mulier sancta, sed auara, & auri atque argenti cupida.* Sic ille. Adeò verum est, quod cõmunis spargit sermo: Nullum frumentum esse sine palea. Verùm ego quidem probabilius esse existimauerim id, quod à sancta femina de ludorum & spectaculorum immensis sumptibus ad pauperum alimoniam diriuatum fuit, hoc à Scriptore Gentili non parsimoniæ & charitati erga proximos,

*Origenis in Syriam profectio.*

*Alexandri Seueri Imp. humilitas Christiana.*

*Ælius Lampridius in eius vita.*

*Magni nomen, qui bus datum sit, & ob quæ fuerit.*

sed auaritię ac cupiditati attributum esse. Quærens porrò idem auctor ad extremam eiusdem Alexandri vitam, quidnam hominem Syrum, & alienigenam, tam bonum Principem fecerit, existimat tria ad hoc concurrisse: bonam eius indolem, matris consilia, & amicos ac familiares probos. *Alexander quidem*, inquit, *& ipse optimus fuit; & optimæ matris consilijs vsus est; ac simul amicos sanctos ac venerabiles habuit.* Sunt hæc quidem vera; sed omnium sanè plurimum contulit tam ipsi Imperatori, quàm matri eius Mammææ cognita & obseruata Religionis Christianæ, quam à nostris hominibus, ac præsertim ab Origene hauserant, sancta & salutaris disciplina. Cuius quidem disciplinæ vestigia, quamuis apud eundem Scriptorem exstent non pauca, multò tamen exstitissent plura & distinctiora, si Christianus ipse fuisset, & non Gentilis; aut si vitam illam ad Principem Catholicum, & non ad Diocletianum, nationis Catholicæ acerbissimum persecutorem, destinasset, dedicassetque. Nam vbi dicit: *Iudæis priuilegia reseruauit, Christianos esse passus est*; plus sanè aliquid dixisset. Neque enim passus est tantùm esse Christianos, sed & coluit illos & cùm occasio fuit, etiam res eorum non mediocriter promouit. Certè adeò se studiosum fautorémque Christianorum præstitit, vt Gẽtilium cauillationes, & conuitia, præsertim Antiochensium, & Alexandrinorum non effugerit. Quippe quem modò Syrum Archisynagogũ, modò Principem Sacerdotum, ad contumeliam appellitarint. Quarum origo cauillationum inde profecta credi potest, quòd vtrumque legisse litterarum sacrarum Instrumentum, nonnullaque indidem & dictis & factis præcepta atque iudicia vsurpare, ipsisque fauere impensiùs Christianis videretur. Nam quod nouo exemplo lenonum vectigal, & meretricũ, & exoletorum, in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphiteatri, & ærarij deputauit; censeri potest ex lege Moysis occasionem desumpsisse. Ibi enim dicitur: *Non erit meretrix de filiabus Israël; nec scortator de filijs Israël; non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voueris; quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Cùm autem didicisset idem Imperator seu è lectione sacrorum librorum, seu ex auditione consuetudinis Christianorum, quanta ipsi diligentia ad Episcoporum atque Sacerdotum electionem accederent, quóve pacto propositis populo eligendorum nominibus, in eorum mores & vitam inquirerent, ne quis forte in tantam dignitatem indignus eligeretur; ipse quoque in Præfectis ac Præsidibus prouinciarum eligendis, id sibi imitandum duxit; quemadmodum de ipso perscripsit idem vitæ eius enarrator: *Vbi aliquos, inquit, voluisset vel Rectores prouincijs dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est, Rationales ordinare; nomina eorum proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebat graue esse, cùm id Christiani & Iudæi*

*Imperatorem p obuum quæ faciant.*

*Deut. 23.*

*Electio Episcoporũ qua diligentia fieret.*

*Lampridius in Alexandro Seuero.*

*Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita*. Sic ille. Cauendum proinde est, ne fieri aliquãdo desinat à Christianis, quod ad ipsorum imitationem factum videmus ab Ethnicis. Iam verò illud, quod in ore frequentissimum habuit, à nemine faciendum esse alteri, quod sibi nolit fieri, totum ex nostræ Religionis disciplina est. Qua de re ita scriptor ille modò laudatus: *Si quis de via*, inquit, *in alicuius possessionẽ deflexisset* (loquitur autem de militibus in expeditionem procedentibus) *pro qualitate loci, aut fustibus subijciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condẽnationi, aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumelijs, cùm diceret: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabatq́; sæpius, quòd à quibusdam siue Iudæis, siue à Christianis audierat, & tenebat, idq́; per præconem, cùm aliquem emendaret, dici iubebat*: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Quam sententiam vsque adeò dilexit, vt & in palatio, & in publicis operibus præscribi iuberet*. Sic ille.

*Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.*

Quin & litem inter Christianos & Gẽtiles de certi loci possessione exortam diremptururus, non obscurè innuit, secũdùm illos iudicando, magis sibi istorum probari religionẽ, quàm horum vanã superstitionẽ. *Nam cùm Christiani quendã locum* (verba sunt eiusdẽ Auctoris) *qui publicus fuerat, occupassent; contrà popinarij dicerẽt sibi eum deberi; rescripsit melius esse, vt quomodocunque illic Deus colatur, quàm popinarijs dedatur*.

*Lis inter Christianos & Gẽtiles de loci possessiõe coram Alexandro Seuero Imp.*

E quibus verbis non desunt, qui coniectent locũ illum fuisse eum, qui tẽpore Augusti Imperatoris appellabatur *Taberna meritoria*; eratq́ue trans Tiberim, vbi è terra erupisse oleum, totóque die fluxisse, insigni miraculo, & aduentus Christi presago, creditũ est.

*Taberna meritoria Romæ quæ fuerit.*

Hunc igitur locũ iam desolatum Christiani exstruendo tẽplo ad perpetuandã veteris miraculi memoriã appetebãt; è cõtrario, popinarij; quòd publica olim taberna fuisset, tanquã sui iuris vindicabãt. Sed Christiani cùm ab Imperatore impetrassent, erecto ibidem Beatissimæ Virginis tẽplo dedicarunt: Quod tẽplum S. Callistus, tum Pontifex, consecrasse fertur.

*S. Mariæ tẽplum trans Tiberim.*

Sic enim de illo in Codice de Romanis Pontificibus: *Hic fecit ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim*. Nullius autem alterius templi, illâ Callisti Papæ, & Alexandri Seueri Imperatoris ætate conditi vsquam mentio aut memoria repẽritur. Et in hoc, de quo loquimur, etiam foramen illud ostenditur, ex quo emanasse iam dictum oleum prædicatur. Neque verò permisit tantùm hic Imperator templum istud ædificari. sed & ipse vnũ Christo cõstruere, eũque inter Deos recipere voluit; cuius quoque effigiẽ in Sacrario suo habuit, vbi rẽ Diuinã horis matutinis faciebat. Cur autẽ non effecerit, an ob superuenientia bellorũ impedimenta, an quãcùmque aliam ob caussam, incertum est: sed hòc certissimũ, plurimas eum virtutes Christianas, si non ad viuum repræsentasse, certè factis consimilibus egregiè adumbrasse; ac potissimùm in præstandis modestiæ simul ac charitatis fraternæ operibus, *dum ægrotantes ipsemet per tentoria milites etiam ad vltimos visitaret, & carpentis veheret; & omnibus necessita-*

Misericordiæ opera. *tibus adiuuaret; ac si fortè grauiùs laborarent, per ciuitates & agros patribus familias hominibus, & sanctioribus matronis distribueret, reddens*

Lampridius ibidem. *impendia, quæ fecissent, siue conualuissent illi, seu periissent.* Ita Lampridius. Quibus in factis, an non illam Euangelici Samaritani plenam misericordiæ pietatem videtur expressisse, qui hominem dispoliatum, conuulneratum, semiuiuum, derelictum, atque à prætereuntibus Sacerdote & Leuita neglectum, misericordia motus accessit, vulnera alligauit, oleum ac vinum infudit; & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius gessit: *& altera die protulit duos denarios, & dedit*

Luca 10. v. 34. *stabulario, & ait: curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* Sunt & alia eiusdem Imperatoris ducta ab Euangelio imitamenta. Nam quod à Domino dictum est: *Bene facite his, qui oderunt vos*, in eo viro est imitatus, quem affectatæ tyrannidis conuictum ad se acciuit, & participem imperij fecit. Ouinius Camillus ei nomen erat, è familia antiquissima. Rem fusè describit idem, qui suprà; Lampridius. Hanc autem præclaram Christianarum virtutum

Castitatis exemplum admirabile. doctrinam suscepit Alexander à matre; mater ab Origene. Pudicitia quoque, rara in imperio virtus, non aliunde huic Imperatori, quàm ab ijsdem institutoribus per Dei gratiam venit. Cùm enim inter impuros purè viuere, præsertim adolescentem, & nobilem, & delicijs circumfluentem, instar sit miraculi, ipse ab Heliogabalo Imp. impurissimo adoptatus, & Cæsar à Senatu dictus, semper illibatam retinuit, quam patri exosam non ignorabat, puritatem. Quo autem id pacto in aula præsertim Heliogabali, hominis omni libidinum genere contaminatissimi, potuit? Nempe admirabili matris Mammææ diligentia; omnem impuris homi-

Matris cura pro filij castitate. nibus aditum ad adolescentem filium præcludente. Ita Heliogabalus Imperator, & Alexander Cæsar, planè contrarijs inter se extiterunt & studijs, & moribus. Studia illius dicenda non sunt, quia nefanda; & huius tacenda non sunt, quia sacra & omni præconio dignissima, quæ mox saltem ex parte referentur. Fecit porrò tanta diuersitas, vt Imperator Alexandrum Cæsarem, virtutum eius impatientia, immani odio prosecutus sit, sæpe insidias ei struxerit, omnémque mouerit lapidem, quò & Cæsaris nomen illi abrogaret, & vitam, si posset, auferret; omninóque abstulisset (quippe missis ad eum sæpe percussoribus): nisi & piæ matris cura, & militum prætorianorum propensus in Cæsarem fauor obstitissent. Hi enim Alexandrū occidere iussi, pessimū Heliogabali iussum in ipsiusmet caput conuer-

Castitatis opera. terunt, atque in latrinam fugitiuum; ibidem iusto Dei iudicio monstrum fœdissimum trucidarunt. Iam autem ex Alexandri castitatis studio, multa in publicum bona emanarunt; & ista nominatim, quòd pleno potitus imperio mox eiectis ex aula omnibus impuris Heliogabali asseclis, fecerit è prostibulo turpissimarum voluptatum, velut quoddam pudoris & continentiæ sacrarium; neminémque ingredi voluerit, edictóque cauerit,

 nisi

nisi qui se innocentem nosset; quòd matrem, & vxorem suam à famosis mulieribus salutari vetuerit; quòd balnea mixta, quæ Heliogabalus introduxerat, sustulerit; quòd luxum in vestibus, in epulis, in rebus alijs, ad modestiæ normam reuocarit. Atque in his quidem eâ re paullò longior fui, quòd harumce laudum in medio positarum pars longè maxima Origeni, Alexandri Imperatoris, & Mammææ matris instructori, accepta secundùm Deum referenda sit, & in ipsius quoque haud paruam redundet Christianæ religionis (quæ talia docet & facit) commendationem. Nunc ad ea transibimus, quæ Origenes, translato in vrbem Cæsaream domicilio, ibidem peperit matri Ecclesiæ insignia heroûm decora & lumina. *Aula Imperatoria expurgatio.*

## CAPVT XIIII.

### *NOBILIVM ADOLESCENTVM, industriâ Origenis, ad fidem Christianam mira & solida conuersio.*

PROPTER eum tumultum, quem Alexandriæ excitatum suprà attigimus, & propter subortas inter Demetrium, eiusdem vrbis Antistitem, & Origenem opinionum dissensiones, discessit hic ex Ægypto in Palæstinam, fixitque Cæsareæ domicilium. Huius autem dissensionis, simul & discessionis culpa, si qua fuit, vtrâ ex parte steterit, non habeo dicere. Malim equidem nullam fuisse culpam; sed vtrumque (quemadmodum olim inter Paullum & Barnabam accidit) caussas hubuisse idoneas, diuersitatis opinionum suarum & voluntatum. *Opinionum diuersitas vtrymque probabilis.* Nam ex Origenis ab Ægypto in Palæstinam transitu tanti emanarunt fructus, & tam manifesti, tàm in Palæstina, quàm in Ægypto, vt tanti fuerit caussam interuenisse discessus. Nam digresso Alexandria Origene, alij illic supererant viri virtute ac doctrina præclari, & illi quidem Origenis discipuli; atque ad præstandas magistri vices tam apti, vt haud multum desideranda iam esset eius inibi præsentia. Hi autem fuerunt Heraclas, cuius antè facta mentio; & Dionysius Alexandrinus; quorum ille mox in Origenis locum successit, & Dionysius in Heraclæ; ambo tam illustres, quà nomine eruditionis, quà sanctitatis, vt alter alteri in Alexandrino Patriarchàtu postmodum successerint; Dionysius Heraclæ, Heraclas Demetrio. Qui Demetrius paucis annis ab Origenis ex Ægypto discessu, è vita excessit. Atque vt claritas Heraclæ, eius successoris, agnoscatur; Iulius Africanus, celebris ille historiarum scriptor, se eius famâ nominis excitatum, Alexandriam videndi ipsius caussâ venisse sit professus. *S. Heraclæ discipuli Origenis claritas.*

 Nam

Nam de Dionysio (quia eius vitam iusto volumine complexurus sum) nihil hic sepatatum dicam, nisi necessariò. Isti igitur atque alij complures Origenis discipuli, sed isti duo præcipuè, ita eius supplere locum in Catechesi, atque in omni litteratura poterant, vt non expediret, tam insignes magistros vni simul inhærere loco, sed ad maiorem, & plurium vtilitatem, vel illos, vel illorum magisttum Origenem aliò demigrare. Quòd autem sors demigrationis in Origenem ceciderit, Diuinæ fuisse dispensationis ac prouidentiæ, consecuti felicium rerum euentus planissimè ostenderunt. Nam qui concursus Alexandriam, præsente illic Origene, fieri soliti erant, ijdem Cæsaream, ipso ibi docente, fieri cœpti sunt; vt loci duntaxat facta mutatio, non multitudinis atque confluxus videretur; sic tamen, vt nihil Alexandriæ decederet, sed tantùm vt Cæsareæ, & vicinioribus ibi regionibus plurimum accederet. Qui enim ex omni Syria, Ponto, Cappadocia, alijsque finitimis populis nomen eius aure tenus acceperant, illum autem non viderant, nec eruditionis sapientiæque experimenta ceperant, nunc eius præsentiæ compotes facti, & longè plus quàm fama distulerat, coràm agnoscentes, mirum quanti eum fecerint, quantos ad ipsum concursus concitarint. Ipse autem Origenes omnia ad Dei gloriam referre, & propter vnum Christum omnia omnibus fieri, tanquam Gentilis cum Gentilibus, tanquam Iudæus cum Iudæis, cùm nec Gentilis esset, nec Iudæus, sed his atque illis, saluâ Christi lege & honore, sic se accommodaret, atque ipsorum animos beneuolentia, humanitate, omníque officij genere ita deuinciret, vt morum dulcedine, & mira eruditionis varietate capti, non quirent postea neque inductis ab eo de fide sermonibus contradicere, neque superiectis rationibus validissimis reluctari. Anhelabat porrò ipse ante omnia nobilium atque egregiorum ingeniorum ad fidem conuersiones; quod vel pauca huiusmodi, aliorum semina essent plurimorum. Et si quos ex illis adolescentes necdum prauis moribus corruptos, & amantes litterarum nactus esset, hos præcipua cura fouebat; his vtriusque Philosophiæ præcepta tradebat; nec à se, quantum in ipso erat, nisi Christianis imbutos Sacramentis dimittebat. Tales fuerunt inter cæteros Theodotus, idem & Gregorius post appellatus, qui Neocæsareæ in Ponto postea Episcopus fuit, atque à prodigiorum magnitudine iuxtà & multitudine Thaumaturgus nominatus; & germanus eius frater Athenodorus, itidem deinde Episcopus, & præterea Martyr; in quos adhuc Gentiles, & ætate florentes, ac generis nobilitate claros Cæsareæ cùm incidisset Origenes, peregrinósque agnouisset, illis perbenignè salutatis, Qui genus? vnde domo? inquit. His autem respondentibus, quæ & res ipsa, & hominis dignitas exigebat, statim Origenes (vt erat ingeniorum mirè perspicax) bonæ indolis ingenuitatem coniectans, & animi amplectens sinceritatem, apud se inuitat; vrget etiam, precatúrque ex verecundia recusantes: illi autem tantam ipsius erga extraneos atque incognitos beneuolentiam atque hospitalitatem plurimùm

*Cõcursus ad Originẽ Cæsaream eũtium.*

*Gregorius Thaumaturgus vnà cum fratre ad Philosophiam ab Origene pellectus.*

mùm demirari, tandémque capta fiducia ei cedere, & sponte oblato hospitio vti. Satis hoc fuit, vt caperentur; & verè capti sunt. Nam eius deliniti sermonibus blanda amicitiæ suadela perfusis, & cælestis sapientiæ sale conditis, in retia eius perducti, nequaquam expedire se potuerunt; tametsi vellent, & conarentur, donec, qui ceperat, Origenes opimè & optimè saginatos, hoc est, integro quinquennio litteris sacris & profanis eruditos, Christíque pane pastos, in patriam, vt pòst ampliùs explicabitur, dimisit. *Quinquennio ab eo est eruditus.* Tendebant alioqui Berytum, vrbem Phœniciæ, ad studia iuris legúmque Romanarum, quò possent aliquando in patriam reuersi agendis in foro caussis inter Aduocatos excellere; nec quidquam de adeunda Cæsarea, nedum de tam longa inibi commoratione, qua illos Origenes detinuit, cogitare. Sed attribuit ipse Gregorius hoc omne iter Diuinæ prouidentiæ, Angelóque suo Custodi, qui illos ad eum virum adduxerit, à quo veram salutis viam addiscerent. Erant enim tum fidei Christianæ rudes prorsus & ignari; quippe in vrbe nati, vbi vix vlli (& fortè omnino nulli) ea tempestate erant Christiani: siquidem multis pòst annis creatus ipsemet Gregorius in eadem vrbe Episcopus, tantùm septemdecim reperit in ea Christianos. Cùm igitur Origenes istorum duorum maximæ spei adolescentum, ad Christi fidem adducendorum ingenti studio teneretur, sciscitandóque intellexisset, litteris humanioribus nauasse hactenus operam, iuríque priuatim condiscendo, *Quid igitur*, inquit, *Philosophiæne rudes estis? Atqui hoc est studium, quod vel maximè vobis est necessarium; & sine quo ars quælibet alia perfectè percipi nulla potest. Hæc est, quæ rationem, quâ potissimè à ceteris diuidimur animantibus, expolit perficítque. Hæc est, quæ viam inueniendæ & astruendæ veritatis (quâ vna re quid nobilius præstabiliúsque esse possit?) solerter exactéque docet. Hæc est, quæ argumenta detegendæ falsitati, & arma destruendo errori copiosè affatimque suppeditat. Hæc est, quæ sola naturas rerum, caussas, proprietates, effectus rimatur, attingit, disserit, commonstrat: denique quod Sol in cælo, hoc Philosophia est in animo. Quemadmodum enim ille lucem cum astris omnibus, ita hæc lumen ac splendorem cum cunctis communicat artibus; vtque ille sua solius præsentia circumfusas aëri tenebras omnes dispellit: ita hæc omnem menti obductam ignorantiæ caliginem suo vnius interuentu abstergit, dissipátque. Nam homines absque Philosophiæ cognitione reuerà cæcos esse, atque in densissimis errorum vitiorumque tenebris ambulare, nec se nec alios, nec omnino quicquam nosse; hinc & sæpenumero fieri, vt bonum pro malo, malum pro bono habeant; vt amicos inimicorum loco ducant, inimicos in amicorum numero ponant; vt quisquilias & nihili res (more puerorum pappos volantes insectantium) tanquam res magnas ac pretiosas toto anhelitu persequantur, vt & pro illis litigent, ac ritu feminеo clamores edant, & subinde ad manus veniant, nec rarò vitam ipsam (cuius caussâ tam insanè hæc aucupabantur) cum illis vnà amittant. Solos proinde Philosophos rerum pretia & verum*

*Verba Origenis à S. Gregorio Thaumaturgo eius discipulo relata.*

*Philosophiæ laus egregia.*

*Solis & Philosophiæ similitudines.*

*valorem in seipsis attendere; solos sui notitiam (quæ omnis fructuosæ cognitionis ac scientiæ basis ac fundamentum est) possidere; ex hac, ipsos suo se* *Cognitio sui quam necessaria.* *pede metientes, neque altiora se affectare, neque indigna se quærere; unam rem dumtaxat magnam existimare, & magni facere, Virtutem; unicam item maximã,* DEVM; *ad huius honorẽ & gloriã referre, facere, & pati omnia.* Hæc, & alia huiusmodi, vno die, altero, tertio, pluribus cùm disputaret Origenes, simúlque nonnulla ipsis explicaret, & eorundem atque aliorum, quæ summatim proponebat perfectiùs condiscendorum sitim quandam ingeneraret, eò tandem illos deduxit, vt crescente in dies alia atque alia intelligendi auiditate, iam & sui Berytum itineris prosequendi obliuiscerentur, & retrò in patriã remigrandi amorem sensim amitterent. Denique ipsum quinquenniũ, vt antè indicaui, illos apud se detinuit; quo toto tempore & omnẽ eos Philosophiam edocuit, & Christo lucrifactos, legísque Diuinæ præceptis egregiè imbutos, demum in patriam remisit; vbi haud multis pòst *Discipuli in magistrum gratissimi exemplum.* annis ad suscipiendas in Ponto ecclesiarum præfecturas, etiam admodum iuuenes rogati, immo adacti sunt. Noluit tamen Gregorius ab Origene priùs abscedere, quàm illi habita publicè in consessu suorum æqualium oratione gratias egisset, atque ad iter auspicatò suscipiendum benedictionem ab eodem accepisset. Habemus enim hodiéque hanc ipsam orationem in manibus Græcè, vti tum habuit, editam & Charisteria, seu orationem *actionis gratiarum*, appellatam; vnde & istam Philosophiæ laudem, proximè in medio positam, desumpsimus, & vnde alia non pauca in vitam ipsius S. Gregorij Thaumaturgi seorsum edendam inferemus. Eodem porrò tempore, quo hi duo fratres Cæsareæ capti sunt, haud dubium, quin & alij complures nobis ignoti in eiusdem piscatoris hominum retia, & Ecclesiæ sagenam incurrerint; sed horum duorum instar sexcentorum, præcipua in sacris fastorum monumentis, viuit vigétque memoria; aliorum autem mentio alibi erit. Nam Maximini tyranni grauis ingruit infestatio, quæ res istas pacis interrumpit, & aliò sermonem abstrahit. Igitur quid iste Religioni nocuerit Christianæ, quid contrà, ipso inuito eidem profuerit Origenes, ordine temporum inuitante prosequemur.

## CAPVT XV.

# CAPVT XV.

*MAXIMINI TYRANNI IN CHRISTIanos, ac nominatim in Origenem, odium & perſecutio; & contrà, Origenis pro fidei doctrina illuſtranda, inſigne ſtudium.*

CVM toto Alexandri Seueri Imp. principatu mirificè effloruiſſet Chriſti religio, & fructus tranquillæ pacis tredecim annis in Eccleſiæ horrea collecti, opum ſpiritualium permagnam ſpem oſtenderent, & præſertim dum Mammæa penitus Chriſtiana, & filius Imperator ſemi iam eſſet Chriſtianus, & aula ipſa non paucis augeſceret viris Chriſtianis; ecce ſubitò inuidiâ Diaboli turbo immanis exſurgere, & eiuſdem maligni flatu Maximinus, homo Thrax natione, & perquàm trux moribus, ad inuadendum Imperium, & ex eo pellendum *Maximinus* ſumma ingratitudine illum, à quo maximè promotus ad militiæ honores *Imp. qui, cuias, & qualis* fuerat, à Dæmone ſuſcitari. Eſt igitur iſtius peſſimi tyranni impulſu op- *fuerit.* timus obtruncatus Imperator, anno ætatis ſuæ vigeſimo nono; & cum *Alexandri* eo ſimul mater Mammæa; & vnà cum illis, magnum Eccleſiæ præſidium. *Seueri Imp.* Nam idem Maximinus, inuaſo præter Senatus auctoritatem, (quod nullus *mors.* dum fecerat) Imperio, ſtatim ad eorum necem graſſari cœpit, qui è fa- *Perſecutio* milia Auguſta erant, & præſertim Chriſtianorum, contra quos, & ſpecia- *Chriſtianorum.* tim contra Epiſcopos ac Presbyteros perſecutionem mouit. De quo perſecutore ita diſtinctè perſcripſit Paullus Oroſius, S. Auguſtini hortatu eam *Oroſius lib.* hiſtoriam adortus: *Qui Maximinus*, inquit, *maximè propter Chriſtianam* *7. cap. 19.* *Alexandri, cui ſucceſſerat, & Mammææ, matris eius, familiam, perſecutionem in Sacerdotes, & Clericos, id eſt, Doctores, vel præcipuè propter Origenem Presbyterum miſerat.* Nihil tamen in Origenem, quamuis ſibi & omnibus Gentilibus maximè exoſum, peragere potuit; Diuinâ nimirum ſemper ad eius cuſtodiam aduigilante prouidentiâ, & conſtitutis ab ſe temporibus eum reſeruante. Multa enim dehinc ſummo Eccleſiæ bono facturus erat; multa in lucem præclara editurus; multa denique in corpore ſuo propter Chriſtum paſſurus; quæ ſuis locis omnia percurremus. Hic autem, de quo nunc ſermo eſt, Imperator Maximinus, tàm ab anteceſſore ſuo Alexan- *Maximinus* dro diuerſus fuit, vt quàm expetitus à Romanis ad Imperium Alexander *quam Romanis exoſus.* fuerat, tam hic iiſdem propter cognitam immanitatem odioſus ac deteſtabilis foret; adeóque cùm in Germania militans Imperium arripuiſſet, cuncti publicè priuatímque preces ac vota funderent, ne vnquam Vrbem videret; quippe à quo audierant (vt ſcribit Capitolinus in Maximino (alios in cru-

in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos, atque omnia hæc sine vllius respectu dignitatis. Quidnam igitur hoc monstrum in Christianos patraturus erat, si diu regnasset, qui talia in Gentiles designauit? Sed totum ille triennium non impleuit. Sub quo tamen, præter alios innumeros, duo summi Pontifices, Pontianus primò, deinde Anterus successor, inter illius tempestatis Martyres recensentur. Quibus accessit inclyta inter Virgines Barbara, ingenij naturæque dotibus præstans, & ad fidei cognitionem firmitatémque ab Origene adducta & adiuta. Erat hæc virgo natione Bithyna, vrbe Nicomediensis, ortu & stirpe Ethnica, Poëseos & eloquentiæ (vt erat nobilium adolescentularum ea tempestate cupiditas) perquam studiosa, & discendi legendíque auida: quæ dum ea expenderet, quæ in celeberrimis Poëtis de Deorum numero factísque lectitabat, cœpit ipsa secum diuiniore instinctu Spiritus incertas incõstantesque eorum opiniones animaduertere; tum etiam iniqua, nec Deos decentia facta (quæ tamen illorum primoribus attribuebantur) considerare, sicque ab illorum æstimatione sensim dilabi, ac propiora verò illa arbitrari, quę Orpheus de vnico Deo, postremis vitę suę temporibus filio suo Musæo concredidit, quàm ea, quæ olim de multis Dijs vulgò cecinerat. Denique cùm veri Dei cognoscendi ardor animum eius in dies magis magisque inflammaret, atque hominem, à quo plenius erudiretur, inquireret, rumor tandem Nicomediam, atque ad ipsius Barbaræ aures peruenit, quemdam Alexandriæ virum esse, Origenem nomine, qui virtute ac sapientia longè ceteris hominibus anteiret; quique vnicum esse verum Deum certis atque euidentibus argumentis commostraret, adeòque idolorum omnium vanissimam vanitatem in omnium oculis defigeret. Quibus illa auditis ingenti gaudio exultare, & si quo pacto eius haberi copia posset, cogitationes omnes in animum aduocare; tandem sedit per certum hominem mentis suæ indices litteras eidem Origeni mittere, quarum Græcè scriptarum tàm inscriptionis, quàm argumenti hæc ferè fuit sententia: *Viro Alexandrino, animi nobilitate longè celeberrimo, Origeni, Barbara Nicomediæ, ancilla sua. Auditu accepi te eximium esse veræ Diuinitatis ostensorem; id quod desiderij mei & honor & decus est. Nam ad veri Dei notitiam peruenire iam pridem concupiui, & nunc summè concupisco. Quare optimâ nominis tui famâ, & virtutis existimatione impulsa, tibi, venerande Pater, mentem meam hisce litteris aperiendam censui: nihil mihi magis cordi esse, quàm vt Deum cognoscam, quem tibi perfectè cognitum noui. Supplex igitur te rogo, vt ignorantiæ meæ noctem dispellas, & hoc confusionis chaos ab ancilla tua submoueas, simúlque ipsum Solem iustitiæ, ac lumen discretionis in animam meam inducas.* Hæc summa fuit virginis Barbaræ litterarum. Quibus Origenes acceptis perlectísque incredibili affectus est voluptate; neque distulit, quin ad eam mox rescriberet, vnáque Presbyterum quemdam è primis amicorum, Valentinum nomine, allegaret,

*Pontianus & Anterus Papæ martyres.*

*S. Barbara ad fidem cõuersio.*

*Orphei poëtæ de vnico Deo testimonium.*

*S. Barbaræ Virginis & Mart. epistola ad Origenem.*

allegaret, virum apprimè eruditum & sanctum, qui ea, quæ litteris deessent, coràm suppleret, latiusque explanaret. Nam litteræ perbreues erant, & hunc ferè sensum continebant: *Origenes, veri Dei indignus Sacerdos, Barbaræ in adoptione filiorum Dei & Domini* IESV-CHRISTI, *Salutem. Quod ad me scripsisti, te velle verum Deum cognoscere, quisnam is sit, scire debes, Vnum esse verum Deum in substantia, & trinum in personis, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum-Sanctum. Quod qui perfectè credit, habet in se, quo ad eum pertingere valeat. Cum his autem litteris eruditissimum hunc Presbyterum ad te mitto, maxima fidei charitate mihi coniunctissimum, qui te nomine meo Religionis nostræ mysteria edoceat. Quocirca quæcunque ab eo de his e acceperis, ita habeto, tanquam à Deo, & à meipso coràm accepisses. Vale* Edocuit igitur illam Valentinus, quæcunque ei mandauerat Origenes, & egregiam Christi effecit discipulam. Quin & (quod ipse maximè optabat) Sanctissimæ Trinitatis arcanum ita dilucidauit, vt exinde deuotissimo eàm cultu prosecuta sit; & in suis quibusdam factis sibi repræsentare amauerit. Denique sic illam salutaribus pietatis Christianæ præceptis imbuit: sic aduersus omne tentationum genus armis militiæ nostræ cælestibus instruxit, ac communiuit, vt coortâ non longo pòst interuallo infestatione Christianorum, tandem duplicatam Virginitatis atque Martyrij palmam reportarit. Exstant eius acta tam Græcè, quàm Latinè, quę & sacris litteris eam ab Origene eruditam contestantur. Interiectâ porrò annorum aliquot intercapedine, cùm huius pudicissimæ Virginis, & aliorum sibi carorum martyria in Maximini persecutione intellexisset Origenes, ad librum de Martyrio scribendum se contulit, tam ad laudem eorum, qui iam emeriti essent, quàm ad illorum consolationem & gaudium, qui licèt pro Christo multa passi, in vita tamen superessent, immò etiam ad virtutis constantiæque aculeos ijs inijciendos, qui ad similia certamina, & præmia in posterum vocarentur. Hunc librum Ambrosio, & Protocteto Ecclesiæ Cæsariensis Presbytero dedicauit; propterea quòd non mediocris in hac persecutione tēpestas ambos comprehendisset; quos & præclara fidei confessione illustres tum fuisse litteris proditum est. Egerat autem de huius tempore persecutionis Origenes, partim tomo vigesimo secundo Commentariorum in Ioannis Euangelium, partim in varijs epistolis; sed epistolæ istæ iam interierunt, & tomus ille vigesimus secundus (vt quidem nunc exstat) nullum eius vestigium continet. De hoc igitur in præsentia satis: nunc tyranno illo post violenti Imperij non integrum triennium interempto, ad meliora tempora transeamus.

*Origenis Epistola ad S. Barbarã.*

*Origenis liber de Martyrio.*

* *Euseb. l. 6. cap. 21.*

*Ambrosius & Protoctetus insignes fidei Confessores.*

# CAPVT XVI.

# CAPVT XVI.

## *ORIGENIS, GORDIANO POST Maximinum tyrannum, humaniter imperante, Occupationes litterariæ, partim Cæsareæ, partim Athenis, partim Nicomediæ, reflorescunt.*

A OCCISO ex Senatus Romani auctoritate Maximino tyranno, deinde duobus Augustis, Maximo Pupieno, & Clodio Balbino (quos idem Senatus Imperatores dixerat) à milite Romano, qui parere datis à Senatu Imperatoribus dedignabatur, eodem anno interemptis, Gordianus vtrorumque & Militum, & Senatorum acclamatione & approbatione, creatus est Imperator. Annos erat natus non plus sedecim; nec amplius quàm sex imperauit. Quo sexennio pax Ecclesijs fuit, & Origeni multa scribendi & agendi opportunitas. Tum ergò Cæsareæ præter assuetas in Gymnasio, & sacris cœtibus lectiones atque conciones, etiam commentarios in Esaiam, immò in solam tertiam Esaiæ partem (nempe vsque ad visionem quadrupedum in deserto) triginta minimùm tomos absoluit: in vniuersum verò Ezechielem viginti quinque duntaxat; & horum quidem aliquam partem Athenis perfecit. Sæpè enim aliò atque aliò ab Episcopis vel negotiorum Ecclesiæ gratia, vel percipiendæ doctrinæ studio euocabatur. Sic à S. Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, magni nominis & scientiæ viro, ad suarum vtilitatem Ecclesiarum in Cappadociam est inuitatus, diúque ibidem detentus. Quin & ipsemet Firmilianus sub occasione visendorum sanctorum locorum in Palæstinam profectus, cum Cæsareæ Palæstinæ conuenit, diúque apud ipsum propter res sacras pleniùs ac perfectiùs condiscendas est commoratus. Similis igitur caussa huius secundæ Athenas profectionis (nam de priore antehac diximus) exstitisse creditur; estque sanè probabilior, quàm quæ ab aliquibus affertur, vt libros venari posset. Tamdiu porrò Athenis sedem tenuit, vt non modò suos illos in Ezechielem libros ibi absoluerit, sed etiam alios in Canticum Canticorum inchoarit, & quinque ex illis, priusquam inde digrederetur, conscripserit; quibus postea & alios quinque (nam decem numero fuerunt) Cæsaream reuersus addidit. Habemus autem & aliam eius sub hæc ipsa tempora, quibus Cæsareæ Palestinæ habebat domicilium, [b] in Bithyniam profectionem. [c] Nam Iulius Africanus, ille celebris temporum scriptor, & vir in sacris litteris apprimè eruditus, cùm certum Origenis Dialogum perlegisset, in quo Susannæ historiam & Da-

*Gordianus Imperator legitimus.*

*Commentarij Origenis in Esaiã, & in Ezechielem.*

*S. Firmilianus quanti Origenem fecerit.*

*Origenis 2. Athenas profectio.*

B.

*Iulij Africani laus & cũ Origene per*

& Danielis iudicium de inueteratis illis malorum dierum senibus, ipsam Susannam calumniantibus memorabat; cum arbitratus falsum esse animi, atque ignorasse eam narrationem, ab Hebræis è sacro Scripturarum Canone expunctam, atque inter apocrypha, & incertæ veritatis scripta computatam; ad eum Nicomediæ tunc agentem (est autem Nicomedia vrbs Bithyniæ in maiori Asia) peramicam scripsit epistolam, rationesque in ea complures attulit, quibus totum illud Danielis iudicium longè alienum esse à veritate comprobaret. Erat ipse Africanus aliquanto grandior ætate, quàm Origenes, & Legatione ad M. Aurelium Antoninum Caracallam pro instauratione vrbis Emmaus suscepta (quam & impetrauit) honoratior. Tanti tamen Origenem ab eruditionis gloria æstimauit, vt in fronte epistolæ ita eum salutârit: *Salue, Domine mi, & fili, & in omnibus præstantissime Origenes; ab Africano* Deinde Dialogum ipsum Origenis amplecti se quidem indicauit, sed in illo vnicum se mirari, quomodo latere eum potuerit, historiolam illam de Susanna nouitiam esse, atque confictam. Quod quidem ita esse, vi argumentorum multis viris doctrina claris persuasit; etiam Hieronymo, sed non Origeni. Hic enim sciens eam historiam publicè in Ecclesiâ legi solitam, & cunctis rationibus anteponens Ecclesiæ auctoritatem, vltrò eius sibi patrocinium assumpsit, & singulis Africani argumentis suas submisit responsiones sanè quàm solidas. Et erat illi animus locum illum Danielis, & sensa verborum illius eximia fusiùs atque accuratiùs pertractare; sed tantam Nicomediæ moram, vnde Africano respondendum erat, alia negotia, & vlteriùs transeundi necessitas non permittebant. Hinc vnicâ epistolâ, sed aliquantùm prolixâ contentus fuit. in qua extremâ se Ambrosij mæcenatis sui auxiliô vsum esse indicauit his verbis: *Salutat te, qui huic dictandæ epistolæ adiutor, & corrigendæ arbiter fuit, dominus meus, & frater, sanctus Ambrosius.* Digna quidem erat Origenis epistola, quæ tota hoc loco ad peruidendum hominis acumen, & adhærentem Ecclesiæ traditionibus animum exhiberetur; sed eius prolixitas deuitare admonuit fastidium, nec longiùs differre, quod iam instat, permagni iter momenti in Arabiam.

*Origenes vocatur ab Africano ob ætatē filius.*

*Ambrosius Origenis mæcenas laudatur.*

# CAPVT XVII.

## *ORIGENIS IN ARABIAM PROfectio, & vnius celebris Episcopi à religionis sinceritate aberrantis, in rectam fidei semitam per illum reductio.*

HAC ipsa, quam nunc prosequimur, tempestate, Gordiano scilicet orbis Imperium, sancto autem Fabiano totum Ecclesiæ corpus administrante, egregium omnino ac præstans opus peregit Origenes. Nam stellam, quæ de cælo ceciderat, in cælum restituit; & Angelum, qui in præceps ibat, inhibuit, & candelabrum eius, quod iam iam de loco suo mouendum erat, sustentauit. Nempe Beryllus hic erat, Bostrorum in Arabia Petræa Episcopus; qui primò quidem non modò veri Berylli, & lapidis illius pretiosi instar, qualicumque vitæ splendore fulgebat, sed etiam quasi stella, longè latéque dilucens doctis & elegantibus scriptis, scientiæ suæ radios dispergebat; quin & Petræos Arabas, petræ duritiem cordis asperitate referentes, dulcis eloquij rore respersos emolliebat, & suaui iugo Christi antehac submittebat: postea verò nescio qua mentis peruersione, velut in alium virum mutatus, & sibimet ipse contrarius, in diuersas, atque à communi sensu Ecclesiæ alienas opiniones cœpit deuergere, easque in commissam sibi plebem sensim inducere. Nam dicere & docere non est veritus, Dominum nostrum & Saluatorem Iesum non priùs in propria essentiæ suæ circumscriptione exstitisse, quàm ad homines adueniret; neque propriam habere Diuinitatem, sed solam paternam in se inhabitantem; quasi nimirum non Filius, sed Pater ipse naturam nostram assumpsisset. Ita videlicet Beryllus ille, vnus è lapidibus preciosis, in fundamento muri supernæ ciuitatis Ierusalem octauum tenens locum, & puri maris viriditate multùm commendabilis, velut amisso colore optimo, in carbonis verterat nigredinem. Ita Angelus lucis, qui verba æterni Regis gaudenti annuntiabat populo, in præconem degenerârat tenebrarum. Ita & stella, in perpetuas alioqui coruscatura æternitates, si in suo quidem persisteret loco, iam nigra, tanquam saccus cilicinus, facta erat. Quippe duæ illæ hæreses (quarum vna Christi Diuinitatem ante Christum exstitisse pernegabat; altera non Filium in Christo, sed Patrem tantummodò habitasse asserebat) hæ, inquam, duæ hæreses omnem illi vigorem fidei, omnem gratiæ pulchritudinem, colorémque ademerant. Complures igitur Episcopi tam deformem eius casum miserati, cum ipso in disceptationem descen-

*Berylli Bostrorũ in Arabia Episcopi casus & resurrectio.*

*Berilli Episcopi errores in fide, ab Origene correcti.*

*Hæreses cõtra Christi diuinitatem.*

descenderunt; sed ipse fortiter se tueri, opiniones suas argumentis in speciem probabilibus communire, aduersantium tela elidere, vel eludere saltem conabatur; & magis alios in suam trahere, quàm in aliorum abire sententiam satagebat. Denique placuit aduersus illum, & germinantem eius hæresim conuocare Synodum in Arabia; & illò etiam accire Origenem, cuius tàm apud illum, quàm apud omnes indigenas propter præcognitam & exploratam eius ingenij, vitæ, atque eruditionis præstantiam, permagna erat in omni Arabia auctoritas. Hic igitur eò profectus, Beryllum conuenit, & qua erat animi modestiâ, & humanitate, in eius se insinuans amicitiam ac familiaritatem, primò deuincire illum officijs, & aliqua inter loquendum doctrina impertiri; tum de rebus, quæ versabantur in controuersia, nonnullos miscere sermones; dein quærere, & expiscari, quid super hac & super illa re sentiat, & ea quæ sentiat, quonam pacto intelligat; qui probet, qua auctoritate fulciat; denique postquam errantem, atque errori prorsus adhærentem deprehendit, tum amicè illum orare ac deprecari, vt etiam atque etiam extra affectum, & præiudicium, quæstiones illas perinde quasi hodie primùm natæ essent, attentè consideret, perpendat, examinet, neque tantùm, quid hanc in partem afferri possit, sed etiam, quid ex altera obijci; deinde, quænam ex omnibus vndecumque allatis, Christi & Apostolorum doctrinæ viciniora; quæ receptis ab Ecclesia traditionibus conformiora; quæ ipsi rationi, & communiori doctorum ac sapientum virorum iudicio magis sint consentanea: hæc, inquam, omnia vt non leuiter & transcursim, sed diligenter ac maturè cum animo suo conferat, ac dijudicet, se orare illum ac deprecari. Nec verò ipse, quod ab amico tam amicè petebatur, abnuit, sed lubens volens præstitit. Igitur in bene præparatum pectus aditu patefacto, accessit Adamantius cum inuicta scripturæ sacræ armatura, & rationibus suis Adamantinis; hominémque suauiter ac benignè adorsus, sic cepit, sic inuoluit, vt ipse tandem vinctum se & conuictum sentiens, vltrò manus dederit, victorémque secutus sit non inuitus. Agnito igitur errore, in viam redijt, & toti Synodo, quæ propter eum conuenerat non mediocre gaudium procreauit. Nam propositiones ab ea in medio positas, tam de æterna CHRISTI DEI natura, quàm de Filij solius, & non etiam Patris incarnatione; voluntarius admisit, atque vt olim ante hanc inuidiosi ac maligni Spiritus plagam fecerat, ita deinceps tenuit defendítque; contrarias verò, vt exitiales ac perniciosas, abiecit, damnauit, exsecratus est. Conscripta fuerunt, & diu conseruata eius Synodi acta, vnà cum ipsius Berylli actis, quæ tum ipsius Origenis quæstiones ei propositas, tum etiam habitas, in eiusdem Berylli parœcia, disputationes, tum denique ea, quæ ibi tunc peracta sunt, omnia complectebantur. Si autem ad nostram vsque ætatem, qua hæc scribimus, eadem peruenerint, & lucem aliquando visura sint (quod equidem velim, &

*Synodus in Arabia.*

*Hæreticorũ ad Ecclesiam reducendorũ via præstantissima.*

*Acta Synodi Arabicæ.*

auidè exspectem ) minimè habeo exploratum. Sed insigne illius operæpretij, quod in tanti viri reductione ad vitam fecit Origenes, perhibent testimonium, partim varia eiusdem Berylli scriptorum monumenta, quæ plurimum alioqui auctoritatis deperdidissent, si non prorsus omnem: partim etiam ac potissimùm non indoctæ, nec inelegantes epistolæ, quarum aliquas ad Origenem, salutis suæ ducem, ac magistrum, plenas gratiarum misit; ad quem & suas Origenes amoris ac beneuolentiæ remisit confertissimas; quippe ad spem suam, & gaudium, & coronam gloriæ. Nam potuit quidem sanè Origenes ad eum vsurpare, quod aliquando Paul-

*1. Thessal. 2. v. 19.* lus ad Thessalonicenses: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium.* Et sanè meritò, ac iure quodam suo vsurpare potuit. Nam & hoc ipsum Iacobus, frater Domini, profitetur, cùm dicit: *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit*

*Iacobi 5. v. 19.* *à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Et quidem si de quolibet vno peccato-

*Quanti sit vel vnicum conuertere peccatorem.* re hoc dixit Apostolus, quid dicturus fuisset de Episcopo? qui non vt vnus quilibet, sed instar multorum est; & in quo vno (præsertim si doctrina, & auctoritate excellat, atque vt oculos Berylli viros sic mortales ad se trahat) non vnus ipse, sed cum illo vnà quàm plurimi ab erroribus viarum suarum conuertuntur, & saluantur. Quàm proinde felices illi, & térque quatérque beati, qui in hoc potissimùm officij genere versantur, atque in hominum ab erroribus suis conuertendorum, tam pulchro ac salutari negotio occupantur! Totus autem in hoc Adamantius noster ad extremum vsque spiritum fuit, & innumeros ab errore in viam, à tenebris in lucem, à morte, in vitam, vel duxit, vel reduxit. Sed alias eius palmas post videbimus: iam ad consuetos docendi, ac scribendi labores cum gloria remeantem, consequamur.

## CAPVT XVIII.

# CAPVT XVIII.

## *ORIGENIS AB ARABIA IN PAlæstinam reducis, & iam senis, labores egregij, & immortalia scriptorum monumenta.*

MINIME decet Doctorem Christianum labores suos aliquo definire annorum numero, neque vllo pacto conuenit, sicut in profana militia, sic in sacra, certæ cuipiam ætati vacationis tempus designare. Nam apud eos, qui Sacramentum Christo dixere, nullus potest, aut debet, quo ad quidem aliquid in corpore, aut animo restat virium, aut emeritus miles dici, aut senex otiosus appellari; sed stare semper in acie debet, & propria ætati suæ munera, vt facultas fuerit, tam constanter obire, quàm fortiter. Ita quidem sanè Origenes, vnus è primis secundùm Apostolos Ecclesiæ proceribus fecit, qui venerandam senectutem suam præclaris in lucem editis operibus longè venerabiliorem reddidit, nec ab vllis vnquam laboribus, aut muneris sui functionibus missionem petijt; quin nec admittere, dum offerretur, voluit. Adeò laboris amans, vt verè illum magnus appellare solitus erat Athanasius, fuit. Annos enim sexaginta prætergressus ætatis, duobus imperantibus Philippis, patre, & filio, multus, si vnquam aliàs, immò assiduus in docendo, concionando, disputando, dictando fuit. Nam conciones quidem plures interdum vna die habebat; cùm & id, quod supererat reliqui temporis (præter quod pietati debebatur) modò cum Iudæis, modò cum hæreticis, modò cum schismaticis insumeret. In hac autem senili ætate, & non priùs, disputationes suas & conciones, quas publicè in ecclesia ad populum habebat, à celeribus scribis, aut notarijs excipi permisit; quippe iam longo vsu, & plurima meditandi consuetudine perfectum bene dicendi docendíque habitum consecutus. Vixit hac eadem tempestate, Celsus quidam, secta Platonicus, vita Epicureus, homo (vt ne sua defraudetur qualicunque laude) acuti acrísque ingenij, doctrinæque non mediocris, immò & maioris, quàm Ecclesię hosti expediret. Quæ caussa fuit, quamobrem liber eius contra legem Christianam exaratus, & appositis ad Gentiliũm gustum argumentis, velut suauibus lenocinijs infertus, multos ad sui inspectionem lectionémque præsertim specioso inuitante titulo, qui erat *Sermo verus*, blandè simul valideque pelliceret. Quod non ignorans vir Dei Ambrosius, ille, inquam, Ambrosius, de quo aliquoties suprà locuti sumus, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, & fidei honos, librum illum Origeni misit, hortatúsque est, vt contentis in eo aduersus Christianos calumnijs respondere

*Alia terrenæ militiæ, alia cælestis est ratio & meta.*

*Origenes à S. Athanasio Philoponus appellatus.*

*Celsus Gentilis Philosophus Christianorum hostis acerrimus.*

*Ambrosius Origenis Mæcenas laudatus.*

in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris obiectos, alios fuſtibus eliſos, atque omnia hæc ſine vllius reſpectu dignitatis. Quidnam igitur hoc monſtrum in Chriſtianos patraturus erat, ſi diu regnaſſet, qui talia in Gentiles deſignauit? Sed totum ille triennium non impleuit. Sub quo tamen, præter alios innumeros, duo ſummi Pontifices, Pontianus primò, deinde Anterus ſucceſſor, inter illius tempeſtatis Martyres recenſentur. Quibus acceſſit inclyta inter Virgines Barbara, ingenij naturæque dotibus præſtans, & ad fidei cognitionem firmitatémque ab Origene adducta & adiuta. Erat hæc virgo natione Bithyna, vrbe Nicomedienſis, ortu & ſtirpe Ethnica, Poëſeos & eloquentiæ (vt erat nobilium adoleſcentularum ea tempeſtate cupiditas) perquam ſtudioſa, & diſcendi legendíque auida: quæ dum ea expenderet, quæ in celeberrimis Poëtis de Deorum numero factíſque lectitabat, cœpit ipſa ſecum diuiniore inſtinctu Spiritus incertas incōſtanteſque eorum opiniones animaduertere; tum etiam iniqua, nec Deos decentia facta (quæ tamen illorum primoribus attribuebantur) conſiderare, ſicque ab illorum æſtimatione ſenſim dilabi, ac propiora verò illa arbitrari, quę Orpheus de vnico Deo, poſtremis vitę ſuę temporibus filio ſuo Muſæo concredidit, quàm ea, quæ olim de multis Dijs vulgò cecinerat. Denique cùm veri Dei cognoſcendi ardor animum eius in dies magis magiſque inflammaret, atque hominem, à quo pleniùs erudiretur, inquireret, rumor tandem Nicomediam, atque ad ipſius Barbaræ aures peruenit, quemdam Alexandriæ virum eſſe, Origenem nomine, qui virtute ac ſapientia longè ceteris hominibus anteiret; quique vnicum eſſe verum Deum certis atque euidentibus argumentis commoſtraret, adeòque idolorum omnium vaniſſimam vanitatem in omnium oculis defigeret. Quibus illa auditis ingenti gaudio exultare, & ſi quo pacto eius haberi copia poſſet, cogitationes omnes in animum aduocare; tandem ſedit per certum hominem mentis ſuæ indices litteras eidem Origeni mittere, quarum Græcè ſcriptarum tàm inſcriptionis, quàm argumenti hæc ferè fuit ſententia: *Viro Alexandrino, animi nobilitate longè celeberrimo, Origeni, Barbara Nicomediæ, ancilla ſua. Auditu accepi te eximium eſſe veræ Diuinitatis oſtenſorem; id quod deſiderij mei & honor & decus eſt. Nam ad veri Dei notitiam peruenire iam pridem concupiui, & nunc ſummè concupiſco. Quare optimâ nominis tui famâ, & virtutis exiſtimatione impulſa, tibi, venerande Pater, mentem meam hiſce litteris aperiendam cenſui: nihil mihi magis cordi eſſe, quàm vt Deum cognoſcam, quem tibi perfectè cognitum noui. Supplex igitur te rogo, vt ignorantiæ meæ noctem diſpellas, & hoc confuſionis chaos ab ancilla tua ſubmoueas, ſimúlque ipſum Solem iuſtitiæ, ac lumen diſcretionis in animam meam inducas.* Hæc ſumma fuit virginis Barbaræ litterarum. Quibus Origenes acceptis perlectíſque incredibili affectus eſt voluptate; neque diſtulit, quin ad eam mox reſcriberet, vnáque Preſbyterum quemdam è primis amicorum, Valentinum nomine, allegaret,

*Pontianus & Anterus Papæ martyres.*

*S. Barbara ad fidem conuerſio.*

*Orphei poëta de vnico Deo teſtimonium.*

*S. Barbara Virginis & Mart. epiſtola ad Origenem.*

allegaret, virum apprimè eruditum & sanctum, qui ea, quæ litteris deessent, coràm suppleret, latiusque explanaret. Nam litteræ perbreues erant, & hunc ferè sensum continebant: *Origenes, veri Dei indignus Sacerdos, Barbaræ in adoptione filiorum Dei & Domini* IESV-CHRISTI, *Salutem. Quod ad me scripsisti, te velle verum Deum cognoscere, quisnam is sit, scire debes, Vnum esse verum Deum in substantia, & trinum in personis, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum-Sanctum. Quod qui perfectè credit, habet in se, quo ad eum pertingere valeat. Cum his autem litteris eruditissimum hunc Presbyterum ad te mitto, maxima fidei charitate mihi coniunctissimum, qui te nomine meo Religionis nostræ mysteria edoceat. Quocirca quæcunque ab eo de his accepèris, ita habeto, tanquam à Deo, & à meipso coràm accepisses. Vale* Edocuit igitur illam Valentinus, quæcunque ei mandauerat Origenes, & egregiam Christi effecit discipulam. Quin & (quod ipse maximè optabat) Sanctissimæ Trinitatis arcanum ita dilucidauit, vt exinde deuotissimo eàm cultu prosecuta sit; & in suis quibusdam factis sibi repræsentare amauerit. Denique sic illam salutaribus pietatis Christianæ præceptis imbuit: sic aduersus omne tentationum genus armis militiæ nostræ cælestibus instruxit, ac communiuit, vt coortâ non longo pòst interuallo infestatione Christianorum, tandem duplicatam Virginitatis atque Martyrij palmam reportarit. Exstant eius acta tam Græcè, quàm Latinè, quę & sacris litteris eam ab Origene eruditam contestantur. Interiectâ porrò annorum aliquot intercapedine, cùm huius pudicissimæ Virginis, & aliorum sibi carorum martyria in Maximini persecutione intellexisset Origenes, ad librum de Martyrio scribendum se contulit, tam ad laudem eorum, qui iam emeriti essent, quàm ad illorum consolationem & gaudium, qui licèt pro Christo multa passi, in vita tamen superessent, immò etiam ad virtutis constantiæque aculeos ijs inijciendos, qui ad similia certamina, & præmia in posterum vocarentur. Hunc librum Ambrosio, & Protocteto Ecclesiæ Cæsariensis Presbytero dedicauit; propterea quòd non mediocris in hac persecutione tẽpestas ambos comprehendisset; quos & præclara fidei confessione illustres tum fuisse litteris proditum est. Egerat autem de huius tempore persecutionis Origenes, partim tomo vigesimo secundo Commentariorum in Ioannis Euangelium, partim in varijs epistolis; sed epistolæ istæ iam interierunt, & tomus ille vigesimus secundus (vt quidem nunc exstat) nullum eius vestigium continet. De hoc igitur in præsentia satis: nunc tyranno illo post violenti Imperij non integrum triennium interempto, ad meliora tempora transeamus.

*Origenis Epistola ad S. Barbarã.*

*Origenis liber de Martyrio.*

** Euseb. l. 6. cap. 21.*

*Ambrosius & Protoctetus insignes fidei Confessores.*

# CAPVT XVI.

# CAPVT XVI.

***ORIGENIS, GORDIANO POST Maximinum tyrannum, humaniter imperante, Occupationes litterariæ, partim Cæsareæ, partim Athenis, partim Nicomediæ, reflorescunt.***

A OCCISO ex Senatus Romani auctoritate Maximino tyranno, deinde duobus Augustis, Maximo Pupieno, & Clodio Balbino (quos idem Senatus Imperatores dixerat) à milite Romano, qui parere datis à Senatu Imperatoribus dedignabatur, eodem anno interemptis, Gordianus vtrorumque & Militum, & Senatorum acclamatione & approbatione, creatus est Imperator. Annos erat natus non plus sedecim; nec amplius quàm sex imperauit. Quo sexennio pax Ecclesijs fuit, & Origeni multa scribendi & agendi opportunitas. Tum ergò Cæsareæ præter assuetas in Gymnasio, & sacris cœtibus lectiones atque conciones, etiam commentarios in Esaiam, immò in solam tertiam Esaiæ partem (nempe vsque ad visionem quadrupedum in deserto) triginta minimùm tomos absoluit: in vniuersum verò Ezechielem viginti quinque duntaxat; & horum quidem aliquam partem Athenis perfecit. Sæpè enim aliò atque aliò ab Episcopis vel negotiorum Ecclesiæ gratia, vel percipiendæ doctrinæ studio euocabatur. Sic à S. Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, magni nominis & scientiæ viro, ad suarum vtilitatem Ecclesiarum in Cappadociam est inuitatus, diúque ibidem detentus. Quin & ipsemet Firmilianus sub occasione visendorum sanctorum locorum in Palæstinam profectus, cum Cæsareæ Palæstinæ conuenit, diúque apud ipsum propter res sacras pleniùs ac perfectiùs condiscendas est commoratus. Similis igitur caussa huius secundæ Athenas profectionis (nam de priore antehac diximus) exstitisse creditur; estque sanè probabilior, quàm quæ ab aliquibus affertur, vt libros venari posset. Tamdiu porrò Athenis sedem tenuit, vt non modò suos illos in Ezechielem libros ibi absoluerit, sed etiam alios in Canticum Canticorum inchoarit, & quinque ex illis, priusquam inde digrederetur, conscripserit; quibus postea & alios quinque (nam decem numero fuerunt) Cæsaream reuersus addidit. Habemus autem & aliam eius sub hæc ipsa tempora, quibus Cæsareæ Palestinæ habebat domicilium, [b] in Bithyniam profectionem. [c] Nam Iulius Africanus,
B. ille celebris temporum scriptor, & vir in sacris litteris apprimè eruditus, cùm certum Origenis Dialogum perlegisset, in quo Susannæ historiam & Da-

*Gordianus Imperator legitimus.*

*Commentarij Origenis in Esaiã, & in Ezechielem.*

*S. Firmilianus quanti Origenem fecerit.*

*Origenis 2. Athenas profectio.*

*Iulij Africani laus & cũ Origene per*

& Danielis iudicium de inueteratis illis malorum dierum senibus, ipsam Susannam calumniantibus memorabat; cum arbitratus falsum esse animi, atque ignorasse eam narrationem, ab Hebræis è sacro Scripturarum Canone expunctam, atque inter apocrypha, & incertæ veritatis scripta computatam; ad eum Nicomediæ tunc agentem (est autem Nicomedia vrbs Bithyniæ in maiori Asia) peramicam scripsit epistolam, rationesque in ea complures attulit, quibus totum illud Danielis iudicium longè alienum esse à veritate comprobaret. Erat ipse Africanus aliquanto grandior ætate, quàm Origenes, & Legatione ad M. Aurelium Antoninum Caracallam pro instauratione vrbis Emmaus suscepta (quam & impetrauit) honoratior. Tanti tamen Origenem ab eruditionis gloria æstimauit, vt in fronte epistolæ ita eum salutârit: *Salue, Domine mi, & fili, & in omnibus præstantissime Origenes; ab Africano.* Deinde Dialogum ipsum Origenis amplecti se quidem indicauit, sed in illo vnicum se mirari, quomodo latere eum potuerit, historiolam illam de Susanna nouitiam esse, atque confictam. Quod quidem ita esse, vi argumentorum multis viris doctrina claris persuasit; etiam Hyeronymo, sed non Origeni. Hic enim sciens eam historiam publicè in Ecclesiâ legi solitam, & cunctis rationibus anteponens Ecclesiæ auctoritatem, vltrò eius sibi patrocinium assumpsit, & singulis Africani argumentis suas submisit responsiones sanè quàm solidas. Et erat illi animus locum illum Danielis, & sensa verborum illius eximia fusiùs atque accuratiùs pertractare; sed tantam Nicomediæ moram, vnde Africano respondendum erat, alia negotia, & vlteriùs transeundi necessitas non permittebant. Hinc vnicâ epistolâ, sed aliquantum prolixâ contentus fuit. in qua extremâ se Ambrosij mæcenatis sui auxiliô vsum esse indicauit his verbis: *Salutat te, qui huic dictandæ epistolæ adiutor, & corrigendæ arbiter fuit, dominus meus, & frater, sanctus Ambrosius.* Digna quidem erat Origenis epistola, quæ tota hoc loco ad peruidendum hominis acumen, & adhærentem Ecclesiæ traditionibus animum exhiberetur; sed eius prolixitas deuitare admonuit fastidium, nec longiùs differre, quod iam instat, permagni iter momenti in Arabiam.

*Origenes vocatur ab Africano ob ætatẽ filius.*

*Ambrosius Origenis mæcenas laudatur.*

E CAPVT XVII.

# CAPVT XVII.

*ORIGENIS IN ARABIAM PROfectio, & vnius celebris Episcopi à religionis sinceritate aberrantis, in rectam fidei semitam per illum reductio.*

HAC ipsa, quam nunc prosequimur, tempestate, Gordiano scilicet orbis Imperium, sancto autem Fabiano totum Ecclesiæ corpus administrante, egregium omnino ac præstans opus peregit Origenes. Nam stellam, quæ de cælo ceciderat, in cælum restituit; & Angelum, qui in præceps ibat, inhibuit, & candelabrum eius, quod iam iam de loco suo mouendum erat, sustentauit. Nempe Beryllus hic erat, Bostrorum in Arabia Petræa Episcopus; qui primò quidem non modò veri Berylli, & lapidis illius pretiosi instar, qualicumque vitæ splendore fulgebat, sed etiam quasi stella, longè latéque dilucens doctis & elegantibus scriptis, scientiæ suæ radios dispergebat; quin & Petræos Arabas, petræ duritiem cordis asperitate referentes, dulcis eloquij rore respersos emolliebat, & suaui iugo Christi antehac submittebat: postea verò nescio qua mentis peruersione, velut in alium virum mutatus, & sibimet ipse contrarius, in diuersas, atque à communi sensu Ecclesiæ alienas opiniones cœpit deuergere, easque in commissam sibi plebem sensim inducere. Nam dicere & docere non est veritus, Dominum nostrum & Saluatorem Iesum non priùs in propria essentiæ suæ circumscriptione exstitisse, quàm ad homines adueniret; neque propriam habere Diuinitatem, sed solam paternam in se inhabitantem; quasi nimirum non Filius, sed Pater ipse naturam nostram assumpsisset. Ita videlicet Beryllus ille, vnus è lapidibus pretiosis, in fundamento muri supernæ ciuitatis Ierusalem octauum tenens locum, & puri maris viriditate multùm commendabilis, velut amisso colore optimo, in carbonis verterat nigredinem. Ita Angelus lucis, qui verba æterni Regis gaudenti annuntiabat populo, in præconem degenerârat tenebrarum. Ita & stella, in perpetuas alioqui coruscatura æternitates, si in suo quidem persisteret loco, iam nigra, tanquam saccus cilicinus, facta erat. Quippe duæ illæ hæreses (quarum vna Christi Diuinitatem ante Christum exstitisse pernegabat; altera non Filium in Christo, sed Patrem tantummodò habitasse asserebat) hæ, inquam, duæ hæreses omnem illi vigorem fidei, omnem gratiæ pulchritudinem, colorémque ademerant. Complures igitur Episcopi tam deformem eius casum miserati, cum ipso in disceptationem descen-

*Berylli Bostrorũ in Arabia Episcopi casus & resurrectio.*

*Berilli Episcopi errores in fide, ab Origene correcti.*

*Hæreses cõtra Christi diuinitatem.*

descenderunt; sed ipse fortiter se tueri, opiniones suas argumentis in speciem probabilibus communire, aduersantium tela elidere, vel eludere saltem conabatur, & magis alios in suam trahere, quàm in aliorum abire sententiam satagebat. Denique placuit aduersus illum, & germinantem eius hæresim conuocare Synodum in Arabia; & illò etiam accire Origenem, cuius tàm apud illum, quàm apud omnes indigenas propter præcognitam & exploratam eius ingenij, vitæ, atque eruditionis præstantiam, permagna erat in omni Arabia auctoritas. Hic igitur eò profectus, Beryllum conuenit, & qua erat animi modestiâ, & humanitate, in eius se insinuans amicitiam ac familiaritatem, primò deuincire illum officijs, & aliqua inter loquendum doctrina impertiri; tum de rebus, quæ versabantur in controuersia, nonnullos miscere sermones; dein quærere, & expiscari, quid super hac & super illa re sentiat, & ea quæ sentiat, quonam pacto intelligat; quî probet, qua auctoritate fulciat; denique postquam errantem, atque errori prorsus adhærentem deprehendit, tum amicè illum orare ac deprecari, vt etiam atque etiam extra affectum, & præiudicium, quæstiones illas perinde quasi hodie primùm natæ essent, attentè consideret, perpendat, examinet, neque tantùm, quid hanc in partem afferri possit, sed etiam, quid ex altera obijci; deinde, quænam ex omnibus vndecumque allatis, Christi & Apostolorum doctrinæ viciniora; quæ receptis ab Ecclesia traditionibus conformiora; quæ ipsi rationi, & communiori doctorum ac sapientum virorum iudicio magis sint consentanea: hæc, inquam, omnia vt non leuiter & transcursim, sed diligenter ac maturè cum animo suo conferat, ac dijudicet, se orare illum ac deprecari. Nec verò ipse, quod ab amico tam amicè petebatur, abnuit, sed lubens volens præstitit. Igitur in bene præparatum pectus aditu patefacto, accessit Adamantius cum inuicta scripturæ sacræ armatura, & rationibus suis Adamantinis; hominémque suauiter ac benignè adorsus, sic cepit, sic inuoluit, vt ipse tandem vinctum se & conuictum sentiens, vltrò manus dederit, victorémque secutus sit non inuitus. Agnito igitur errore, in viam redijt, & toti Synodo, quæ propter eum conuenerat non mediocre gaudium procreauit. Nam propositiones ab ea in medio positas, tam de æterna CHRISTI DEI natura, quàm de Filij solius, & non etiam Patris incarnatione, voluntarius admisit, atque vt olim ante hanc inuidiosi ac maligni Spiritus plagam fecerat, ita deinceps tenuit defendítque; contrarias verò, vt exitiales ac perniciosas, abiecit, damnauit, exsecratus est. Conscripta fuerunt, & diu conseruata eius Synodi acta, vnà cum ipsius Berylli actis, quæ tum ipsius Origenis quæstiones ei propositas, tum etiam habitas, in eiusdem Berylli parœcia, disputationes, tum denique ea, quæ ibi tunc peracta sunt, omnia complectebantur. Si autem ad nostram vsque ætatem, qua hæc scribimus, eadem peruenerint, & lucem aliquando visura sint (quod equidem velim, &

*Synodus in Arabia.*

*Hæreticorũ ad Ecclesiam reducendorũ via præstantissima.*

*Acta Synodi Arabica.*

# CAPVT XVIII.

## *ORIGENIS AB ARABIA IN PAlæstinam reducis, & iam senis, labores egregij, & immortalia scriptorum monumenta.*

MINIME decet Doctorem Christianum labores suos aliquo definire annorum numero, neque vllo pacto conuenit, sicut in profana militia, sic in sacra, certæ cuipiam ætati vacationis tempus designare. Nam apud eos, qui Sacramentum Christo dixere, nullus potest, aut debet, quo ad quidem aliquid in corpore, aut animo restat virium, aut emeritus miles dici, aut senex otiosus appellari; sed stare semper in acie debet, & propria ætati suæ munera, vt facultas fuerit, tam constanter obire, quàm fortiter. Ita quidem sanè Origenes, vnus è primis secundùm Apostolos Ecclesiæ proceribus fecit, qui venerandam senectutem suam præclaris in lucem editis operibus longè venerabiliorem reddidit, nec ab vllis vnquam laboribus, aut muneris sui functionibus missionem petijt; quin nec admittere, dum offerretur, voluit. Adeò laboris amans, vt verè illum magnus appellare solitus erat Athanasius, fuit. Annos enim sexaginta prætergressus ætatis, duobus imperantibus Philippis, patre, & filio, multus, si vnquam aliàs, immò assiduus in docendo, concionando, disputando, dictando fuit. Nam conciones quidem plures interdum vna die habebat; cùm & id, quod supererat reliqui temporis (præter quod pietati debebatur) modò cum Iudæis, modò cum hæreticis, modò cum schismaticis insumeret. In hac autem senili ætate, & non priùs, disputationes suas & conciones, quas publicè in ecclesia ad populum habebat, à celeribus scribis, aut notarijs excipi permisit; quippe iam longo vsu, & plurima meditandi consuetudine perfectum bene dicendi docendíque habitum consecutus. Vixit hac eadem tempestate, Celsus quidam, secta Platonicus, vita Epicureus, homo (vt ne sua defraudetur qualicunque laude) acuti acrísque ingenij, doctrinæque non mediocris, immò & maioris, quàm Ecclesię hosti expediret. Quæ caussa fuit, quamobrem liber eius contra legem Christianam exaratus, & appositis ad Gentilium gustum argumentis, velut suauibus lenocinijs infertus, multos ad sui inspectionem lectionémque præsertim specioso inuitante titulo, qui erat *Sermo verus*, blandè simul valideque pelliceret. Quod non ignorans vir Dei Ambrosius, ille, inquam, Ambrosius, de quo aliquoties suprà locuti sumus, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, & fidei honos, librum illum Origeni misit, hortatúsque est, vt contentis in eo aduersus Christianos calumnijs respondere

*Alia terrena militia, alia cælestis est ratio & meta.*

*Origenes à S. Athanasio Philoponus appellatus.*

*Celsus Gentilis Philosophus Christianorum hostis acerrimus.*

*Ambrosius Origenis Mæcenas laudatus.*

dete non pigeret; futurum enim alioquin, vt falsitatis virus, quod detectum ac prouisum nocere nequeat, idem improuisum, & veri sermonis larua obtectum haud paucis noceat, & multos necet. Igitur Origenes, qui negare Ambrosio nihil poterat, ad scribendum contra Celsum, atque ad medendum vulneribus, quæ liber eius iam in nonnullis fecerat, se accinxit. Nec verò vnum dumtaxat librum confecit, sed totos octo, eósque sanè tam singulares, atque exactos; vt cunctis post illum scriptoribus ad scribendas in auxilium fidei aduersus calumniatores dignas imitatione apologias exẽplo esse potuerint, & nunc esse possint. Nihil equidem antehac vidi tale, nihil tam accuratum; vt mihi videantur isti octo libri aliud esse nihil, quàm aurea quædam statua, in sanctissimi IESV honorem ac defensionem, contra omnes eius obtrectatores publicè erecta. Ecquo enim ibi studio atque affectu eiusdem sui IESV natiuitatem, paupertatem, aliáque tàm ipsius, quàm corporis Ecclesiæ mysteria & instituta (quæ inuidiosè à Celso obiecta sunt) tuetur ac defendit? Qua item verborum vi, quo rationum pondere, malè ab illo confutas in totam gentem Christianam calumnias dissoluit ac diluit? His autem octo libris sanè quàm feliciter consummatis, sese eidem Ambrosio, qui eorum scribendorum illi auctor instigatórque fuerat, paratum ad nouos pro Ecclesia Dei, & Religionis defensione, suscipiendos labores vltrò obtulit. In octauo enim illorum libro, eóque extremo, sic eum affatur: *Habes hic, sancte Ambrosi, operis tuo iussu (quantum quidem in nobis fuit) elaborati finem, & omnia quidem, quæ nobis respondenda libro Celsi, inscripto* Vetus Sermo, *visa sunt, libris octo complexi sumus. Erit autem lectoris, qui in scripta illius & nostra inciderit, iudicare, vtra verum Deum magis spirent; vtra normam pietatis, qua is colendus est, clarius commonstrent; vtra denique eam, quæ ad homines aduenit, sanorum dogmatum ad optimam vitam cohortantium veritatem veriùs repræsentent. Scias autem velim, Celsum aliud post hoc opus promittere, in quo se docturum indicauit, quo pacto vita illis instituenda sit, qui voluerint ipsi parere, aut potuerint. Si ergo hunc secundum librum à se promissum fortè non scripserit, bene habet; his octo, quibus ei respondimus, contenti erimus; sin verò hunc etiam aggressus absoluerit, require illum, & mihi mitte, vt contra illum quoque, quod nobis Pater veritatis inspirauerit, conscribamus, & falsam in illo opinionem subuertamus; aut si quid veri afferatur, huic citra contentionem tanquam bene dicto assensus nostri testimonium adiungamus.* Ita Origenes octauum, & postremum librum aduersus Religionis nostræ calumniatorem conclusit. Præter hos autem ipsius in Celsum libros, etiam alios complures in Scripturam sacram, seu noui, seu veteris Testamenti, sub idem tempus in lucem emisit, atque in Matthæi quidem Euangelium tomos viginti quinque. In duodecim autem Prophetas creditur aliquanto plures conscripsisse, quamuis S. Pamphilus Martyr, & Eusebius librorum eius omnium diligentissimi conquisitores, proximo pòst seculo non plures quàm

*Librorum Origenis cõtra Celsum iusta æstimatio.*

*Celsus Philosophus alterum librũ se conscripturum promiserat.*

*Origenis in scripturã libri.*

quàm viginti quinque repererint. Iidem & Epistolas eius variè dispersas magno studio recollegerunt, atque in vnum volumen pluribus distinctū libris (quotquot vndique nancisci potuere) ne in posterum dissiparentur, redegerunt. Paullo plus centum erant, in quibus epistolis vna fuit ad M. Iulium Philippum Imp. & vna item ad Marciam Ottacillam Seueram Imperatricem, eius vxorem, quos fuisse quidem Christiana fide imbutos, satis probabile habetur; sed suscepto dumtaxat Imperio. Nam Philippum quidem necdum fuisse sacris nostris initiatum, quando Gordianum occidit Imperatorem, & scelere atque astu inuasit Imperium, liquidò constat; nec aliunde magis, quàm ex Origenis ipsius contra Celsum in laudatis iam libris fideli testimonio. Cùm enim in octauo horum librorum hoc ipso tempore regnantis Philippi compositorum Celsi calumnijs responderet, idémque Celsus obiecisset, Christianos & à militia, & à reipubl. præfecturis ac dignitatibus abhorrere, haudquaquam potuisset Origenes id ei concedere (Siquidem Philippus, qui Imperium inuaserat, & summam rerum iam administrabat, exstitisset Christianus) concessit tamen atque ad aliam militiam, & ad alias præfecturas deflexo sermone, ad eas scilicet, quæ in Ecclesia reperiuntur; ex his conatus est ostendere, plus Christianos prodesse Imperio suis precationibus, & insigni erga Deum pietate, quàm quoscunque milites pro suo Imperatore arma & corpora in acie opponentes. *Tum nos, inquit, deinceps hortatur Celsus Imperatori totis viribus opem ferre, & in ijs, quæ iusta sunt, collaborare, eúmque propugnare, cum illo militare, cum eo copias ducere. Ad quæ habemus respondere, nos imperatoribus, cum tempus exigit, diuina (vt sic loquar) afferre auxilia; sed instructos Dei armatura, non mundi. Et hoc facimus voci auscultantes Apostolicæ dicenti:* Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt. *Et quanto quisque fuerit religiosior, tanto etiam erit ad præstandum Imperatoribus auxilium, præ illis, qui in acies exeunt, & quotquot possunt cædes patrant, efficacior.* Complura ibidem in hanc sententiam (quæ ibi cerni possunt) præclarè ab eo dicta referuntur. Caussa porrò scribendi ad Imperatorem atque Imperatricem non alia fuisse Origeni creditur, quàm Religionis & Fidei promouendæ; Qua itidem de caussa Mammæam Alexandri Seueri Imp. matrem ab ipsa accersitus olim conuenerat. Nec etiam procul abest à fide, ex eo iam tempore, quo in Arabia fuerat Origenes, plurimúmque ibidem celebratus, notum Philippo, vtpote Arabi, & Bostris nato, exstitisse. Iam autem in Alexandro Imp. expertus, quantum fides nostra vel mediocriter à Cæsaribus, & Augustis agnita prodesset Ecclesiæ, meritò poterat arbitrari (id quod Celsus, ipsos præ se tulisse, & iactasse Christianos, scripsit) si ad fidem aliqui Imperatorum pertraherentur, alios atque alios deinceps pertrahendos; sicque futurum aliquando, vt vna vbique omnium esset fides, vna Religio. Negauit

*Eiusdem Epistolæ plurimæ, & in libris quatuor ad Imperatorē & Imperatricem.*

*Christianorum pro Imperatoribus Ethnicis quæ sint fortissima auxilia.*

*1. ad Timoth. 2. v. 10.*

quidem Origenes Christianos id dixisse; fieri tamen posse concessit: quin & futurum aliquando esse, vt omnia sub easdem leges, & sub vnam religionem redigerentur, quod fieri negabat Celsus, fortiter velut vaticinans asseuerauit. Quippe sperabat Origenes, Philippum Imp. eiusque filium (si quidem longior ipsis vita suppeteret) non modò fidem propalam professuros (à qua re non multùm abhorrebant) sed etiam quantum possent, propagaturos. Ac prius illud quidem diuinitus eis concessum tradunt auctores nonnulli; posterius autem mors præpropera inuidit. Propagatæ enim Religionis, aut operis cuiusquam ab eis in Ecclesiæ augmentum, aut in fidei suę memoriam constructi certum vestigium exstat nullum. Salutaribus dumtaxat aquis à S. Fabiano Pontifice ablutos illos fuisse beati Pontij Martyris acta (si tamen omni ex parte vera) memorant. Ego illa in medio, vt alibi commodius de his acturus, nunc relinquo; atque ad alia eius viri, quem describendum suscepi, in Ecclesiæ vtilitatem designata, me confero.

## CAPVT XIX.

*ORIGENIS, CONTRA SVORVM stupratores librorum, & venena hæreseos, submissa antidota.*

CVM intellexisset Origenes, atque etiam suo ipsemet experimento didicisset, scripta sua, quæ iam plurima ediderat, sic ab vnoquoque hominum genere accipi; vt boni quidem ac fideles, apum instar, ad suam aliorúmque vtilitatem purè ac sincerè illis vterentur, mali autem & infideles, venenatorum more araneorum, non modò ambiguis & ancipitibus in deteriorem pertractis partem, sed etiam fructuosis & salubribus ad suos detortis errores, ac malè vitiatis, in suam aliorúmque ruinam abuterentur; sibi faciendum in extremis vitæ suę annis existimauit, vt, quandoquidem nec omnia, quibus abusi essent scire posset; nec si sciret, facile sibi esset, cunctis in futurum præcauere, ac prouidere; hoc saltem sibi faciendum iudicauit, vt de singulis fidei punctis, déque præcipuis in religione controuersijs, sententiam suam aperiret, eámque quaqua versum ad Ecclesiarum Antistites, atque ad ipsum præsertim Romanum Pontificem (quam personam tum sustinebat Fabianus longè sanctissimus) firmandæ inter omnes Catholicos communionis, & confirmationis sententiarum gratia, dimitteret. Quod sanè optimum factum fuit, atque ad reuincendos ab Episcopis librorum eius corruptores, aut peruersos interpretes aptissimum; ita vt quod est apud Poëtam haud ignobilem, *Opus hoc victoria nostra est*, potuerit iure quodam suo, & meliore sensu Origenes de sua

*Origenis cautela contra suorũ librorum corruptores.*

de sua apud Episcopos fidei testificatione vsurpare, præsertim in qua simul attestatus est, suos libros ab improbis hominibus, & sui ipsorum amantibus fuisse corruptos. Cuius corruptionis vt certum habeatur testimonium, hæc sunt ipsiusmet Origenis verba, quæ ad quosdam sibi charos Alexandriæ degentes scripsit: *Quidam eorum, inquit, quibus libido est alios criminandi, nobis doctrinæque nostræ crimen blasphemiæ impingunt, quod ipsi nunquam à nobis audierunt. Viderint porro, quid se futurum sit, qui auscultare isti sententiæ nolunt, quòd* maledici regnũ Dei nõ possidebunt. *Nam aiunt me dicere, patrem malitiæ & perditionis eorum, qui è regno Dei eijciuntur, hoc est, Diabolum, esse saluandum: quod ne quidem mente motus aliquis, & manifestè insaniens dixerit. Verùm nec mihi mirum videtur, adulterari doctrinam meam ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpi, quali corrupta est Paulli Apostoli epistola. Quidam enim sub eius nomine falsam scripserunt epistolam, vt Thessalonicenses conturbarent, quasi instaret dies Domini, eósque seducerent. Qua de caussa sic scripsit in secunda epistola:* Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri IESV CHRISTI, & nostrę cõgregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritũ, neque per sermonem, neque per epistolam tanquã per nos missam, quasi instet dies Domini, neque vos seducat vllo modo &c. *Talia igitur video mihi accidere. Quidam enim auctor hæreseos, post habitam inter nos coram multis disputationem, cùm illam ab ijs, qui descripserant, accepisset, in ea addidit, quæ voluit; quæ noluit, abstulit; quæ placuit, commutauit. Tum eius codicem, nostro insultans nomini, circumtulit, & quæ conscripserat ipse, palam ostentauit. Cuius rei indignatione permoti fratres, qui sunt in Palæstina, ad me Athenas certum hominem miserunt, qui exemplar à me authenticum acciperet; quod ne relectum quidem vel recensitum à me fuerat, sed ita neglectum iacebat, vix vt inueniri posset. Misi tamen, & (Deo teste loquor) cùm illum ipsum, qui codicem adulterauerat, conuenissem, facti sui caussam attulit, quòd ornare disputationem illam, & purgare voluisset. En quali purgatione disputationem nostram purgauit: quali scilicet Marcion Euangelia vel Apostolum; aut quali Apelles eius successor. Nam vt illi veritatem Scripturæ subuerterunt: sic iste, sublatis quæ verè dicta à nobis erant, quò nobis crimen inferret, intulit quæ falsa sunt. At licet homines hæretici & impij sint, qui hæc facere ausi sunt, tamen illi iudicem etiam sentient Deum, qui talibus aduersus nos criminationibus fidem accommodant.* Hoc & alij nonnulli fecere, qui perturbare tentarunt *Ecclesias. Denique Ephesi cùm essem, & me vidisset quidam hæreticus, nec congredi mecum voluisset, immo nec os aperire coram me, nescio qua de caussa, sustinuisset; idem me digresso, disputationem vnam conscripsit suo meóque nomine, qualem illi placuit, atque ad suos discipulos, vt quidem intellexi, Romam misit; haud dubium, quin & aliò ad alios. Immo & Antiochiæ, priusquam illuc venissem, adeo insultârat, vt ad plurimos quoque nostrorum sua*

*illa*

*Epistola Origenis ad quosdam caros Alexandria.*

*1. ad Cor. 6.*

*Calumnia in Origenem execrabilis.*

*Ad Thessal. ep. 2. c. 2. v. 1.*

*Origenis cum hæresiarcha disputatio coram multis habita.*

*Librorum Origenis corruptor detegitur.*

*Scripturæ Sacræ corruptores.*

*Ephesi in Asia, & Antiochiæ in Syria detexit Origenes falsarios scriptorum suorum.*

# CAPVT XVI.

*ORIGENIS, GORDIANO POST Maximinum tyrannum, humaniter imperante, Occupationes litterariæ, partim Cæsareæ, partim Athenis, partim Nicomediæ, reflorescunt.*

A OCCISO ex Senatus Romani auctoritate Maximino tyranno, deinde duobus Augustis, Maximo Pupieno, & Clodio Balbino (quos idem Senatus Imperatores dixerat) à milite Romano, qui parere datis à Senatu Imperatoribus dedignabatur, eodem anno interemptis, Gordianus vtrorumque & Militum, & Senatorum acclamatione & approbatione, creatus est Imperator. Annos erat natus non plus sedecim; nec amplius quàm sex imperauit. Quo sexennio pax Ecclesijs fuit, & Origeni multa scribendi & agendi opportunitas. Tum ergò Cæsareæ præter assuetas in Gymnasio, & sacris cœtibus lectiones atque conciones, etiam commentarios in Esaiam, immò in solam tertiam Esaiæ partem (nempe vsque ad visionem quadrupedum in deserto) triginta minimùm tomos absoluit: in vniuersum verò Ezechielem viginti quinque duntaxat; & horum quidem aliquam partem Athenis perfecit. Sæpè enim aliò atque aliò ab Episcopis vel negotiorum Ecclesiæ gratia, vel percipiendæ doctrinæ studio euocabatur. Sic à S. Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, magni nominis & scientiæ viro, ad suatum vtilitatem Ecclesiarum in Cappadociam est inuitatus, diùque ibidem detentus. Quin & ipsemet Firmilianus sub occasione visendorum sanctorum locorum in Palæstinam profectus, cum Cæsareæ Palæstinæ conuenit, diùque apud ipsum proptet res sacras pleniùs ac perfectiùs condiscendas est commoratus. Similis igitur caussa huius secundæ Athenas profectionis (nam de priore antehac diximus) extitisse creditur; estque sanè probabilior, quàm quæ ab aliquibus affertur, vt libros venari posset. Tamdiu porrò Athenis sedem tenuit, vt non modò suos illos in Ezechielem libros ibi absoluerit, sed etiam alios in Canticum Canticorum inchoarit, & quinque ex illis, priusquam inde digrederetur, conscripserit; quibus postea & alios quinque (nam decem numero fuerunt) Cæsaream reuersus addidit. Habemus autem & aliam eius sub hæc ipsa tempora, quibus Cæsareæ Palestinæ habebat domicilium, [b] in Bithyniam profectionem. [c] Nam Iulius Africanus, ille celebris temporum scriptor, & vir in sacris litteris apprimè eruditus, cùm certum Origenis Dialogum perlegisset, in quo Susannæ historiam, & Da-

*Gordianus Imperator legitimus.*

*Commentarij Origenis in Esaiã, & in Ezechielem.*

*S. Firmilianus quanti Origenem fecerit.*

*Origenis 2. Athenas profectio.*

B.

*Iulij Africani laus & cũ Origene per*

& Danielis iudicium de inueteratis illis malorum dierum senibus, ipsam Susannam calumniantibus memorabat; eum arbitratus falsum esse animi, atque ignorasse eam narrationem, ab Hebræis è sacro Scripturarum Canone expunctam, atque inter apocrypha, & incertæ veritatis scripta computatam; ad eum Nicomediæ tunc agentem (est autem Nicomedia vrbs Bithyniæ in maiori Asia) peramicam scripsit epistolam, rationesque in ea complures attulit, quibus totum illud Danielis iudicium longè alienum esse à veritate comprobaret. Erat ipse Africanus aliquanto grandior ætate, quàm Origenes, & Legatione ad M. Aurelium Antoninum Caracallam pro instauratione vrbis Emmaus suscepta (quam & impetrauit) honoratior. Tanti tamen Origenem ab eruditionis gloria æstimauit, vt in fronte epistolæ ita eum salutârit: *Salue, Domine mi, & fili, & in omnibus præstantissime Origenes; ab Africano* Deinde Dialogum ipsum Origenis amplecti se quidem indicauit, sed in illo vnicum se mirari, quomodo latere eum potuerit, historiolam illam de Susanna nouitiam esse, atque confictam. Quod quidem ita esse, vi argumentorum multis viris doctrina claris persuasit; etiam Hyeronymo, sed non Origeni. Hic enim sciens eam historiam publicè in Ecclesiâ legi solitam, & cunctis rationibus anteponens Ecclesiæ auctoritatem, vltrò eius sibi patrocinium assumpsit, & singulis Africani argumentis suas submisit responsiones sanè quàm solidas. Et erat illi animus locum illum Danielis, & sensa verborum illius eximia fusiùs atque accuratiùs pertractare; sed tantam Nicomediæ moram, vnde Africano respondendum erat, alia negotia, & vlteriùs transeundi necessitas non permittebant. Hinc vnicâ epistolâ, sed aliquantùm prolixâ contentus fuit, in qua extremâ se Ambrosij mæcenatis sui auxiliô vsum esse indicauit his verbis: *Salutat te, qui huic dictandæ epistolæ adiutor, & corrigendæ arbiter fuit, dominus meus, & frater, sanctus Ambrosius.* Digna quidem erat Origenis epistola, quæ tota hoc loco ad peruidendum hominis acumen, & adhærentem Ecclesiæ traditionibus animum exhiberetur; sed eius prolixitas deuitare admonuit fastidium, nec longiùs differre, quod iam instat, permagni iter momenti in Arabiam.

*Origenes vocatur ab Africano ob ætatẽ filius.*

*Ambrosius Origenis mæcenas laudatur.*

E

## CAPVT XVII.

# CAPVT XVII.

## *ORIGENIS IN ARABIAM PROfectio, & vnius celebris Episcopi à religionis sinceritate aberrantis, in rectam fidei semitam per illum reductio.*

HAC ipsa, quam nunc prosequimur, tempestate, Gordiano scilicet orbis Imperium, sancto autem Fabiano totum Ecclesiæ corpus administrante, egregium omnino ac præstans opus peregit Origenes. Nam stellam, quæ de cælo ceciderat, in cælum restituit; & Angelum, qui in præceps ibat, inhibuit, & candelabrum eius, quod iam iam de loco suo mouendum erat, sustentauit. Nempe Beryllus hic erat, Bostrorum in Arabia Petræa Episcopus; qui primò quidem non modò veri Berylli, & lapidis illius pretiosi instar, qualicumque vitæ splendore fulgebat, sed etiam quasi stella, longè latéque dilucens doctis & elegantibus scriptis, scientiæ suæ radios dispergebat; quin & Petræos Arabas, petræ duritiem cordis asperitate referentes, dulcis eloquij rore respersos emolliebat, & suaui iugo Christi antehac submittebat: postea verò nescio qua mentis peruersione, velut in alium virum mutatus, & sibimet ipse contrarius, in diuersas, atque à communi sensu Ecclesiæ alienas opiniones cœpit deuergere, easque in commissam sibi plebem sensim inducere. Nam dicere & docere non est veritus, Dominum nostrum & Saluatorem Iesum non priùs in propria essentiæ suæ circumscriptione exstitisse, quàm ad homines aduenirct; neque propriam habere Diuinitatem, sed solam paternam in se inhabitantem; quasi nimirum non Filius, sed Pater ipse naturam nostram assumpsisset. Ita videlicet Beryllus ille, vnus è lapidibus preciosis, in fundamento muri supernæ ciuitatis Ierusalem octauum tenens locum, & puri maris viriditate multùm commendabilis, velut amisso colore optimo, in carbonis verterat nigredinem. Ita Angelus lucis, qui verba æterni Regis gaudenti annuntiabat populo, in præconem degenerârat tenebrarum. Ita & stella, in perpetuas alioqui coruscatura æternitates, si in suo quidem persisteret loco, iam nigra, tanquam saccus cilicinus, facta erat. Quippe duæ illæ hæreses (quarum vna Christi Diuinitatem ante Christum exstitisse pernegabat; altera non Filium in Christo, sed Patrem tantummodò habitasse asserebat) hæ, inquam, duæ hæreses omnem illi vigorem fidei, omnem gratiæ pulchritudinem, coloremque ademerant. Complures igitur Episcopi tam deformem eius casum miserati, cum ipso in disceptationem descen-

*Berylli Bostrorũ in Arabia Episcopi casus & resurrectio.*

*Berilli Episcopi errores in fide, ab Origene correcti.*

*Hæreses cõtra Christi diuinitatem.*

descenderunt; sed ipse fortiter se tueri, opiniones suas argumentis in speciem probabilibus communire, aduersantium tela elidere, vel eludere saltem conabatur, & magis alios in suam trahere, quàm in aliorum abire sententiam satagebat. Denique placuit aduersus illum, & germinantem eius hæresim conuocare Synodum in Arabia; & illò etiam accire Origenem, cuius tàm apud illum, quàm apud omnes indigenas propter præcognitam & exploratam eius ingenij, vitæ, atque eruditionis præstantiam, permagna erat in omni Arabia auctoritas. Hic igitur eò profectus, Beryllum conuenit, & qua erat animi modestiâ, & humanitate, in eius se insinuans amicitiam ac familiaritatem, primò deuincire illum officijs, & aliqua inter loquendum doctrina impertiri; tum de rebus, quæ versabantur in controuersia, nonnullos miscere sermones; dein quærere, & expiscari, quid super hac & super illa re sentiat; & ea quæ sentiat, quonam pacto intelligat; qui probet, qua auctoritate fulciat; denique postquam errantem, atque errori prorsus adhærentem deprehendit; tum amicè illum orare ac deprecari, vt etiam atque etiam extra affectum, & præiudicium, quæstiones illas perinde quasi hodie primùm natæ essent, attentè consideret, perpendat, examinet, neque tantùm, quid hanc in partem afferri possit, sed etiam, quid ex altera obijci; deinde, quænam ex omnibus vndecumque allatis, Christi & Apostolorum doctrinæ viciniora; quæ receptis ab Ecclesia traditionibus conformiora; quæ ipsi rationi, & communioti doctorum ac sapientum virorum iudicio magis sint consentanea: hæc, inquam, omnia vt non leuiter & transcursim, sed diligenter ac maturè cum animo suo conferat, ac dijudicet, se orare illum ac deprecari. Nec verò ipse, quod ab amico tam amicè petebatur, abnuit, sed lubens volens præstitit. Igitur in bene præparatum pectus aditu patefacto, accessit Adamantius cum inuicta scripturæ sacræ armatura, & rationibus suis Adamantinis; hominémque suauiter ac benignè adorsus, sic cepit, sic inuoluit, vt ipse tandem vinctum se & conuictum sentiens, vltrò manus dederit, victorémque secutus sit non inuitus. Agnito igitur errore, in viam redijt, & toti Synodo, quæ propter eum conuenerat non mediocre gaudium procreauit. Nam propositiones ab ea in medio positas, tam de æterna CHRISTI DEI natura, quàm de Filij solius, & non etiam Patris incarnatione, voluntarius admisit, atque vt olim ante hanc inuidiosi ac maligni Spiritus plagam fecerat, ita deinceps tenuit defendítque; contrarias verò, vt exitiales ac perniciosas, abiecit, damnauit, exsecratus est. Conscripta fuerunt, & diu conseruata eius Synodi ácta, vnà cum ipsius Berylli actis, quæ tum ipsius Origenis quæstiones ei propositas, tum etiam habitas, in eiusdem Berylli parœcia, disputationes, tum denique ea, quæ ibi tunc peracta sunt, omnia complectebantur. Si autem ad nostram vsque ætatem, qua hæc scribimus, eadem peruenerint, & lucem aliquando visura sint (quod equidem velim, & auidè

*Synodus in Arabia.*

*Heretici ad Ecclesiam reducendi via præstantissima.*

*Acta Synodi Arabicæ.*

# CAPVT XVIII.

## *ORIGENIS AB ARABIA IN PAlæstinam reducis, & iam senis, labores egregij, & immortalia scriptorum monumenta.*

MINIME decet Doctorem Christianum labores suos aliquo definire annorum numero, neque vllo pacto conuenit, sicut in profana militia, sic in sacra, certæ cuipiam ætati vacationis tempus designare. Nam apud eos, qui Sacramentum Christo dixere, nullus potest, aut debet, quo ad quidem aliquid in corpore, aut animo restat virium, aut emeritus miles dici, aut senex otiosus appellari; sed stare semper in acie debet, & propria ætati suæ munera, vt facultas fuerit, tam constanter obire, quàm fortiter. Ita quidem sanè Origenes, vnus è primis secundùm Apostolos Ecclesiæ proceribus fecit, qui venerandam senectutem suam præclaris in lucem editis operibus longè venerabiliorem reddidit, nec ab vllis vnquam laboribus, aut muneris sui functionibus missionem petijt; quin nec admittere, dum offerretur, voluit. Adeò laboris amans, vt verè illum magnus appellare solitus erat Athanasius, fuit. Annos enim sexaginta prætergressus ætatis, duobus imperantibus Philippis, patre, & filio, multus, si vnquam aliàs, immò assiduus in docendo, concionando, disputando, dictando fuit. Nam conciones quidem plures interdum vna die habebat; cùm & id, quod supereterat reliqui temporis (præter quod pietati debebatur) modò cum Iudæis, modò cum hæreticis, modò cum schismaticis insumeret. In hac autem senili ætate, & non priùs, disputationes suas & conciones, quas publicè in ecclesia ad populum habebat, à celeribus scribis, aut notarijs excipi permisit; quippe iam longo vsu, & plurima meditandi consuetudine perfectum bene dicendi docendíque habitum consecutus. Vixit hac eadem tempestate, Celsus quidam, secta Platonicus, vita Epicureus, homo (vt ne sua defraudetur qualicunque laude) acuti acrísque ingenij, doctrinæque non mediocris, immò & maioris, quàm Ecclesię hosti expediret. Quæ caussa fuit, quamobrem liber eius contra legem Christianam exaratus, & appositis ad Gentilium gustum argumentis, velut suauibus lenocinijs infertus, multos ad sui inspectionem lectionémque præsertim specioso inuitante titulo, qui erat *Sermo verus*, blandè simul validéque pelliceret. Quod non ignorans vir Dei Ambrosius, ille, inquam, Ambrosius, de quo aliquoties suprà locuti sumus, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, & fidei honos, librum illum Origeni misit, hortatúsque est, vt contentis in eo aduersus Christianos calumnijs respondere

*Alia terrena militia, alia cælestis est ratio & meta.*

*Origenes à S. Athanasio Philoponus appellatus.*

*Celsus Gentilis Philosophus Christianorum hostis acerrimus.*

*Ambrosius Origenis Mæcenas laudatus.*

dere non pigeret; futurum enim alioquin, vt falsitatis virus, quod detectum ac prouisum nocere nequeat, idem improuisum, & veri sermonis larua obtectum haud paucis noceat, & multos necet. Igitur Origenes, qui negare Ambrosio nihil poterat, ad scribendum contra Celsum, atque ad medendum vulneribus, quæ liber eius iam in nonnullis fecerat, se accinxit. Nec verò vnum duntaxat librum confecit, sed totos octo, eósque sanè tam singulares, atque exactos; vt cunctis post illum scriptoribus ad scribendas in auxilium fidei aduersus calumniatores dignas imitatione apologias exēplo esse potuerint, & nunc esse possint. Nihil equidem antehac vidi tale, nihil tam accuratum; vt mihi videantur isti octo libri aliud esse nihil, quàm aurea quædam statua, in sanctissimi IESV honorem ac defensionem, contra omnes eius obtrectatores publicè erecta. Ecquo enim ibi studio atque affectu eiusdem sui IESV natiuitatem, paupertatem, aliáque tàm ipsius, quàm corporis Ecclesiæ mysteria & instituta (quæ inuidiosè à Celso obiecta sunt) tuetur ac defendit? Qua item verborum vi, quo rationum pondere, malè ab illo confictas in totam gentem Christianam calumnias dissoluit ac diluit? His autem octo libris sanè quàm feliciter consummatis, sese eidem Ambrosio, qui eorum scribendorum illi auctor instigatórque fuerat, paratum ad nouos pro Ecclesia Dei, & Religionis defensione, suscipiendos labores vltrò obtulit. In octauo enim illorum libro, eóque extremo, sic eum affatur: *Habes hic, sancte Ambrosi, operis tuo iussu (quantum quidem in nobis fuit) elaborati finem; & omnia quidem, quæ nobis respondenda libro Celsi, inscripto* Vetus Sermo, *visa sunt, libris octo complexi sumus. Erit autem lectoris, qui in scripta illius & nostra inciderit, iudicare, vtra verum Deum magis spirent; vtra normam pietatis, qua is colendus est, clarius commonstrent; vtra denique eam, quæ ad homines aduenit, sanorum dogmatum ad optimam vitam cohortantium veritatem veriùs repræsentent. Scias autem velim, Celsum aliud post hoc opus promittere, in quo se docturum indicauit, quo pacto vita illis instituenda sit, qui voluerint ipsi parere, aut potuerint. Si ergo hunc secundum librum à se promissum fortè non scripserit, bene habet; his octo, quibus ei respondimus, contenti erimus; sin verò hunc etiam aggressus absoluerit, require illum, & mihi mitte, vt contra illum quoque, quod nobis Pater veritatis inspirauerit, conscribamus, & falsam in illo opinionem subuertamus; aut si quid veri afferatur, huic citra contentionem tanquam bene dicto assensus nostri testimonium adiungamus.* Ita Origenes octauum, & postremum librum aduersus Religionis nostræ calumniatorem conclusit. Præter hos autem ipsius in Celsum libros, etiam alios complures in Scripturam sacram, seu noui, seu veteris Testamenti, sub idem tempus in lucem emisit, atque in Matthæi quidem Euangelium tomos viginti quinque. In duodecim autem Prophetas creditur aliquanto plures conscripsisse, quamuis S. Pamphilus Martyr, & Eusebius librorum eius omnium diligentissimi conquisitores, proximo pòst seculo non plures quàm

*Librorum Origenis cōtra Celsum iusta æstimatio.*

*Celsus Philosophus alterum librū se conscripturum promiserat.*

*Origenis in Scripturā libri.*

*Eiusdem Epistolæ plurimæ, & in illis quædam ad Imperatorē & Imperatricem.*

quàm viginti quinque repererint. Ijdem & Epistolas eius variè dispersas magno studio recollegerunt, atque in vnum volumen pluribus distinctū libris (quotquot vndique nancisci potuere) ne in posterum dissiparentur, redegerunt. Paullo plus centum erant, in quibus epistolis vna fuit ad M. Iulium Philippum Imp. & vna item ad Marciam Ottacillam Seueram Imperatricem, eius vxorem, quos fuisse quidem Christiana fide imbutos, satis probabile habetur; sed suscepto dumtaxat Imperio. Nam Philippum quidem necdum fuisse sacris nostris initiatum, quando Gordianum occidit Imperatorem, & scelere atque astu inuasit Imperium, liquidò constat; nec aliunde magis, quàm ex Origenis ipsius contra Celsum in laudatis iam libris fideli testimonio. Cùm enim in octauo horum librorum hoc ipso tempore regnantis Philippi compositorum Celsi calumnijs responderet, idémque Celsus obiecisset, Christianos & à militia, & à reipubl. præfecturis ac dignitatibus abhorrere, haudquaquam potuisset Origenes id ei concedere (Si quidem Philippus, qui Imperium inuaserat, & summam rerum iam administrabat, exstitisset Christianus) concessit tamen atque ad aliam militiam, & ad alias præfecturas deflexo sermone, ad eas scilicet, quæ in Ecclesia reperiuntur; ex his conatus est ostendere, plus Christianos prodesse Imperio suis precationibus, & insigni erga Deum pietate, quàm quoscunque milites pro suo Imperatore arma & corpora in acie opponentes.

*Christianorum pro Imperatoribus Ethnicis quæ sint fortissima auxilia.*

*Tum nos*, inquit, *deinceps hortatur Celsus Imperatori totis viribus opem ferre, & in ijs, quæ iusta sunt, collaborare, eúmque propugnare, cum illo militare, cum eo copias ducere. Ad quæ habemus respondere, nos imperatoribus, cum tempus exigit, diuina (vt sic loquar) afferre auxilia; sed instructos Dei armatura, non mundi. Et hoc facimus voci auscultantes Apostolicæ dicenti:* Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt. *Et quanto quisque fuerit religiosior, tanto etiam erit ad præstandum Imperatoribus auxilium, præ illis, qui in acies exeunt, & quotquot possunt cædes patrant, efficacior.* Complura ibidem in hanc sententiam (quæ ibi cerni possunt) præclarè ab eo dicta referuntur. Caussa porrò scribendi ad Imperatorem atque Imperatricem non alia fuisse Origeni creditur, quàm Religionis & Fidei promouendæ; Qua itidem de caussa Mammæam Alexandri Seueri Imp. matrem ab ipsa accersitus olim conuenerat. Nec etiam procul abest à fide, ex eo iam tempore, quo in Arabia fuerat Origenes, plurimúmque ibidem celebratus, notum Philippo, vtpote Arabi, & Bostris nato, exstitisse. Iam autem in Alexandro Imp. expertus, quantum fides nostra vel mediocriter à Cæsaribus, & Augustis agnita prodesset Ecclesiæ, meritò poterat arbitrari (id quod Celsus, ipsos præ se tulisse, & iactasse Christianos, scripsit) si ad fidem aliqui Imperatorum pertraherentur, alios atque alios deinceps pertrahendos; sícque futurum aliquando, vt vna vbique omnium esset fides, vna Religio. Negauit

*1. ad Timoth. 2. c. 10.*

de ſua apud Epiſcopos fidei teſtificatione vſurpare, præſertim in qua ſimul atteſtatus eſt, ſuos libros ab improbis hominibus, & ſui ipſorum amantibus fuiſſe corruptos. Cuius corruptionis vt certum habeatur teſtimonium, hæc ſunt ipſiuſmet Origenis verba, quæ ad quoſdam ſibi charos Alexandriæ degentes ſcripſit: *Quidam eorum*, inquit, *quibus libido eſt alios criminandi, nobis doctrineque noſtræ crimen blaſphemiæ impingunt, quod ipſi nunquam à nobis audierunt. Viderint porro, quid ſe futurum ſit, qui auſcultare iſti ſententiæ nolunt, quòd* maledici regnũ Dei non poſſidebunt. *Nam aiunt me dicere, patrem malitiæ & perditionis eorum, qui è regno Dei eijciuntur, hoc eſt, Diabolum, eſſe ſaluandum: quod ne quidem mente motus aliquis, & manifeſtè inſaniens dixerit. Verùm nec mihi mirum videtur, adulterari doctrinam meam ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpi, quali corrupta eſt Paulli Apoſtoli epiſtola. Quidam enim ſub eius nomine falſam ſcripſerunt epiſtolam, vt Theſſalonicenſes conturbarent, quaſi inſtaret dies Domini, eóſque ſeducerent. Qua de cauſſa ſic ſcripſit in ſecunda epiſtola:* Rogamus autem vos, fratres, per aduentum Domini noſtri IESV CHRISTI, & noſtrę cõgregationis in ipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritũ, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquã per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini; neque vos ſeducat vllo modo &c. *Talia igitur video mihi accidere. Quidam enim auctor hæreſeos, poſt habitam inter nos coram multis diſputationem, cùm illam ab ijs, qui deſcripſerant, accepiſſet, in ea addidit, quæ voluit; quæ noluit, abſtulit; quæ placuit, commutauit. Tum eius codicem, noſtro inſultans nomini, circumtulit, & quæ conſcripſerat ipſe, palam oſtentauit. Cuius rei indignatione permoti fratres, qui ſunt in Palæſtina, ad me Athenas certum hominem miſerunt, qui exemplar à me authenticum acciperet; quod ne relectum quidem vel recenſitum à me fuerat, ſed ita neglectum iacebat, vix vt inueniri poſſet. Miſi tamen, & (Deo teſte loquor) cùm illum ipſum, qui codicem adulterauerat, conueniſſem, facti ſui cauſſam attulit, quòd ornare diſputationem illam, & purgare voluiſſet. En quali purgatione diſputationem noſtram purgauit: quali ſcilicet Marcion Euangelia vel Apoſtolum; aut quali Apelles eius ſucceſſor. Nam vt illi veritatem Scripturæ ſubuerterunt: ſic iſte, ſublatis, quæ verè dicta à nobis erant; quò nobis crimen inferret, intulit quæ falſa ſunt. At licet homines hæretici & impij ſint, qui hæc facere auſi ſunt, tamen illi iudicem etiam ſentient Deum, qui talibus aduerſus nos criminationibus fidem accommodant. Hoc & alij nonnulli fecere, qui perturbare tentarunt Eccleſias. Denique Epheſi cùm eſſem, & me vidiſſet quidam hæreticus, nec congredi mecum voluiſſet, immo nec os aperire coram me, neſcio qua de cauſſa, ſuſtinuiſſet; idem me digreſſo, diſputationem vnam conſcripſit ſuo meóque nomine, qualem illi placuit, atque ad ſuos diſcipulos, vt quidem intellexi, Romam miſit; haud dubium, quin & aliò ad alios. Immo & Antiochiæ, priuſquam illuc veniſſem, adeò inſultârat, vt ad plurimos quoque noſtrorum ſua*

*Epiſtola Origenis ad quoſdam caros Alexandriæ.*

1. ad Cor. 6.

*Calumnia in Origenem execrabilis.*

*Ad Theſſal. ep. 2. c. 2. v. 1.*

*Origenis cum hæreſiarcha diſputatio coram multis habita.*

*Librorum Origenis corruptor detectus.*

*Scripturæ Sacræ corruptores.*

*Epheſi in Aſia, & Antiochiæ in Syria detexit Origenes falſarios ſcriptorum ſuorum.*

*illa*

*illa emanasset disputatio. Verùm vbi adfui, multis præsentibus eum redargui; cúmque citra pudorem vllum asserere pertenderet falsitatem, proferri codicem iussi, vt, si quid à me peccatum esset, id à fratribus (qui ea, quæ docere, ac disputare solitus essem, probè scirent) palàm agnosceretur. Sed proferre codicem non ausus, à cunctis confutatus & conuictus est falsitatis; sicq́ demum fratribus, vt ne posthac aures criminationibus darent, persuasum est.* Hæc ipsa Origenes. Qui & in aliquot alijs epistolis nonnulla habet similia. Sed homilia in Lucam vigesima quarta, dum de amore in proximum nonnunquam nimio, modúmque excedente disputat, satis dat intelligi, non modò istos calumniatores, & fidei nostræ hostes sibi fuisse fraudi, sed eos quoque, qui aliàs probi quidem ac sinceri, sed immodico in ipsum amore ferebantur, dum ea scilicet de illo eiúsque scriptis in vulgus spargerent, quæ inuidiam magis atque odium, quàm amorem atque admirationem ipsi parerent. Ipse autem intra suę mediocritatis mẽsuram se recolligens, non minùs immodicas laudes, quàm iniustas criminationes repellebat. Nam sua scripta cunctis aliorum anteferri, aut propinqua diuinis haberi, aut alterũ post Apostolos Ecclesiæ Doctorem aut magistrum se appellari minimè sustinuisset; minimè gentium. Neque enim dici facilè potest, quantam illi verba huiusmodi, vel iam diu demortuo inuidiã concitarint. Verũ Origenis in summo ingenio par modestia, animíque submissio, proprium sibi ac peculiare exigit Caput; quod illi inter virtutum ex eius scriptis recensionem reseruamus. Nunc ad hoc, quod à principio instituimus, reuertentes, istud adijcimus, caussam scilicet tantorum in eius libris errorum, siue potiùs tantæ corruptionis scriptorum eius ansam, & occasionem aliam fuisse nullam, quàm ipsorum librorum, & auctoris illorum præ alijs scriptoribus excellentiam. Quemadmodum enim, dum cuncti pro suis tuendis qualibuscunque opinionibus, Scripturę sacræ sibi vindicarent auctoritatem, eandem Scripturam fecerunt deprauatissimam, alij addendo, alij detrahendo, alij commutando: ita cùm post diuinos libros omnis ferè mundus secundam Origeni auctoritatem daret, cunctíque illum, quamuis inuitum & reluctantem, hoc est, planè alia sentientem, in sui patrocinium erroris pertraherent, nihil mirum, si plurima librorum eius exemplaria fuerint corruptissima. Fuit enim illa corrumpendi facultas in cuiusque describentis arbitrio. Non autem ita res habuit post inuentam artem typographicam; cuius vel vnica editio sincera & emendata, toti replendo orbi sufficiat. Quæ proinde ars, si tempore fuisset Origenis poterat ipse vnico exemplari correcto, vniuersa totius vniuersi exemplaria corrigere; quemadmodum è contrario, illa deficiente, facultas quoque corrigendi defuit. Qua de re alibi pluribus. Nam malitiæ hominum vix etiamnum satis occurri potest; quanto minùs antehac, & priscis olim temporibus? sed nunc illum pro suo, & Ecclesiæ bono, Romam abeuntem prosequamur.

*Nimius in Origenem amor ipsimet ingratus.*

*Corruptionis librorum Origenis vera caussa.*

*Artis typographicæ vtilitas maxima.*

CAPVT XX.

# CAPVT XX.

*ORIGENIS ALTERA AD VRBEM Romam profectio, & eius à mundi Philosophis æstimatio.*

HISCE, in quibus versamur, Philippi Imp. temporibus, profectum esse Romam altera iam vice Origenem, satis in comperto est; caussæ item itineris, tametsi haud satis compertæ sint, tres videntur potissimùm afferri posse; vna quidem, eaque probatissima, ad confutandam & euellendam ex animis Romanorum opinionem illam habitæ inter se, & nescio quem hæreticum disputationis (de qua paulo superiùs mentionem fecimus) Romam missæ, atque inter eiusdem Hæretici confictoris discipulos ad imminuendam Origenis existimationem euulgatæ; altera ad conueniendam, & pleniùs edocendam Otacillam Imperatricem Christianam, ipsúmque etiam, si negotia permitterent, Imperatorem, quibus & antehac per litteras erat notus: tertia, vt cum Fabiano Pontifice de rebus fidei, & statu Ecclesiarum communicaret; non verò (vt quidam sinistré existimauit) quòd ad dicendum caussam vocatus fuerit, cuius nullum affertur, nec vsquam apparet vestigium. Nam fingere hanc potissimùm fuisse caussá itineris, quòd non recepta esset eius fidei confessio litteris exarata, nec vllum afferre huius rei auctorem, & aliena in deterrimam partem interpretari silentia, nimis inhumani profectò est animi. Quòd si dicatur eius vitæ auctor, quia nimium ei studeret, hoc reticuisse, inimici eius omnes cur reticuerunt? Et ij, qui res S. Fabiani scripserunt, cùm ad honorem eius & laudem id spectaret, si verum esset; cur in ea re muti fuerunt? Ne vnus igitur quidem nec amicorum, nec inimicorum omnibus ante hanc nostram ætatem sæculis, minimam illius caussæ mentionem fecit; & qui vnus nunc facit, is sola sua vnius coniectura, perquam fragili baculo, nititur. Quare in alijs caussis, quæ suprà adductæ sunt, magis standum esse, quia fundamentum aliquod probabilissimum habeant, ipsa persuadet ratio. Iam autem Romæ cùm esset Origenes, nihil ibi (vt sentire verum est) habuit antiquius, quàm vt sanctum Pontificem conueniret, tam eius fruendæ sanctitatis gratia, quàm sermonum de vtriusque Ecclesiæ, Orientalis atque Occidentalis statu atque consensu in fidei mysterijs, atque eodem spectantibus sententijs miscendorum. Neque potest esse dubium, quin inter viros eiusdem studij atque zeli, & ambos pro Christo patiendi ardore admodum incensos (quod ipsis ambobus non multò pòst sub Decio Philippi successore, obtigit) facillimè conuenerit. Alterum Origenis

A. Caussæ profectionis 2. Romam.

genis opus, quemadmodum alibi, sic etiam Romæ fuit, in doctorum virorum cœtus se immittere, & disputationes atque congressus cum hæreticis (quorum ad veram fidem receptu mirè lætabatur) magno affectu appetere; ac si quos itidem alios seu Gentiles, seu Iudæos nancisceretur à lege nostra non prorsus abhorrentes, in eorum se societatem insinuare, & sensim vnà cum sermonibus semina iacere veritatis. Qui verò amarent philosophari, his studebat consectandæ principalis Philosophiæ salutares igniculos animis inijcere. Erat tunc Romæ celebris, atque inter Platonicos præcipuæ auctoritatis Plotinus Philosophus, olim Alexandriæ Origenis (vt quidam censent) condiscipulus, (vt ego magis autumo) auditor; certè autem perquam familiaris. *b*. Ad hunc igitur de rebus Philosophicis Romæ in Athenæo disserentem adductus est Origenes; quem cùm is in primo ingressu animaduertisset, recognouisśetque, statim genas rubore suffusus, assurgere voluit, sermonemque interrumpere: rogante autem Origene, vti eum prosequeretur, respondit ille, Studium loquendi cessare, quando, qui loquitur, animaduertit, se ad illos, qui idem ipsi nouerint, verba facere; atque ita, cùm pauca quædam disseruisset, inde surrexit. Hoc de præceptore suo (cuius & vitam perscripsit) celebris ille doctrina, sed non itidem religione, Porphyrius Philosophus denarrauit, cuius hodiéque in omnibus ferè Lyceis Isagoge in Aristotelem explicatur. Isto autem facto palam fecit Plotinus, quanti Origenem faceret, & quàm illum non in condiscipuli, sed in magistri potiùs loco duceret; tametsi Porphyrius contrà sentiat, putétque Origenem vnà cum Plotino discipulum fuisse Ammonij: sed sicut de priore illi assensus sum, quia id scire certò potuit ætate iam prouectus, neque id nisi certò cognitum dicturus fuisset, quippe ad Origenis potiùs, quàm ad magistri sui Plotini spectans laudem; ita de hoc posteriore illi nequeo assentiri, quòd diu ante natum Porphyrium id acciderit, & grandiori iam tum Origenis ætati minimè congruat. Audiuit quidem Origenes Ammonium (vt in Vitæ initio indicaui) non tamen vnà cum Plotino, sed multis annis priùs. Quamuis dici etiam possit Origenes ætate iam prouectior adisse & audisse Ammonium, sed tanquam auditor honorarius, vt nunc Romæ Plotini fuit auditor. Sanè videtur Plotinus cùm Alexandriam venit, vtrumque inuenisse, *c* Ammonium & Origenem; & vtriusque auditor exstitisse, quorum, ille in docenda Philosophia præcipuè, hic autem in Theologia potissimè tum occupabatur; quamuis & hic Theologus pro opportunitate Philosophica, & ille Philosophus subinde etiam Theologica pertractaret. Hos autem ambos sanctæ Ecclesiæ Scriptores, tametsi ab ingenio & eruditione collaudârit, atque admiratus sit Porphyrius, fidei nostræ hostis; de vtroque tamen propter mentis oculos nimio religionis odio suffusos, partim omnino falsa, partim vera, sed falsis mixta, mandauit litteris: & ita quidem, vt quæ grauissima credit Origenis vituperia, laudes eius sint quàm maximæ. Nam quòd Origenes legem Moysis defenderit, atque illam Christi-

*Plotinus Philosophus quanti fecerit Origenem B.*

*Porphyrius Philosophus Ethnicus.*

*C. Plotinus Ammonij & Origenis auditor.*

*Porphyrij de Origene & Ammonio mendacia.*

Christianæ concordem religioni per suas interpretationes ostenderit, amarit, secutus sit, hoc ei nimirum vitio vertit, quod tamen laude plenum est. Quòd autem Ammonium à Christianis parentibus educatum, degustatâ aliquantisper Philosophia, ad rationem viuendi Gentilium transijsse scribit, laudique attribuit; hoc nempe laudat, quod illi (si quidem verum esset) non mediocri vituperio foret. Quid enim fœdius, quàm à Christianismo ad Gentilismum, à Deo verò ad falsa idola, discessionem fecisse? Sed proferemus primò ipsa Porphyrij verba; deinde, in quibus à vero recesserit, ostendemus. In tertio igitur libro operis sui aduersus Christianos conscripto, sic habet: *Quidam illorum, inquit, à Iudaicarum scripturarum falsitate nolentes abscedere, sed earum nodos malentes soluere, ad interpretationes decurrunt malè cohærentes, & ijs, quæ scripta sunt, incongruas, non tàm vt aliena defendant, quàm vt laudent, & intrudant sua. Nam illa, quæ à Moyse satis clarè dicta sunt, ænigmata esse iactitantes, & tanquam diuina oracula occultis plena mysterijs extollentes, fascinato præ insolenti arrogantia mentis iudicio, suas inducunt explanationes.* Tum paullo inferiùs hæc subdit: *Huius porrò absurditatis ratio, vel ex vno Origene discatur (quem & ego admodum adolescens cognoui) valde quidem tunc spectato, sed & nunc propter libros à se ad posteritatem transmissos magni æstimato: cuius etiam gloria apud istius doctrinæ magistros latè dispersa est. Hic Ammonij cùm esset auditor, viri sanè hac nostra ætate plurimùm in Philosophiæ stadio progressi, haud parum ab eo ad eruditionis insignem peritiam est adiutus: sed ad rectum vitæ institutum quod attinet, contrariam magistro suo instituit viam. Ammonius enim homo Christianus, & à Christianis parentibus educatus, confestim vt sapere cepit, ac Philosophiam degustauit sese ad vitam, quæ secundùm humanas leges ducitur, transtulit. Origenes autem homo Gentilis, & doctrina Gentilium eruditus, in barbarum impegit facinus, quo & semet ipse, & illam, qua præditus erat, doctrinæ peritiam adulterauit: quippe Christianè, & contra leges viuens, atque ipsas tam de Deo, quàm de alijs rebus opiniones, instar Gentilium tractans, & ea, quæ ipsorum sunt, alienis submiscens fabulis. Nam Platonem perpetuò volutabat; in scriptis Numenij, & Cronij, & Apollophanis, & Longini, & Moderati, & Nicomachi, & eorum, qui inter Pythagoreos doctrina eminebant, studiosè versabatur; Chæremonis quoque Stoici, & Cornuti libros lectitabat; ex quibus omnibus cùm mysteriorum, quæ apud Græcos sunt, explicandorum rationem percepisset, hanc scripturis Iudaicis adaptabat.* Hæc ibi Porphyrius. qui de Ammonio quidem in eo aberrauit, quòd eum à fide Christiana desciuisse dixerit: de Origene autem, quòd in duobus minimùm tribusue punctis à veritate deuiarit. Nam & Christianus semper fuit, & ex parentibus Christianis est natus, nec fidem vnquam demutauit; nec Ammonij cum Plotino (vt iam dictum est) sed diu ante Plotinum, & in Philoso-

*Porphyrij Philosophi aduersus Origenem calumnia.*

*Ammonius Philosophus Christianus.*

*Philosophi ab Origene peruoluti.*

phia tantùm discipulus fuit; in Theologia autem non modò æqualis, sed etiam maior Ammonio exstitit atque celebrior. De fide porrò Ammonij, ab initio ad vitæ metam, constanti, restes sunt eius libri, tum alij, tum ille potissimùm, qui, *De consensu, & conuenientia* IESV *cum Moyse*, inscriptus est. De Auctorum verò copia, quos legisse Origenem dixit, fidem faciunt ea in primis volumina, quæ contra Celsum edidit. Ibi enim & horum aliqui, & aliorum plurimi in medium adducuntur; alibi autem, etiam alij. Neque defuerunt, qui vitio illi verterent tantam in extraneis scriptoribus, ac profanis artibus operam posuisse: sed rudes illi atque ignari rerum fuerunt, neque considerarunt, quàm necessaria esset ea cognitio ad Gentiles suis ipsorum armis oppugnandos, ac debellandos. [d] Quos proinde Origenes, datâ ad ipsos epistolâ, & allatis clarissimorum ac sanctissimorum virorum exemplis, qui idem maximo Ecclesiæ bono priùs factitarant, egregiè retudit, ac refutauit. Verùm de his ex occasione congressus Origenis cum Plotino Philosopho in vrbe Româ, hactenus satis. Nam tempus ad aliam eius perhonorificam peregrinationem nos sollicitat.

*Ammonij philosophi Christiani Scripta.*

*Librorum profanorum lectio non est ab Ecclesiæ doctoribus aliena.*

---

# CAPVT XXI.

***ORIGENIS IN ARABIAM AD Concilium Episcoporum aduersus subnascentes Hæreses euocatio, & eiusdem contra illas zelus ardens.***

*A. Concilium Arabicum.*

REBVS prosperè ac feliciter Romæ gestis, doctrina & auctoritate Origenis aduersus hæreses cùm opus haberet Arabia, non distulit, non detrectauit, homo à iuuentute laboriosus, & frequens in itineribus, tametsi, iam sexaginta quatuor, eòque ampliùs annos natus eò proficisci, sed promptè atque alacritèr illud iter suscepit, atque insignem huius suæ profectionis deuictâ recenti quadam Hæresi, fructum retulit. Nam erant in Arabia temporibus Philippi Imp. nonnulli hoc perniciosissimo errore infecti, vt crederent, in cuiusque hominis obitu, vtraque simul, & eodem momento, corpus, & animam interire, pariterque extingui; quemadmodum & in die magni iudicij, generalisque resurrectionis vtraque simul pariterque suscitari. Hac de caussa cùm non exigua Synodus Episcoporum inibi haberetur, ad eam accitus est & Origenes; qui rogatus suam super hoc argumento explicare sententiam, ita de animæ dignitate præstantiáque disseruit, ita omnimodam immor-

*Error de resurrectione ab Origene exstinctus.*

immortalitatem, ex quo primùm creata est, in omne deinceps æuum illi propriam stabilémque, cunctis ab eius ore pendentibus, comprobauit, vt illi quoque, qui se abripi in errorem contrarium antehac siuerant, eius oratione mirifica obstupefacti, ac velut inuictis atque indissolubilibus solidarum rationum vinculis constricti, volentes lubentes in eius se ire sententiam conclamârint. Sic illam non modò rectæ rationi conformem atque à præcipuis ac nobilissimis variarum gentium Philosophis, pro certa & indubitata receptam, sed etiam (quo nihil apud Christianos sanctius est, atque inuiolabilius) plurimis sacræ Scripturæ tàm veteris, quàm noui Testamenti testimonijs innixam atque fundatam demonstrârat. Ergo tunc illa hæresis auctoritate Concilij Arabici magnam huius præclari successus partem Origeni acceptam referentis, penitus exstincta est. Neque hæc solùm, sed & aliæ multæ varijs temporibus, seu in Ægypto, seu in Arabia, seu in Syria, seu in Græcia, seu in alijs regionibus, ipso cum earum propugnatoribus & antesignanis disputante, oppressę, aut repressæ sunt. [b] Sub hoc ipsum tempus Philippi Imp. fertur & alia hæretici erroris peruersitas enata esse, aut vt quidam volũt renata, nempe hæresis Helcesaitarum appellata; cuius primum auctorem fuisse memorant quendam Elxaï nomine, pseudoprophetam, Traiani temporibus, qui & librum tanquam atro afflatus spiritu ediderit; seu secundùm diuinam quandam sapientiam, scilicet. Hic varios errores ab hæreticis Ossenis, Ebioneis, & Nazaræis consarcinauit, quibus & alios è cerebro suo superaddidit. Hic quidem sacram Scripturam vtriusque Testamenti admittebat, & ex vtroque productis in suæ opinionis cõfirmationem vtebatur sententijs ac testimonijs, sed nonnulla simul ex vtroque tanquam spuria & adulterina reijciebat: Apostolum Paullum penitus & in totum respuebat, atque à sacrorum Scriptorum choro excludebat: fidem, cùm vsus exigeret, sine peccati periculo abnegari posse adstruebat: satis enim ad salutem esse, fidem in corde custodiri. Habent autem eius sectatores doctrinam suam vno libro, quem de cælo ad se demissum ferunt, comprehensam, cui quisquis crediderit, peccatorum remissionem quandam singularem, ac diuersam ab ea, quam Christus indulget, consecuturum tradunt. Alia insuper multa de iisdem hæreticis proferuntur; sed hæc, quæ protuli iam in medium, certa sunt ex ipso Origene, illorum debellatore. Is enim verba ad populum super Psalmo octogesimo secundo cùm faceret, ad alia digressus, ita dixit: *Accessit quidam hoc tempore vir arrogans & elatus, propterea quòd opinionem Helcesaitarum impiam ac maximè sceleratam nuper aduersus Ecclesias insurgentem tueri se posse præsidat. Hæc igitur opinio ista proferri (proponam enim vobis, vt ne vos ab ea facilè sinatis abripi) quædam ab omni scriptura tanquam aliena resecat; vtitur tamen testimonijs ex vtroque testamento sumptis: Paulli Apostoli omnia reprobat: fidem abnegare, rem esse indifferentem tenet; quod qui sciat, in temporibus calamitosis fidem ore infitiabitur, corde autem nequaquam. Quin & librum quemdam circumferunt*

*Animæ immortalitas asserta.*

*Hæreses variæ varijs in locis expugnatæ.*

B.

*Helcesaitarum hæresis quænam fuerit.*

*Libri quidã Scripturæ ab hæreticis reprobati.*


runt

Remißio peccatorum fabulosa apud hæreticos Helcesaitas. runt, quem è cælo delapsum prædicant; quem qui audierit, eiusque doctrinæ auscultauerit, peccatorum remißione donatum iri, & alia quidem remißione, quàm sit ea, quæ à IESV CHRISTO dependitur. Sic ibi.[c] Contra eandem hæresim etiam Alcibiades ex Apamea Syriæ plurimùm depugnauit: sed Origenes in ea debellanda primas tulit. Neque sanè mirum, seu in hac, seu in alijs quàm plurimis hæresibus depugnandis primas eum tulisse, & plurimas in cælum palmas importasse, qui tanta cura, tanta sollicitudine eam in rem se impendebat, vt sibi simile morti reputaret, immo ipsa morte grauius, si quem è fratribus à fraudulento hæreticorum genere deceptum, atque in ipsorum retia pertractum cognouisset. Ecce aliquod huius doloris atque zeli specimen ipsismet eius verbis expressum hîc appono. Nam Origenes in cap. 18. Geneseos. tractans illum Geneseos è cap. 18. versiculum: *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Ex vno isto sermone*, inquit, *solent hæretici Deum meum impugnare,* Zelus Origenis aduersus hæreticos. *ac dicere: Ecce nesciebat Deus legis, quid ageretur in Sodomis, nisi descenderet, & videret, & nisi mitteret, qui discerent: sed nos, quibus præcipitur præliari prælia Domini, acuamus aduersus eos rhomphæam verbi Dei, & occurramus eis in pugnam: stemus in acie succincti lumbos in veritate; simul & scutum fidei præferentes, excipiamus eorum venenata disputationum iacula, & in ipsos diligentiùs librata fortiter ex aduerso retorqueamus. Talia enim sunt prælia Domini, quæ præliatus est Dauid, ac ceteri Patriarchæ. Stemus, inquam, aduersus eos pro fratribus nostris. Melius enim est, mori me, quàm vt rapiant ac prædentur aliquos ex fratribus meis, & argutis verborum cuniculis & subreptionibus captiuos ducant paruulos, & lactentes in Christo. Nam cum perfectis quidem nec conserere manus quibunt, nec in certamen descendere audebunt. Nos ergo Dominum prius deprecati, & vestris ad Deum votis adiuti, aggrediamur contra eos prælium Verbi.* Hæc bonus Christi miles, assuetus (vt passim videre est) non in acumine ingenij, non in maturitate iudicij, non in vsu solertiáque disputationis, non in promptitudine ac facundia orationis, non denique in vlla factis scriptísque parta auctoritatis excellentia, sed in Dei ope, atque in fratrum pro se vota precésque fundentium charitate, singulariter confidere. Sed quia hæc eius erga Deum pietas, & rara in nodis difficilibus, aut in casibus asperis fiducia, specialem postulat tractatum, nihil in præsentia plus addam, dicturus suo loco, quantum ipsa res exiget. Nunc autem postquam Origenes tempus sexaginta quinque annorum (hanc enim ætatem attigerat) auxiliante Dei gratiâ decurrimus, reliquos quatuor annos (nec enim plures in vita superfuit) præclara fidei confessione inclytos, & superatis pro CHRISTO IESV quàm acerbissimis tormentis gloriosos, proximo capite complectemur.

## CAPVT XXII.

# CAPVT XXII.

*ORIGENIS IN ACERBA DECII TYRANni persecutione fortitudo, & inuictus in tormentis pro Christo sufferendis animus.*

QVOD egit Maximinus tyrannus post Alexandri Seueri Imp. mortem, hoc fecit & Decius post Philipporum à se occisorum necem. Nam vt ille ex odio religionis Christianæ ab Alexandro sustentatæ, acerbius est Christianos persecutus; ita & hic ex eiusdē à Philipppis, patre & filio, Impp. susceptæ ac defensæ inuidia, quanto potuit conatu ad eam opprimendam mox à surrepto per fraudem atque cædem Imperio, totus incubuit. Neque vllus ab vtroque magis desideratus ac requisitus est ad tormētā & necem, quàm Origenes, propterea scilicet, quòd omnium maximus ac testatissimus Deorum hostis atque irrisor, & contrà, Christi Domini præcipuus assertor ac defensor haberetur; potissimè autem quòd in vtraque aula, tàm Alexandri Imp. propter matrem Mammæam (quam in fide instituerat) quàm Philippi itidem Imperatoris, [b] propter Seueram eius coniugem, ad quam litteras fidei & religionis plenas dederat, & apud quam præcipua in auctoritate fuerat, & quòd multa eius cōsilio longè aliter in statu Imperij peracta essent, quàm ipsi desiderassent. Verùm, ô Deus, factum bene! [c] quòd neutrius tyranni longum passus fuerit esse Imperium. Nam prioris tyranni trimum dumtaxat fuit, quo tempore cùm alios ipse interceperit & interfecerit quàm plurimos, eum tamen quem maximè quærebat Origenem, non quiuit comprehendere: posterioris autem, siue Decij ne bimum quidem fuit Imperium saltem integrum: quo breui spacio licet per canes suos venaticos & furoris sui satellites comprehendere & tenere Origenem potuerit, adeóque tenuerit, vincere tamen inuictum eius animum, atque à Christo separare non potuit. Atque illum quidem occidere, si id solùm illi collibuisset, facile atque obuium erat: sed quoniam magis vrebat tyranni animum illatas Dijs suis vlcisci iniurias, & cogere hominem, qui illos irriserat, despexerat, conculcarat, suos ipsis honores vel thure adolendo, vel magnos Deos profitendo, vel per illorum nomina deierando restituere; in longum res iuit, & alia super alia diuersis tēporibus adhibendo tormentorum genera, & aduersus obfirmatum pro Christi fide animum nequidem hilum proficiendo, tandem factum est, vt priùs è vita pelleretur Decius tyrannus, quàm à fide moueretur aut tormentis succumberet Christi Confessor Origenes. Nam iuratus ille generis humani hostis Diabolus non id habebat cordi, vt stantem in fide sua de medio tolleret Origenem, nec vt corporis dumtaxat vitam adimeret (quippe maiori hoc sibi damno, quàm lucro, & contrà maiori lucro Origeni quàm damno futurum

turum reputabat) sed ad eius ruinam animæ potissimùm grassabatur, sæuísque ac diuturnis supplicijs, illius patientiam frangere, vel longanimitatem expugnare conabatur. Quo tandem aliquando fieret, vt tot eximiorum Martyrum eius præcipuè post Deum operâ coronatorum palmas, illius vnius lapsu (quo labefactandam plurimorum fidem sperabat) dignè vlcisceretur. [d] Ergo illum à truculentis comprehensum satellitibus, atque ad inferiora fœtidi carceris, graui ferreâ catenâ ceruicem degrauante protrusum, omnimodis ad turpem à fide defectionem artibus sollicitauit; iam eius membra in equuleo per dies multos excruciando, iam alias, quas animus insatiabilis excogitare acerbissimas potuit carnificinas exercendo, iam & atrociora ignis atque flammarum tormenta interminando. Denique Iudex ipse illius perdomandi atque peruincendi auidissimus, cùm in omnes se partes verteret interrogationum, promissionum, minarum, suppliciorum, nullum vnquam ex eius ore verbū exprimere, extorquereue potuit, nisi modestum, pium, vereque Christianum. Ita dum lōgi pedore carceris ac squallore macerādus atque peruincendus creditur, nō ipse athleta martyrio, sed magis athletæ ipsi martyrium defuit: & quod verissimè dici potest, re ipsa sæpe Confessor, voto autem atque ardenti desiderio à prima vsque pueritia ad extremam ætatem, nunquam non martyr aut martyrij candidatus fuit. Et huius quidem ardentis voti ac desiderij quin aliquos subinde igniculos ac scintillas, seu in cōcionibus, seu in scriptis suis emitteret, sese haud poterat cōtinere. Hinc in explicanda S. Pauli ad Romanos epistola hæ illi voces nonnunquam eruperunt. *Terrere me terrenus gladius non potest. Mecum enim habeo gladium Spiritus, quod est Verbum Dei: & mecum est* viuus sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. *Si igitur mundi gladius nostris impenderit ceruicibus, maiorem mihi ad Deum conciliabit charitatem, dicámque illi quod scriptum est:* Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. *Non enim mihi sufficit vna hora mori pro Christo, vel cruciari, sed tota die, hoc est, omni vitæ meæ tempore. Si enim totam vitam meam in persecutionibus & periculis exegero, tum dicam.* Quòd non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Hæc ille martyrij flamma æstuans. Hinc & ille animum exedens persecutionis amor emanabat, & cū illo simul ingens timor, ne ea indignus apud Deum haberetur, cùm habens verba ad populum ita diceret. *Quia pro nobis non offeruntur hostiæ Martyrum, idcirco nostra in nobis peccata remanent. Nec enim meremur persecutionem pro Christo pati, nec propter Filij Dei nomen emori. Hinc & Diabolus minimè ignarus per mortes Martyrum remissionem fieri peccatorum, non vult publicas Gentilium mouere persecutiones, conscius nimirum, si ad Reges & Præsides propter Christi nomen adducamur in testimonium Iudæis ac Gentilibus, gaudium nobis fore & exultationem, propter multam in cœlo mercedem nobis repositam. Nunc ergo persecutiones non sunt, vel quòd Diabolus nostræ inuideat gloriæ, vel quòd Deus qui omnia* 

*prænoscit,*

Hebr. 4. v. 12.

Rom. 8. v. 36.

Ibid. 218.

Homilia 10. in cap. 8. numer.

*prænoscit, nostræ prospiciat infirmitati. Nouit enim Deus qui sint eius, & in illis interdum, de quibus non speratur, thesauros suos habet. Non enim sicut videt homo, ita & Deus. Ego quidem sanè non dubito, quin & in hoc conuentu sit aliquos reperire illi soli cognitos, qui hâc ipsâ hora Martyres apud ipsum sint testimonio conscientiæ, parati sanguinem suum (si quis tyrannus expetat) pro nomine* IESV *profundere. Neque etiam vllatenus ambigo, quin & nonnulli sint, qui crucem suam nunc ferant, & eum sequantur.* Hæc igitur ipse Origenes ex quodam orationis suæ ad id quod maximè amabat, & quod flagrantissimè concupiscebat, non ingrato auditoribus suis diuerticulo, agitante intus eo quo feruebat Spiritu, velut illo Apostolorum musto plenus effudit. Quæ verba haud scio, an vlli magis è toto illo quem alloquebatur cœtu, quàm ipsimet vni præ omnibus potuerint conuenire. Nam in illo ipso tempore, quod probandis fidelium animis in Deciana persecutione, tamquam in decumana tẽpestate, à Deo concessum aut permissum est, Origenes nullis territus minis, nullis delinitus promissis, nullis fractus tormentis fortem se Ecclesiæ athletam, & germanum Domini IESV discipulum exhibuit. *Origenes pro fide tortus.* Et quamuis illam, qua postremo distractus est, carnificinam mors non continuò sit secuta; tamen adeo malè affectis debilitatisque membris relictus est, vt non plus biennio aut summùm triennio superstes fuerit, ac solis ferè dictandis epistolis, quibus eos solaretur, quos eadem afflixerat tempestas, idoneus exstiterit. Ipsi autem fratrum suorum benignissimo consolatori suum quoque submisit Deus multò gratissimum consolatorem, nempe S. Dionysium Alexandrinum, suum aliquando discipulum, & nunc totius Ægypti sacratum Præsidem, qui vt Magistro suo aliquam referret vicem pietatis, librum de Martyrio composuit, eumque Origeni dedicauit: quem & post eius mortem, ad quam nunc tendimus explicandam, dilaudauit. *S. Dionysius Alexandrinus librũ dedicat Origeni.*

---

# CAPVT XXIII.

## *ORIGENIS PRÆCLARA MORS, honesta sepultura, & insignis apud posteros existimatio.*

DIVINÆ proprium est benignitatis ac misericordiæ, vt quos in florenti æuo magnis ac frequentibus tenuit exercitos laboribus, eos metæ iam appropinquantes ac morti vicinos minimè derelinquat: nedum illos qui pro eius defensione honoris, & pro rectæ assertione fidei suas periculis atque tormentis animas non semel, sed sæpius, vltro libenterque obiecerunt. Tales enim in suo vitæ exitu, & cùm robur defecerit, ope diuina destitui, & exspectata regni cælestis gloria defraudari, & dicere nefarium est, & cogitare impium. Ad illos enim

 potissimè,

1. Cor. 10. v. 13. potissimè, si ad quem alium, censenda sunt pertinere illa Paulli Apostoli verba, quibus suos alloquebatur Corinthios: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Quo firmiter constituto, nequaquam dubitari potest, certè non debet, [b] quin Origeni à primo adolescentiæ flore ad bella Domini prælianda inuncto, & continuis exinde laboribus, vigilijs, sudoribus, certaminibus (vt proximè à morte absfuerit) pro Dei Ecclesia conflictato, Diuina gratia, & cælestis fauor semper comes adfuerit, ac felici demum sorte eum perbeârit. [c] Habemus igitur eum Tyri, vrbe Phœniciæ clarissima, iam annos vndeseptuaginta natum, imperantibus Gallo & Volusiano, & post Christi salutarem exortum, circiter ducentesimo quinquagesimo sexto, præclara morte esse defunctum. Quippe quam mortem in homine aliàs viuido, exaggerata sub Decio tyranno tormenta plurimùm accelerarint. Hinc admodum credibile est, iam Tyri fuisse Origenem, cùm à Decio moueri cœpta est persecutio, aut etiam aliquanto priùs, seu Antistitum inuitatu (vt sæpe alibi factum vidimus) seu qualibet alia de caussa; ibidémque ea passum tormenta, quæ paullò antè indicauimus: ita vt illis debilitatus non quiuerit deinceps, aut non collibuerit aliò demigrare; sed mortem illic atque sepulturam elegerit. Nam sepulchro ibi honoratus est, frequentibus eò peregrinis spectabili, atque etiamnum (vt in scriptis atque in lucem editis multorum peregrinationibus hodieque reperitur) ad memoriam posterorum superstite. [d] Nam perdiu felix eius memoria, atque inter viros doctos celebris existimatio, propter confessam ipsius eminentem sanctimoniam, atque eruditionem, prospero cursu perennauit. [e] Certè S. Pierius Presbyter Alexandrinus, qui recente adhuc & calente Origenis memoria atque fama vixit, cùm eum sibi in multimoda doctrina imitandum, & peræquè in amore paupertatis vitæque sanctimonia æmulandum proposuisset; vsque eò in vtroque progressus est, vt pro insigni laudis titulo *Origenes iunior* sit appellatus: qui & omni vita feliciter decursa Sanctorum choro ad diem quartam Nouembris reperitur adscriptus. Adeò tum in benedictione erat nomen Origenis! [f] Ad scripta verò eius quod attinet, nullius Auctoris opera, secundùm Scripturas sacras, ante primum Nicænum Concilium, immo & illius tempore, atque aliquanto etiam pòst, tàm fuere celebrata, aut à partibus inter se dissidentibus, in suarum protectionem opinionum pro auctoritate vindicata, quàm Origenis. Nitebantur Ariani nonnulla ex eius libris decerpere, quibus illum ostenderent pro se facere: [g] at magnus Athanasius, *Nequaquam*, inquit, *nequaquam à vobis stat ille laboris amans Origenes. Nam quæ in medium ex eo produxistis, non ex sua, sed aliena locutus est persona: quòd si quæ ex sua locutus est, audire vultis, hæc sunt.* Tum verum ac germanum sensum pro Filij Diuinitate ex libris eius produxit. Neque ego eundem Athanasium de Origene vnquam locutum esse nisi cum laude in germanis

eius

Marginalia: b. c. Obijt Origenes anno ætatis vndeseptuagesimo. d. e. S. Pierius Presbyter ob virtutem & doctrinã Origenes Iunior appellatus. g Athanasius in libro De Nicænæ synodi decretis.

eius scriptis reperio. Quod ipsum à maioribus suis, & ipsiusmet Origenis discipulis, præsertim à S. Alexandro Hierosolymorum Episcopo & Martyre, & à S. Gregorio Thaumaturgo accepisse mihi persuadeo. Denique, vt dicere institueram, scripta Origenis, ab eius obitu permagno studio à viris pijs & doctis requiri cœpta sunt, & describi, & manibus volui, & latinè transferri, & contra obtrectatores defendi. Inter quos descriptores atque defensores principem locum obtinuit, qui pulcherrimam inter omnes Martyrij palmam reportauit, S. Pamphilus. Hic enim *maximam partem voluminum Origenis manu sua descripsit, quæ vsque hodie* [ verba sunt S. Hieronymi laudibus eum prosequentis ] *in Cæsariensi Bibliotheca habentur: sed & in duodecim Prophetas viginti quinque exegeseon Origenis volumina manu eius exarata reperi, quæ tanto amplector & seruo gaudio, vt Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitia est, vnam epistolam habere Martyris; quanto magis tot millia habere versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?* Descripsit autem libros illos sanctus ille Martyr eodem, quo Origenes morte obijt, sæculo, ante Cōstantini Magni, & primæ Synodi Nicænæ tempora, quando etiam librum vnum pro eodem apologeticum exarauit, in quo ea, quæ falsò obijciebantur Origeni, ex ipsiusmet Origenis auctoritatibus quàm plurimis, vtpote in eo versatissimus, solidissimè refutauit: neque hoc contentus, Eusebium Cæsareæ Palestinæ Episcopum sibi amicitia, & studiorum paritate coniunctissimum, ac propterea *Eusebium Pamphili* vulgò appellatum, ad alios libros pro eodem Origene secum vnà elaborandos sollicitauit. Nam cùm istius Apologiæ sex in vniuersum libri fuerint, facillimè probari potest ( quemadmodum & infrà à nobis probabitur ) primum illorum à S. Pamphilo singulariter conscriptum esse, postremum autem post S. Pamphili mortem à solo Eusebio; intermedios verò mutuis amborum coniunctisque laboribus: ac hos quatuor quidem ( vt non nulli auctores sunt ) [k] cùm ambo in vno eodémque carcere propter Christianæ fidei confessionem detinerentur. Hos porrò libros mutuis operis à se exaratos, ijs, qui eadem tempestate propter Christum ad metalla damnati erant, solatio miserunt: inter quos præcipuus fuisse fertur Patermuthius, is qui haud diu post gloriosum S. Pamphili exitum, etiam ipse insignem Martyrij palmam inter flammas reperit. Tum alij quoque plurimi, nouis exsurgentibus aduersarijs, nouas cudere defensiones aggressi sunt. Iam verò, qui libros Origenis post Nicænum concilium perquam familiares, perque charos habuerunt, hi sunt è Græcis nominatissimi: S. Basilius magnus, & S. Gregorius Nazianzenus, [m] qui & flores ex illis excerpserunt; S. Gregorius Nyssenus, Basilij frater, nec eloquentia, nec sanctimonia fratre inferior; & Didymus ille Cæcus, sed plurimis videntibus, in Scripturæ quidem sacræ intelligentia longè oculatior, cuius se fuisse discipulum non semel ipse gloriatus est Hieronymus. Hic est Didymus, qui primus Origenem, vnum post Apostolos Ecclesiæ Magistrum, applaudente & approbante

*Hieron. l. de scriptori-bus Eccl. in Pamphilo.*

*S. Pamphili pro Origene Apologia.*

K.

*S. Patermuthius insignis Martyr.*

M.

*Didymi Cæci laus.*

bante Hieronymo auditore, appellauit. Hic est Didymus, qui libros in Scripturam plurimos, & de alijs argumentis non paucos, & de Spiritu-sancto librum vnum (quem in Latinum vertit idem Hieronymus) Græco eloquentique sermone dictauit. Hic est Didymus, quem magnus ille Antonius Eremita, honoris gratia, & eius participandæ doctrinæ studio nonnunquam inuisit, & externæ eius cæcitati, de interna mentis claritate solatij medicinam fecit. Iam è Latinis, quantus fuerit S. Victorinus Martyr, Pictauiensis Pontifex; quantus S. Hilarius, itidem Pictauiensis Antistes, & illustris fidei Confessor; quantus etiam Eusebius Vercellensis Ecclesiæ Præsul, & fortissimum aduersus Arianos propugnaculum: quantus quoque S. Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, vix est vnus aliquis adeò rerum Ecclesiæ rudis atque ignarus, qui ignoret. Atqui Origenem illi permagno æstimauerunt, & requisita eius scripta non studiosè modò legerunt, sed etiam, vt à Latinis Græcè ignaris legi possent, nonnulli laborem vertendi è Græco in Latinum sermonem vltrò susceperunt. De quibus omnibus ipsum Hieronymum, qui aliquos eorum vidit, aut videre per ætatem potuit, testem habemus locupletissimum. Quin & ipsemet Hieronymus longè plùs atque ardentiùs non istis modò, quos iam recensui, sed omnibus omnino tàm Græcis quàm Latinis Scriptoribus, & amauit Origenem, & laudauit, & defendit, & Latinè vertit, & ad eius lectionem studia omnium præ quolibet alio mortalium concitauit. Quippe qui ad Damasum Papam (cui & aliquando ab epistolis fuit) suam mittens ac dedicans Origenis in Canticum interpretationem, *Origenes*, inquit, *cùm in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit. Nam decem voluminibus explicitis (quæ ad viginti vsque versuum millia penè peruenerunt) primùm Septuaginta Interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum Quintam Editionem, quam in Actio littore inuenisse se scribit, ita magnificè apertéque disseruit, vt inde mihi videatur in eo completum esse, quod dicitur:* Introduxit me Rex in cubiculum suum. *Itaque opere illo prætermisso (quia ingentis est otij, laboris, & sumptuum, tantas res, támque dignum opus in Latinum transferre sermonem) hos duos tractatus, quos in morem quotidiani eloquij paruulis adhuc lactentibus composuit, fideliter magis quàm ornatè interpretatus sum, gustum tibi sensuum eius, non cibum offerens. Tu animaduertas, quanti sint illa æstimanda, quæ magna sunt; cùm sic possint placere, quæ parua sunt.* Ita Hieronymus, qui deinde duas subiungit Origenis Homilias, breues quidem illas, sed egregias & melle ac fauo dulciores. At de eius scriptis hæc pro Vitæ corollario dicta sint generatim. Nam specialis eorum recensio & æstimatio tractatum exigit singularem. Quod igitur ad Dei Op. Max. gloriam, & omnium Sanctorum honorem bene vertat, hîc contextus vitæ ipsius, & libri primi huius operis finis esto.

*SS. Patres Origenis laudatores & interpretes.*

*S. Hieronymi de Origene testimonium.*

*Cantic. 1. v. 3.*

LIBER II.

# LIBER SECVNDVS.

## *ILLVSTRIVM QVARVNDAM Origenis virtutum in scriptis eius præcipuè emicantium delibatio.*

ABSOLVTO per Dei gratiam toto vitæ Origenis contextu, incitari me sentio, vt tria quæ restant ad plenam eiusdem Origenis cognitionem, quanquam laboris non exigui, tamen confisus Deo meo, qui in cæteris mihi adfuit, lubens suscipiam. Primum est vt ex eius scriptis virtutes illas potissimè hîc expromam, quæ in hominibus rectæ fidei indices vt plurimum esse solent. Secundum, vt præcipua indidem ad Ecclesiæ instructionem & morum disciplinam pertinentia documenta bono publico seorsum hîc euulgem. Tertium, vt difficultates quasdam super diuersis SS. Patrum de Origene dissidentium opinionibus pro mea virili enodem. Hæc tria in honorem sanctissimæ Trinitatis, postulato quanta possum mentis ingeniique demissione, potentissimo eius auxilio nunc aggrediar.

Ad primum igitur quod attinet, virtutes in scriptis Origenis lucidius emicantes sunt hæ in primis: Pietas in Deum, Humilitas Christiana, Timor Domini, Charitas martyrij appetentissima, zelus aduersum orthodoxæ fidei hostes ardentissimus.

---

## CAPVT I.

### *PIETAS IN DEVM ET CHRISTVM IESVM.*

PIETAS quæ, teste Paullo, *ad omnia vtilis est, promißionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*, in hoc virtutum choro prima 1. ad Timot. 4. v. 7.
procedet. Ipsa enim, vt promissione vitæ, quæ nunc est, & hîc in terra degitur, Origenem non defraudauit (quippe annos vndeseptuaginta huius vitæ muneribus præclarè perfunctũ) ita futuræ, quæ à nobis speratur, & ab ipso (vt in Deo confidimus) iam tenetur, minimè defraudatum esse persuadet.

Ad

§. 1. Ad hanc eius pietatem spectat, quòd omnia solitus sit ad Dei referre gloriam: sicut multis in locis testatum fecit & nominatim homilia 19. in cap. 24. Numerorum. *Hæc etiam*, inquit, *de vltima Balaam prophetia à nobis pro viribus dicta sunt, quæ pro locorum difficultate, explanandi magis quàm perorandi stilo placuit explicari. Quid enim interest, dummodo omnia ad ædificationem dicantur, & omnia ad gloriam Dei fiant?*

Quanto autem, & quàm melleo sanctæ Pietatis sensu perfundi solitus sit, ipsa eius verba cum sanctissimo & suauissimo nomine IESV identidem medullitus exprompta, atque ex ore & calamo in ipsius elucubrationes percrebrè aspersa planissimum facient.

Atque vt à vetere ordiamur Scripturarum instrumento, ecce tibi vnum eius locum super illa de Christo prophetia: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Numerorum 24. cuius postrema verba Christo accommodans, homilia 18. in dictum caput, Et sic ergo, inquit, in prædam accipit omnes filios Seth: victis scilicet aduersarijs dæmonibus, eos qui sub ipsorum dominatu tenebantur, Christus quasi prædam victoriæ suæ ducit, & spolia salutis reportat, sicut & in alijs de eo scriptum est. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*: captiuitatem scilicet illam humani generis, quam diabolus ad perditionem ceperat, ipse rursus captiuam duxit, & à morte reuocauit ad vitam. Vtinam ergo & me captiuum habeat semper CHRISTVS IESVS, & me ducat in prædam suam, & ego tenear eius vinculis alligatus! Vt & ego dici merear *Vinctus* IESV CHRISTI, sicut Paullus de seipso gloriatur.

(Numer. 24. v. 17.) (§. 2.) (Ephes. 4. v. 8.) (Votum pium Origenis.)

Hoc igitur fuit pium Origenis votum, ex illius veræ captiuitatis memoria, tanquam ignis è silice, extusum. Quo pietatis & igneæ charitatis voto tum demum potitus est, cùm pro eiusdem Christi fide, sub Decio Imp. in peracerbæ persecutionis tempestate comprehensus, in carcerem compactus, vinculis constrictus, & in eculeo grauissimè tortus est: plenam haud dubiè obtenturus martyrij palmam, ni dirum tyrannum priùs vitâ Deus Opt. max. expulisset.

§. 3. Ecce & alterum isti non absimilem locum, ex ipsius homilia 12. in cap. 10. Iosuë, vbi quosdam hæresiarchas mandatum Iosuë præcipientis Regum à se deuictorum colla calcari, ac deinde in patibulis suspendi improbantes pulchrè & piè refutat dicens: Sed Marcion & Valentinus & Basilides, cæterique cum ipsis Hæretici, dum hæc nolunt, sicut sancto Spiritu dignum est, intelligere, declinauerunt à fide, & inseruerunt se impietatibus multis, alium Deum legis & alium mundi creatorem ac iudicem proferentes: tanquam ille per hæc quæ scripta sunt, crudelitatem quandam doceat: quia calcare hostium ceruices iubet, atque in ligno suspendere Reges terræ illius, quam ipse violenter inuasit.

(Hom. 12. in cap. 10. Iosuë.) (Hæresiarchæ ties sæpe cō- ita tim exagitatie.) (Votum alterum de peccatorum victoria Cruci appendenda.)

Atque vtinam, *inquit Origenes*, vtinam Dominus meus IESVS, filius DEI mihi istud concedat, vt iubeat me pedibus meis conculcare spiritum fornicationis,

cationis, & calcare super ceruices spiritus iracūdiæ & furoris, calcare dæmonem auaritiæ, calcare iactantiam, conterere pedibus spiritum superbiæ: & cùm hæc fecero, operis gesti summam non mihi, sed cruci eius appendere, ad Paulli imitationem dicentis: *Quia per ipsum mihi mundus crucifixus est*. Sic ibi. Quod autem tam hîc quàm alibi perlubenter vocibus istis vtitur: *Dominus meus* IESVS, condimentum illi quoddam est scriptionis, ex dulci amoris & pietatis mixtura confectum.

Tale est & in homilia eius 24. in eundem Iosuë, ad illa verba capitis 19. *Dederunt Filij Israël sortem* IESV *filio Naue*, vbi post explicationem litteræ, ascendens à IESV filiō Naue, ad IESVM Filium DEI, Sed quoniam, *inquit*, ad Dominum & Saluatorem nostrum ea quæ de IESV Naue scribuntur, referre consueuimus, fortassis etiam noster hic omnis populus, [ *tum auditores suos ostendebat Origenes* ] dat partem aliquam *Domino meo* IESV, & velut locum quendam habitationi eius attribuit. Sed ne iniuriosum esse videatur quod dicitur, requiramus, quomodo nos eius serui locum habitationis ei tribuamus. Ego si possem bonus fieri, darem locum Filio Dei in me, & acceptum à me locum in anima mea Dominus IESVS ædificaret, & adornaret illum, & faceret in eo muros inexpugnabiles, & turres excelsas, & ædificaret in me mansionem ( si quidem mererer ) dignam se & Patre: atque ita exornaret animam meam, & suæ capacem sapientiæ & scientiæ & totius sanctitatis faceret in tantum, vt etiam Deum Patrem faceret secum introire, & in ea facere mansionem, & pasci apud talem animam cibis, quos ipse donaret. Quod vt consequi mereamur, præparemus in nobis cor mundum. *Sic ibi.* §. 4. *Iosue* 19. *v.* 49. *Cor mundū quid merea-tur.*

Tale est & quod habet homilia 5. in Leuiticum, vbi varijs hostiarum generibus ad litteram dignè expositis, mox ad altiorem sensum ascendens, Quæ est, *inquit*, hostia quæ pro peccatis offertur, & est sancta sanctorum, nisi vnigenitus Filius Dei, *Dominus meus* IESVS CHRISTVS? ipse solus est hostia pro peccatis: & ipsa est hostia sancta sanctorum. Sed quod addit: *Sacerdos qui offert illud, edet illud*; videtur esse intellectu difficile. Illud enim quod edendum dicit, ad peccatum referri videtur, sicut & alibi dicit de Sacerdotibus Propheta: *peccata populi mei comedent.* Vnde & hîc ostendit Sacerdotem comedere debere peccatum offerentis: nos autem sæpe ostendimus è diuinis Scripturis, Christum esse & hostiam quæ pro peccato mundi offertur, & Sacerdotem qui offert hostiam: quod vno verbo Apostolus explicauit, cùm dixit: Qui semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hic ergo est Sacerdos, qui peccata populi comedit & absumit, de quo dictum est *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Saluator ergo & Dominus meus peccata populi comedit. Quomodo comedit peccata populi? Audi quod scriptum est: *Deus noster ignis consumens est.* Quid consumit Deus ignis? Nunquid tam imperiti erimus, vt putemus quod Deus ignis ligna consumat, aut stipulam, aut ferrum? Sed consumit Deus ignis humana peccata, illa absumit, illa deuorat, illa purgat. *Deinde* §. 5. *Homil.* 5. *in Leuiticū.* *Leuitic.* 6. *v.* 26. *Osee.* 4. *v.* 8. *Christus hostia simul & Sacerdos.* *Hebr.* 9. *v.* 14. *Psal.* 109. *v.* 5. *Heb.* 12. *v.* 29.

*paullò inferius*: Hoc puto esse, *inquit*, quod in Euangelio Saluator dicebat:
Lucæ. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram: Et quid volo, nisi vt accendatur?* Atque vtinam, *inquit Origenes*, & mea terra accendatur igni diuino, vt vltrà non proferat spinas & tribulos! *Et breui pòst*, dum illius versiculi 9. in capite 7.
Leuitic. 7. v. 9. Leuitici, sensum rimatur humili littera sublimiorem: *Et omne sacrificium simila quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula vel in sartagine præparatur, eius erit Sacerdotis à quo offertur*; Dum, inquã, illorum verborum rimatur sensum altiorem, & moribus nostris conducibilem, sic ad IESVM suum pro obtinenda eorum salutari intelligentia recursum habet: Sed vbi modò, *inquit*, inueniam celeriter Scripturam diuinam, quæ me doceat, quis
Igniculus pietatis. sit hic clibanus? *Dominum meum* IESVM inuocare me oportet, vt quærentem me faciat inuenire, & pulsanti aperiat; vt in Scripturis clibanum repe-
Cor hominis est clibanus. riam, vbi possim coquere sacrificium meum, vt illud suscipiat Deus. Equidem inuenisse me puto in Osee Propheta, vbi dicit: *Omnes mœchantes sunt*
Osee 7. v. 4. *clibanus succensus ad comburendum.* Et iterum: *Incaluerunt quasi clibanus*
Ibidem. v. 7. *corda eorum.* Cor ergo hominis est clibanus: istud autem cor si vitia succenderint, aut libido inflammauerit, non coquet, sed exuret: sin ille succen-
Lucæ 12. v. 49. derit, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram*, tum ego panem diuinarum Scripturarum & sermonem Dei, quos in corde suscipio, non exuro ad per-
§. 6. ditionem, sed coquo ad sacrificium. *Sic ibi Origenes.*

Hom. 22. in cap. 17. Numer. Talem quoque in IESVM pietatem exhibuit homilia 22. in caput 17. Numerorũ, vbi postquam egisset de Iesu filio Naue, qui nostri IESV figura fuit, ita ab illo ad hunc nostrũ verba sensumque transtulit: De IESV, *inquit*, dicitur
IESVS noster cum Iesu Naue cõparatus. tẽporibus, quòd à bellis terra quieuerit: quod tamen Moysis tẽpore dici non potuit. Sed hoc *de* IESV *meo* dicitur, non de illo Iesu Naue. Atque vtinã terra mea cesset à bellis! & cessare posset, si ego IESV principi meo fideliter militarẽ. Si enim paream *Domino meo* IESV nunquã caro insurget aduersus spiritum meũ: nec impugnabitur terra mea ab aduersarijs gentibus, diuersis scilicet cupiditatibus stimulata. Oremus ergo, vt IESVS regnet super nos, & cesset terra nostra à bellis, cesset ab impugnationibus carnalium desideriorum: & cùm ita cessauerit, tunc vnusquisque requiescet sub vite sua, & sub ficu sua,
S. Trinitatis confessio. & sub oliua sua. Sub velamento enim Patris & Filij & Spiritus sancti requiescet anima, quæ pacem in se recuperauerit carnis & spiritus. *Sic ibi.*

§. 7. Cum simili pietatis affectu exponebat idem Origenes illa Esaiæ verba, seu Domini potiùs per Esaiam loquentis ad Achab: *Pete tibi signum à Domino*
Hom. 2. in Esaiam cap. 7. v. 11. *Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà.* Propositum est, *inquit*, signum *Dominus meus* IESVS CHRISTVS. Hoc est enim signum, quod iubetur, vt sibi postulet in profundum aut in excelsum: in profundum quidem, quia qui descendit, ipse est: in excelsum verò, quia qui ascendit super omnes cælos, & ipse est. Mihi autem hoc signum propositum *Dominus meus* IESVS CHRISTVS in profundum & in excelsum nihil prodest, nisi fiat mihi mysterium de profundo & excelso, tunc accipiam signum secundùm

præceptum

præceptum Domini, & dicetur mihi tanquam habenti in memetipso profundum & excelsum: *Ne dixeris in corde tuo? quis ascendet in cælum: id est Christum deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere: prope est verbum valde in ore tuo & in corde tuo.* &c.

*Rom. 10. v. 6. & seqq.*

An innuere verbis illis non videtur Origenes, tum sibi prodesse quàm maximè Dominum suum IESVM, quando per fidem descensionis eius, siue incarnationis, & per fidem ascensionis eius, siue reuersionis ab inferis, atque resurrectionis, ascensionisque in cælum, in se illum receperit? aut etiam quando mysterium mysteriorum seu Sacramentum Sacramentorum confecerit, atque in illo Dominum IESVM & in hoc quicquid profundum & quicquid excelsum susceperit ac manducarit! vt iam opus non habeat, neque in cælo requirere, neque in abysso, quem in ore & in corde suo habeat?

*Dominus IESVS prope est per fidem & per Eucharistiam.*

Et infrà ibidem, ad illud: *Butyrum & mel comedet*, sensum eliciens mysticum, & de spirituali melle agens, Est quædam, inquit, vt sic loquar, apis super apes, & sicut inter illas rex quidam appellatur, ita princeps apum est *Dominus meus* IESVS CHRISTVS, ad quem mittit me Spiritus sanctus, vt comedam mel: bonum est enim: & fauus eius ad indulcandas fauces meas, &c.

*Hom. 2. in Esaiam cap. 7. v. 15.*

*IESVS Rex apum.*

Ita de suo IESV loquitur homilia 6. in Esaiam, ad illa verba: *Vade & dic populo: Aure audietis & non intelligetis*, quę dicit prædicta esse de his, quę in aduentu Christi futura erant; cùm Iudæi increduli audientes Christum, non intelligerent ea quæ diceret: Siquidem, inquit, cùm audirent *Dominum* IESVM CHRISTVM, vocem dumtaxat dictorum audiere, non sensum.

§. 8.

Et homilia 2. in Ieremiam, comparans falsam Gentilium Philosophorum doctrinam aureo calici Babylonis, Christi autem euangelium thesauro in vasis fictilibus, Animaduertas, inquit, pessimorum dogmatum verba mortifera qualem habeant compositionem, qualem eloquentiæ ornatum, qualem rerum diuisionem; & cognosces quomodo vnusquisque poëtarum, qui habentur inter ipsos disertissimi, calicem aureum temperarit, & in calicem aureum iniecerit venenum idololatrię, venenum turpiloquij: Sed *meus* IESVS contra fecit, sciens aureum calicem diaboli, & præcauens ne quis ad fidē suam veniens suspicaretur talem quoque Christi esse calicem, qualem esse requirat, ac per similitudinem materiæ reformidaret errorem, ideo curauit, vt haberemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Sic ibi. Thesaurus porrò in vasis fictilibus, nihil est aliud quàm doctrina præcellens sub sermone tenui.

*Hom. 2. in Ieremiam cap. 2. sub medium.*

*Philosophorum Gentilium doctrina, calix aureus Babylonis.*

*Thesaurus in vasis fictilibus doctrina Christi sub stilo humili.*

Et infrà ibidem: Si verò veneris ad aduentum *Domini mei* IESV CHRISTI, & videris eius magnū opus, quomodo subuerterit omnia Gentium de idolis dogmata, vt credentes ab errore is iugo eximeret; intelliges quia in tempore passionis eius Babylon extemplo corruit & contrita est. Et homilia 3. in eundem Ieremiam: *Quando*, inquit, *ista facta sunt? In aduentu Domini mei* IESV CHRISTI, *cùm euangelium cunctis gentibus prædicatum est: tunc*

*ſuperpoſiti ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus Babyloni & malleo vniuerſæ terræ, &c.*

Et infrà ibidem: *Vnum ſubiacens eſt Domino meo* IESV *Saluatori.* Et in cap. 28. libri 1. Regum ſub finem, *Ante Domini mei* IESV *Chriſti aduentum*, inquit, *nulli datum eſt eò penetrare, vbi lignum vitæ erat.* Et paullo pòſt ibidem: *Exſpectabant igitur Domini mei* IESV *Chriſti aduentum & Patriarchæ & Prophetæ & quicumque alij: vt hic vitam aperiret, qui dixit: Ego ſum via.* &c.

Et homilia 6. in caput 16. Ezechielis: Ego ſi credidero Domino meo IESV CHRISTO, ipſe me ſalem faciet, dicetque mihi: *Vos eſtis ſal terræ*, & paullò pòſt ibidem: Ipſe Dominus meus IESVS pannis inuolutus eſt: Vt ſcriptum refertur in euangelio ſecundùm Lucam.

§. 9. Hactenus è vetere teſtamento: non minùs illas eaſdem voces fauo & melle dulciores vſurpauit in nouo. Sic enim cùm alibi ſæpius, tum homilia 12. in Lucam *Natus eſt*, inquit, *Dominus meus* IESVS, & Angelus deſcendit de cælo annuntians natiuitatem eius.

*Hom. 12. in Lucam.*

Et homilia 18. in eundem Lucam: Natus eſt Dominus meus IESVS, & parentes eius aſcenderunt Hieroſolymam.

*Hom. 18. in eundem.*

Et paullò pòſt: In multorum comitatu non poteſt IESVS *meus* inueniri: diſce vbi eum requirentes reperiant, vt & tu quærens, cum Ioſeph Mariaque reperias. *Et quærentes*, inquit, *inuenerunt illum in templo.*

*IESVS vbi quærendus.*

Sic & homilia 22. ſuper illis verbis: *Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Nihil te aſperius erat; *inquit*, vide priſtinos motus tuos, vide iram & cetera vitia (ſi tamen ceſſauerunt eſſe quæ fuerant) & intelliges nihil te aſperius, & (vt loquar ſignificatiùs) nihil fuiſſe inæqualius. Conuerſatio tua inæqualis erat, & ſermo, & opera inæqualia: *Venit ergo Dominus meus* IESVS exæquauit aſperitates tuas, incompoſita quæque vertit in vias planas, vt fieret iter ſine offenſione, læue atque planiſſimũ, gradereturque in te Deus Pater, & Chriſtus Dominus manſionem apud te faceret, diceretque *Ego & Pater meus ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

*Ioan. 14. v. 23.*

Sic & homilia 35. ſuper illis vocibus Lucæ 12. *Ne forté trahat te ad Iudicem* Quis putas, *ait*, iſte Iudex eſt? Ego neſcio alium Iudicem, niſi *Dominum meum Ieſum Chriſtum &c.* Item 38. ad illud: *Beati pacifici.* Et quis alius, *inquit*, ita pacificus, vt *Dominus meus* IESVS *Chriſtus*, qui eſt pax noſtra, qui ſoluit inimicitiam, & in ſua cam carne deſtruxit?

*Luc. 12. v. 58. Hom. 38. in Lucam.*

§. 10. Denique toties recurrunt illæ amicæ voces: *Dominus meus Ieſus*, vt ſint vna è notis, quibus ſcripta Origenis in mille alienis internoſcantur. Nullibi tamen ſui erga Ieſum amoris vim atque ardorẽ ita expreſſit, vt in libris octo contra Celſum Philoſophum pro ſuo Ieſu apologeticis. Quid aliud enim ſunt iſti octo libri Origenis, quàm quædam pro Chriſto & tota Chriſtiana lege Apologia? qualem certè ad hunc diem (fas ſit effari veritatem) nullus Chriſtianorum Doctorum conſcripſit. Quid enim ſunt, inquam, iſti octo libri

*Origenis libri contra Celſum, ſui erga* IESVM *amoris teſtes ſunt præcipui.*

libri (& gratias Deo IESV meo, quòd integros græcè reseruauit, & mihi velut in manus tradidit) quid, inquã, fuit aliud, quàm æterna quædam aurea statua, à primo post Apostolos Ecclesiæ magistro, in IESV honorem ac defensionem publicè erecta, & ab iniurijs hominum ac temporum inter tot maleuolorum & maledicorum manus & linguas diuinitus conseruata? Ergo IESVS, IESVS, inquam, ille eius & meus, sed ab illo, vt à nullo alio, defensus, suum illum defensorem patietur indefensum? Absit, absit à tanta & tam inexhausta bonitate. Sed quis hoc, inquies, audeat? Et ego, quis hoc, inquam, amator IESV non audeat? Ipse adsum qui ausim: si tamen IESVS meus admittit, neque alteri cuipiam meliori atque digniori quàm ego sim, id Regis opus reseruat, cui me fasces libenter submittere verum est. Ipse, ipse, inquam, (si per metum fortassis nemo se offert alius) ad istud singulare opus, quo defensor IESV defendendus est, volens, lubens, appetens, immo rogans, flagitans, deprecans, auidè me offero. Tantum ille qui summè potens, qui immensè sapiens, qui infinitè bonus est, vires humili seruulo suo idoneas, & verba minimo scribæ suo accommoda ad nouum gloriæ suæ opus dignè perficiendum benignè inspiret; nec vllos vndecumque flantes seu inuidiæ, seu inimicitiæ ventos tempestatesque pertimescam. Age, & ex his libris aliquas in IESVM pietatis scintillas extundamus. Ita igitur primo libro contra aduersantem Celsum dixit: Post hæc, nescio vnde commotus Celsus dicit Dæmonum quorundam nominibus & incãtationibus videri pollere Christianos, subinnuens, opinor, incantationes & expulsiones Dæmonũ: quod quidem manifestam habet in se calumniam. Non enim incantationibus id habere roboris cognoscuntur, sed nomine IESV cum eius commemoratione factorum. Nam his verbis sæpenumero profligati sunt Dæmones ex hominibus, præsertim quoties qui ea pronuntiant, affectu sano & fide integra pronunciant. Tanta certè nomini IESV vis inest aduersus Dæmones, vt etiam à malis enuntiatum, nonnunquam sit efficax; quod docens IESVS dicebat: *Multi dicent mihi in illa die: Nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus & virtutes fecimus* &c. quæ Celsus, malitiáne an ignorantia prætermisit? Sic ibi Origenes, cuius omnem in defensione diuinitatis IESV generositatem malo plenius in totis eius libris, quàm tenuiùs in paucculis excerptis meis legi. Nunc enim ostensâ, quantum hîc opus fuit, eximia eius in IESVM Pietate, ad Humilitatem atque Modestiam (quæ à spiritu erroris atque hæreseos tam remotæ sunt, quàm superbia & animi arrogantia vicinæ atque coniunctæ) progredi tempus est: si tamen & vnum dumtaxat locum mihi iam nunc occurrentem, qui ad pietatem eius in res sacras spectat, breuiter addidero. Is habetur homilia 13. in Exodum, vbi agens de ijs quæ ad coustruendum & ornandum Dei tabernaculum offerebantur, post alia quædam, sic ait: Dominę IESV præsta mihi, vt aliquid momenti habere merear in tabernaculo tuo. Ego optarem, si fieri posset, esse aliquid meum in illo auro, ex quo propitiatorium fabricatur, vel ex quo arca contegitur, vel ex quo candelabrum

§. II.

*Incantationum Christianis affictarũ calumnia ab Origene discussa.*

*Nominis IESV aduersus dæmones efficacia.*

*Matthæi 7. 2.*

*Homil. 13 Exodum.*

delabrum fit luminis & lucernæ. Aut si aurum non habeo vel argentum, saltem aliquid inueniar offerre, quod proficiat in columnas aut bases! Aut certè vel æris aliquid habere merear in tabernaculo, vnde circuli fiant, & cetera quæ diuinus sermo describit. Vtinam mihi esset possibile vnum esse ex Principibus, & offerre gemmas ad ornamentum superhumeralis & logij Pontificis! Sed quia hæc supra me sunt, saltem vel pilos caprarum habere merear in tabernaculo Dei! Tantùm ne in omnibus ieiunus & infœcundus inueniar. *Sic ille.*

Hanc porrò in Deum, & in res sacras pietatem ac religionem, vt & auditorum suorum imprimeret animis, & Christianos ad Israëlitarum pro tabernaculi structura liberalissimè offerentium æmulationem aliquo honestæ gloriæ stimulo concitaret, talibus eos verbis ibidem conuenit: Iustum est enim, *inquit*, vt in *Tabernaculo Domini* inueniatur vnusquisque habere portionem suam. Non enim latet Deum quid vnusquisque illi offerat. Quàm gloriosum tibi est, si dicatur: in Tabernaculo Domini aurum istud, verbi caussa, quo *Arca testamenti* obtegitur, illius est? Argentum illud ex quo bases & columnæ sunt, illius est. Illud de quo annuli & candelabrum & nonnullæ columnarum bases factæ sunt, illius est. Sed & lapides isti *superhumeralis & Rationalis*, illius sunt. Purpura quoque qua ornatur Pontifex illius est. Et coccus illius est. Et ita de cæteris singulatim. Iam è contrario quàm indecorum, quàm miserum erit, si Dominus veniens ad ædificium tabernaculi, & requirens quid quisque obtulerit, nihil tui muneris in eo inueniat, nihil à te oblatum agnoscat. Sic indeuotus, sic infidelis vixisti, vt nihil memoriæ tuæ in Dei Tabernaculo esse gestieris? Sicut enim princeps huius mundi venit ad vnumquemque nostrum, & quærit vtrum aliquid de suis actibus inueniat; & si quidem inuenerit, nos sibi vindicat: ita & è contrario si veniens Dominus inueniat aliquid tuum, in Tabernaculo suo, sibi te vindicat, & suum te dicit.

*Origenes verba.*

Ista cùm diceret Origenes, approbabat sine dubio eas oblationes, quas Christiani ad templorum seu structuram seu ornatum ex affectu pietatis offerunt. Et mirè gaudebat, si vnumquemque pro suarum facultatum modo propensum videret ad conferendum. Sciebat enim & IESVM suum respexisse in templo eos, qui mittebant munera sua in gazophilacium, tam pauperes quàm diuites, & vidisse *quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo*, & dixisse: *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit: Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.* Hæc igitur cùm sciret Origenes, & tantam fuisse priscorum Israëlitarum in construendo & adornãdo DEI tabernaculo liberalitatem meminisset, vt dum opus fieret, quotidie mane tanta populus vota seu donaria operi peragendo offerret: vt artifices venire compulsi dixerint Moysi: *Plus offert populus quàm necessarium est*: & ipse Moyses iusserit præconis voce cantari: *Nec vir, nec mulier*

*Lucæ 21. ver. 1.*

*Exodi 36. v. 5. & 6.*

*mulier quicquam offerat vltrà in opere Sanctuarij: sicque cessatum fuerit à muneribus offerendis, eò quòd oblata sufficerent & superabundarent.* Hæc, inquam, cùm sciret & meminisset Origenes, & semper voluntariæ paupertatis tam amans exstitisset, vt neque vlla munera admitteret, & vix tenuissimo victui atque vestitui necessaria haberet, nec plus appeteret; tanti tamen pietatem illam, quæ res & opes suas effundit in templa & sanctuaria, æstimauit, vt continere se non quiuerit, quin exclamaret: *Vtinam mihi possibile esset vnum esse ex Principibus, & offerre gemmas ad ornamentum Superhumeralis & Logij Pontificis!* Optabat, nimirum, sed ad tempus dumtaxat & solo pietatis respectu, esse vnus è Principibus, ijs scilicet Principibus, qui auro abundant, & turgent gemmis, quo posset in sacros illa vsus, & in ornatum eius Pontificis qui locum & personam Dei tenet, medullitus offerre. Minimè porrò dubium, quin ea Origenis tam pia, támque ardens voluntas DEO fuerit quàm acceptissima, & dignè à DEO cōpensata. DEVS enim, ipse Deus fideli seruo suo Moysi mandauerat, vt omnia quæ ad illud suū Tabernaculum in quo ipse adorandus erat, spectabant, & quæ ad indumentum & ornatum Pontificis à quo adorandus erat, attinebant, & materie essent pretiosissima, & artificio exquisitissima, & aspectu intus forisque speciosissima.

## CAPVT II.



### HVMILITAS ET MODESTIA ORIGENIS.

SPIRITVM bonum habitasse, & requiesse in Origene, magna eius humilitas, animique submissio totis eius libris cōspersa perquàm manifestum facit: nimirum congruenter illi supremæ maiestati, quæ respicere humiles, despicere superbos solet. Hinc aliqua exinde carpemus propositæ virtutis indicia.

Primo igitur homiliam 9. in Genesim sic orditur: Quantum legentes progredimur, tantum nobis Sacramentorum cumulus augetur: & quemadmodū si quis exiguo vectus nauigio mare ingrediatur, quoad is quidem terræ vicinus est, minùs metuit; cùm verò in altum paullatim progressus fuerit, & vndis intumescentibus vel in excelsum tolli cœperit, vel ijsdem dehiscentibus in ima deduci, tum verò animum pauor ingens ac formido percellit, quòd exiguam ratem tam immensis fluctibus crediderit: idem & nos pati hîc videmur, qui exigui meritis, & ingenio tenues, tam vastum inire pelagus mysteriorum ausi simus: verùm si vobis orantibus dignetur Dominus Sancti Spiritus sui auram nobis prosperam dare, tum secundo verbi cursu portum salutis intrabimus. §. 1. Origenes verba.

Sic & homiliam primam in Exodum fere auspicatur, vbi inter alia: Quid

Quid ergo, *inquit*, faciemus & nos de his quæ lecta sunt nobis? Si mihi
Dominus concedere dignaretur spiritalis agriculturæ disciplinam, si peri-
tiam colendi ruris donaret, vnus sermo ex his quæ recitata sunt in tantum
posset longe lateque diffundi (si tamen & auditorum capacitas sineret) vt
vix nobis ad explicandum sufficeret dies. Tentabimus tamen pro viribus no-
stris aliqua disserere, etiamsi neque nobis vniuersa explicare, neque vobis
cuncta percipere possibile sit. Quia & hoc ipsum agnoscere, quòd suprà vi-
res nostras sit horum scientia, non paruæ arbitror esse peritiæ. Videamus er-
go quid statim in initio Exodi lectio contineat, & qua possumus breuitate,
quantum ad ædificationem auditorum sufficit, persequamur: si tamen pre-
cibus vestris adiuuetis, vt adsit nobis Sermo Dei, & ipse Dux nostri dignetur
esse sermonis.

Ecce quàm non suis viribus, sed precibus auditorum suorum confidit.

§. 3. Ita paullo post, vbi recensuit filios Israel, qui ingressi sunt in Ægyptũ
cum Iacob patre suo, & subdidit e quibus Christi origo sit, & de numero
æquali signatorum e quaque tribu, nempe duodecim millium, qui simul
conficiunt centum quadraginta quatuor millia, qui se cum mulieribus non
coinquinauerunt, sed virgines permanserunt; tum de suarum diffidentia vi-
rium ita subijcit: Ad quos igitur partes iste numerus virginum referendus
sit, tam æqualis, tam integer, tamque compositus, vt nullus altero superior
aut inferior numeretur, ego quidem progredi vltrà requirendo non audeo,
sed & hactenus penè cum aliquo discrimine incedo. Apostolus tamen quas-
Ad Ephes. dam suspiciones his qui altiùs intueri possunt, subiecit, cùm dixit: *Huius rei*
3. v. 14 *gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri* IESV CHRISTI.

§. 4. *Et non multo inferiùs*: Sed qui vicinum terræ, *inquit*, nauigantes seruare
disposuimus cursum, & ipsam quodammodo oram littoris stringere, in al-
tum nescio quo modo vndarum nos violentior æstus adduxit. Redeamus
igitur ad ea quæ consequenter adducuntur. Mortuus est, *inquit*, Ioseph, &
Exod. 1. omnes fratres eius, & omnis generatio illa [*filij autem Israel creuerunt &*
v. 6. *multiplicati sunt*] Donec viueret Ioseph, non refertur quòd multiplicati fue-
rint filij Israel, nec aliquid omnino in his de augmento & numerositate
Scriptura memoratur: ego credens verbis Domini mei IESV CHRISTI in lege & pro-
Sacra nihil phetis, iota quidem vnum, aut vnum apicem non puto esse mysterijs va-
habet vacui cuum, nec puto aliquid horum transire posse, donec omnia fiant: verùm
mysterijs. quoniam exiguæ capacitatis sumus, ea nunc tantùm pulsemus, quibus tu-
Ioseph Pa- tius incedamus. Antequã moreretur noster Ioseph, ille Ioseph qui distractus
triarcha vi- est triginta argenteis ab vno e fratribus suis Iuda, valde pauci erant filij Israel:
ditus à fra- cum verò pro omnibus gustauit mortem, per quam destruxit eum qui ha-
tribus, figura bebat mortis imperium, id est, diabolum; multiplicatus est fidelium po-
IESV. pulus, & diffusi sunt filij Israel: multiplicauit eos terra, & creuerunt nimis
valde. *Nisi enim* (sicut ipse dixit) *cecidisset granum frumenti in terram &*
Ioan. 12.
v. 24. *mortuum fuisset*, non vtique fructum hunc plurimum totius orbis terræ

Ecclesia attulisset.

*Et, post quædam alia eiusdem generis* Hæc, *inquit*, quantum ad intellectum mysticum attinet: sed nec moralem in his omittamus locum: ædificat enim animas auditorum. Igitur in te si moriatur Ioseph, id est, si mortificationem Christi in corpore tuo suscipias, & mortifices membra tua peccato, tunc in te multiplicabuntur Filij Israël. Filij Israël sunt sensus boni & spirituales: si ergo sensus carnis mortificentur, sensus spiritus crescunt, & quotidie emorientibus in te vitijs virtutum numerus augetur. *Vide ibi plura & longè pulcherrima.* *Scripturæ sensus moralis ab Origene non neglectus.*

Homilia 9. in Exodum, acturus de tabernaculo, de quo dixit Dominus Moysi cap. 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Verùm humana mens, *inquit*, & nostra præcipuè, qui nos minimos aut etiam nullos in diuina sapientia nouimus, eò vsque fortassis possit accedere, vt sentiat quidem hæc quæ diuinis voluminibus inseruntur, non de terrenis, sed de cælestibus dici, & formas esse non præsentium, sed futurorum bonorum; non corporalium, sed spiritualium rerum: quomodo autem horum narratio aptari possit cælestibus & æternis, nec nostræ est mensuræ dicere, nec vestræ, vt opinor, capacitatis audire. Pauca tamen nos, si orantibus vobis Dominus illuminare dignetur, quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertineant, aperire tentabimus, &c. § 5. *Exo li 25. vers. 40.*

*Homilia 1. in Numeros sub finem, post quædam sensu mystico exposita, sic ait:* Hæc à nobis generaliter indicata sint, volentibus totius sacri huius voluminis seriem mysticam breuiter comprehendere: vt ex his intelligentię spiritualis occasione suscepta, vnusquisque & in reliquis similem, aut etiam, si cui Deus ampliùs reuelârit, superiorem & excelsiorem persequatur indaginem. Ego enim verè imparem me iudico ad enarranda mysteria, quæ liber hic continet Numerorum: multo autem inferiorem ad illa, quæ Deuteronomij volumen includit. Et ideo festinandum nobis est peruenire ad IESVM, non illum filium Naue, sed ad IESVM CHRISTVM: priùs tamen pædagogo vtentes Moyse, vt apud eum infantiæ rudimenta deponentes, sic tendamus ad perfectionem Christi. Moyses enim non multa bella compressit: IESVS autem bella quidem vniuersa compescuit, & pacem omnibus dedit: ita vt scriptum sit: *quia cessauit terra à bellis*, terra repromissionis, terra hereditatis, terra quæ fluit lac & mel, ab IESV distribuitur. Beati enim mites, quia ipsi per IESVM hereditabunt terram. *Hæc ibi præclarè Origenes cum insigni comparatione filij Naue cum Domino nostro* IESV *cuius ille typus erat ac figura: qui ambo compescuere bella, ille corporea, hic spiritualia: & induxere pacem, ille terrenam, hic cælestem.* § 6. *Iosue 14. vers. 15.* *Iesus Naue typus Domini Iesu.*

*Et homilia XI. in eosdem Numeros, vbi de primitijs per Pontificem offerendis agit, sic inter alia in sensu morali.* Et ego, *inquit*, si mererer hodie magnum aliquem & summo Pontifice dignum sensum proferre, ita vt ex ijs omnibus quæ loquimur & docemus, esset aliquid egregium, quod sum- § 7. *Homil. XI. in Numeros, post medium.*

mo

mo Sacerdoti placere deberet, fieri fortasse posset, vt Angelus qui præest Ecclesiæ, ex omnibus dictis nostris eligeret aliquid, & loco primitiarum de agello cordis mei Domino offerret: sed ego scio me non mereri, nec conscius mihi sum talem sensum aliquem in me inueniri, quem Angelus qui nos excolit, dignum iudicet, qui pro primitijs aut primogenitis Domino offeratur. Atque vtinam tale sit quod loquimur & docemus, vt non pro verbis nostris condemnari mereamur: ea sanè nobis sufficeret gratia. *Sic ibi. Quæ certè verba non de se, deque suo ingenio magna præsumentis sunt, sed de salute sua potiùs admodum pertimescentis.*

§. 8. *Huc etiam spectant illa, quæ habet idem Origenes homilia 23. in Iesum Naue sub finem, vbi in Scripturæ sacræ commendationem sic scribit:*

*Scripturæ sacræ excellentia.* Et ideo dicimus, ne cum fastidio hæc legatis, & puteris vilem aliquam esse Scripturam pro eo quòd est multis nominum appellationibus consita: quin potiùs scitote ineffabilia in his mysteria contineri, & maiora quàm possit vel humanus sermo proferre, vel auditus mortalis audire: quæ, vt ego arbitror, dignè & integrè explanari non solùm à me minime possunt; sed nec ab ipsis quidem, qui me multò meliores sunt. Nescio autem, si vel ab ipsis sanctis Apostolis plenè & integrè proferantur. Non dixi, quòd non plenè sciantur, sed non plenè proferantur. Certum est enim cognita esse hæc & integrè apprehensa illi, qui raptus est vsque ad tertium cælum. Qui vtique in cælo positus vidit cælestia, vidit Hierusalem verã, ciuitatem Dei, vidit & Sion montem, quocumque loco est, vidit & Hebron, vidit & omnia ista quæ conscribuntur sorte diuisa: & non solum vidit, sed & rationes horum in spiritu comprehendit. *Hæc ille.*

§. 9 *Iam verò locus Origenis multò pulcherrimus, quo & à calumniatoribus suis vindicari possit, est ille qui habetur homilia 26. in Lucam, & est talis:*

*Origenis verba, Hom. 25. in Luc.* Denique in tantam, *inquit*, nonnulli dilectionis audaciam protuperunt, vt noua quædam & inaudita super Paullo monstra confingerent. Dixerunt enim aliqui id quod scriptum est, *sedere à dextris Saluatoris & à finistris*, de Paullo & de Marcione dici: quòd Paullus scilicet sedeat à dextris, & Marcion à sinistris. *Trinitatis mysterium.* Alij verò legentes: *Mittam vobis aduocatum Spiritum veritatis*, nolunt intelligere tertiam personam à Patre & à Filio, & diuinam sublimemque naturam, sed Apostolum Paullum. *Amor nimius quàm amatis noxius.* Nonne hi omnes videntur tibi plus amâsse quàm expedit? & dum virtutem vniuscuiusque mirantur, dilectionis perdidisse mensuram? Quod quidem & nos in Ecclesia patimur. Plerique enim dum plus nos diligunt, quàm meremur; sermones nostros doctrinamque laudantes, hæc iactant & loquuntur, quæ conscientia nostra non recipit. Alij verò tractatus nostros calumniantes, ea nos sentire criminãtur, quæ nunquam sensisse nos nouimus. Sed neque hi qui plus diligunt, neque illi qui oderunt, veritatis regulam tenent: sed alij per dilectionem, alij per odium mentiuntur. Vnde oportet & ipsi charitati frena imponere, & tantam ei permittere vagandi libertatem, quanta sit opus, vt

in præ-

in prærupta non corruat. Scriptum est in Ecclesiaste. *Noli esse iustus multùm: neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Quod exemplum sequens possum sanctè dicere: Ne diligas hominem ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: ne ames Angelum ex toto corde tuo, ex tota anima, ex tota virtute: sed præceptum, iuxta eloquium Saluatoris, soli serua Deo. *Diliges* enim, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Ita Origenes, qui vtrumque haud parum sibi nocuisse, & amoris excessum, & odij, haud dubiâ sensit experientiâ: dum scilicet ex immodicis amicorum laudibus, alienæ inuidiæ faces eum adurerent, & ex inimicorum odijs venenata linguarum spicula illum configerent.* Nimirum talia euenire viris magnis diuina interdum permittit dispensatio; vt intelligant ipsi quòd homines sint, & vt nihil humani à se alienum putent. Homo autem, de quo tanta iudiciorum exstitit post eius mortem varietas, nec laudibus nec vituperijs immutari potuit, sed idem semper, qui, dum vitâ excederet, fuit, inuiolatè permanet; beatus & laudabilis, si honestè excessit: miser & execrabilis, si malè. Verùm Origenis (sicut suprà ostendimus) & mors exstitit præclara, & sepulchrum eius hodieque est gloriosum. De quo plus alibi: nunc ad Timotem Humilitati perquam coniunctissimum accedamus.

Ecclesiastæ 7. v. 17.

Matthæi 22. v. 37

---

# CAPVT III.

## *TIMOR IN ORIGENE SALVTARIS.*

VERE & salubriter dixit ac monuit Ecclesiasticus: *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Id euenisse Origeni prorsus habeo exploratum. Quàm enim timuerit Dominum, & vita ipsius, quam scripsi, euicit; & testimonia ex ipsius deprompta codicibus, quæ mox proferam, planius facient. Ecce tibi nonnulla.

Ecclesiast. 1. v. 13.

Primò quidem in hom. 1. super Psal. 37. ad illum versiculum: *Dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum non est mecum* Hæc vox, *inquit*, illius videtur esse, qui post illuminationem, post traditionem doctrinæ, post agnitionem veritatis, in tenebras decidit. Ne ergo & nos eadem patiamur, sed potiùs vt lumen nostrum sit semper in nobis, & opera lucis agentes, habeamus fiduciam, tanquam filij lucis, in CHRISTO IESV, semper oremus, & Deum Patrem sine intermissione deprecemur. *Ita ipse ad finem illius homiliæ:* §. 1.

Hom. 1. in Psal. 37.

*Sic passim salutari confixus timore ad vota & preces recursum habet.* §. 2.

*Deinde homilia 3. in Canticum canticorum, post aliqua de ceruis in medium è varijs Scripturæ locis allata,* Quæ ob hoc, *inquit*, assumpsimus, vt loqua-

Hom. 3. in Cant. Canticorum post medium.

loquamur non in doctrina humanæ sapientiæ, sed in doctrina spiritus, spiritalia spiritalibus comparantes. Et ideo inuocemus Deum Patrem Verbi, qui nobis Verbi sui manifestet arcana, sensumque nostrum à doctrina humanæ sapientiæ amoueat, & eleuet atque exaltet ad doctrinam spiritus, vt non ea quæ sentit carnalis auditus, sed ea quæ continet voluntas Spiritus sancti, loquamur. *Sic ille.*

*Ecce quid sibi propositum in scribendo habuerit Origenes, nempe non ea loqui, nec scribere, quæ carnalis sentit auditus, sed ea quæ Spiritus sancti voluntas continet: ad quod faciendum non suis confisus est viribus, sed spem suam in Dei Patris (quem & inuocauit) auxilio præsentissimo collocauit.*

§. 3. *Præterea cùm explicandam suscepit visionem Esaiæ, in qua vnus è Sera-*
Origenis *phim eius mundauit labia*, Precor, *inquit*, vt mittatur etiam ad me Sera-
verba. phim, & accepto de altari carbone purget labia mea: & quid dico labia mea? Esaias sanctus erat, & ideo tantùm labia eius purgata sunt, quia tantùm labijs, id est, sermone deliquerat. Ego vero talis non sum, vt possim dicere, quòd solùm immunda labia habeam sed metuo ne immundum cor habeam, immundos oculos, immundas aures, immundum os. Quamdiu
§. 4. enim in istis omnibus pecco, totus immundus sum. *Sic ille.*

Hom. 2. *Iam autem homilia 2 in Ezechielem, quanto iudicij extremi metu in scri-*
in Ezechielem. *bendo confixus sit, vt ne aberraret, hæc eius verba testimonium ferunt:* Noui quippe, *inquit*, quòd cùm in iudicio ille ordo consederit, de quo prophetauit Daniel, & libri fuerint aperti, omnes mei conatus, omnes meæ expositiones proferentur in medium, siue in iustificationem, siue in condemnationem meam. In iustificationem quidem mihi erunt, quæ bene dicta sunt: in condemnationem verò, ea quæ secus, quàm veritas poscit, explanata.
Matthæi *Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, quasi
12. v. 37. habenti, non omnes sermones, de quibus iustificaretur, neque contrà omnes sermones de quibus condemnaretur. Si quis purus est à verbis alienis & ijs qui possunt reprehendi, hic è verbis suis iustificabitur, & non condemnabitur. Si autem nunquam recte locutus est, sed semper protulit praua; è verbis suis condemnabitur, & non iustificabitur. Verùm quia nos, qui non sumus omni ex parte perfecti, neque sic dicimus, vt semper iustificemur, neque sic è contrario sumus peccatores, vt semper condemnemur; & qui habemus alia verba ex quibus iustificemur, & alia ex quibus condemnemur, Deus vtraque super stateram suam ponens expendit diligenter & iudicat, quibus ex sermonibus iustificandus sim & ex quibus condemnandus.
§. 5. Et quod in sermonibus facit, idem facit & in gestis. *Sic ibi.*

Ibid. *Dein paullò inferiùs*: Propter quod, *inquit*, inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus iudiciũ me exspectat in omnibus quæ facio, quæ cogito, quæ loquor, & quid mihi in illo futurum sit iudicio incertus opperior, quantoque magis mihi timor Dei incutitur ad recipienda cuncta quæ feci, tanto magis custodire me debeo, vtinam quidem ab omnibus

bus peccatis? sin autem id non possim, possim saltem à maximis. *Et rursus aliquanto pòst de duplici spiritu, altero* DEI, *altero hominis ita subdit:* Est quippe quidam spiritus hominis, qui in eo versatur, post quem procul absit, vt ego ambulem, sed intelligens sanctum Spiritum DEI, post Dominum meum IESVM ambulem. *En voces amoris consueti & pietatis.* § 6.

*Demque extrema eadem homilia de pseudoprophetis agens, visiones falsas & mendaces sermones proferentibus, ad populum auditorem sic ait*: Orate pro nobis, *inquit*, vt sermones nostri non sint falsi. Licet quidam homines ignorantia iudicij eos asserant falsos; Dominus non dicat, & rectè nobiscum agetur: si verò mille hominum eos dixerint veros, DEI autem iudicio fuerint falsi, quid mihi proderit? Dicunt & Marcionitæ veros esse magistri sui sermones: Dicunt & Valentini robustissimam esse sectam ij qui fabularum eius commenta suscipiunt: quæ vtilitas, quòd plurimi in eorum conspirauere sententiã? hoc est, quod quæritur, vt Dominus sermonum meorum testis assistat, vt ipse comprobet quæ dicuntur sanctarum testimonio Scripturarum. *Ita ibi Origenes, ex quibus dilucet non ex vanitatis, non ex arrogantiæ, non ex erroris spiritu scripsisse quæ scripsit, sed ex spiritu timoris Domini, & ex proposito sibi ob oculos* DEI *iudicio.*

*Ibid.*

*Dei & non hominum iudicia.*

*Marcionitarũ & Valentinianorũ iudicia.*

In quarta item homilia in eundem Ezechielem, vbi Dominus pronuntiat ijs qui iniustè egerint, nihil profuturos Noë, Danielem, Iobum, tametsi pro filijs & filiabus deprecati fuerint, sed ipsos solos saluos fore; ibi & suum Origenes timorem detegit, aitque patrem suum licet Christi martyrem sibi nihil profuturum, neque matrem quamuis sanctam, neque fratres licet castos, nisi ipsemet bene vixerit, & stirpem suam virtute & benefactis cohonestarit. Erant enim qui malè viuentes spem suam omnem in alienis ponebant precibus: erant & qui se alijs, quicquid illi agerent & quomodocumque viuerent, subuenturos credebant. Igitur ad illa verba Ezechielis cap. 14. de Noë, Daniele, & Iobo: *Sed ipsi soli liberabuntur*, ita scribit: Ac primò quidem, *inquit*, secundùm sensum communem hæc exponamus ob nonnullorum insipientiam, qui sensum animi sui asserunt, DEI esse veritatem, & frequenter dicunt: *futurum est, vt vnusquisque nostrum precibus suis eripiat quoscumque voluerit de gehenna*, & iniquitatem introducũt ad Dominum, non videntes quòd iustitia iusti super eum erit, & vnusquisque in proprio peccato morietur, & in propria iustitia viuet. Nihil mihi conducet pater martyr, si non bene vixero, & nisi ornauero generis mei nobilitatem, hoc est, martyrium eius & confessionem, qua illustratus est in Christo. Nihil prodest Iudæis dicentibus: Nos de fornicatione nati non sumus: vnum patrem habemus Dominum. *Et breui pòst*: Nemo nostrum confidat in patre iusto, in matre sancta, in fratribus castis. § 7.

*Ezechielis 14. v. 14. & 16.*

*Origenis verba.*

*Nec minorem metum & peccati horrorem præ se tulit homilia 6. in cap. 16. Ezechielis, ad illa verba*: Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas, & dices: Hæc dicit Dominus DEVS Hierusalem: Radix tua, & gene- § 8.

*Hom. 6. in cap. 16. Ezechielis.*

 ratio

ratio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Si de Hierusalem, *inquit*, tanta dicuntur, de qua tam grandia & tam mira scripta sunt esse repromissa, quid futurũ est misero mihi, si peccauero? Quis mihi erit pater? aut quæ mihi erit mater? Tantæ talísque Hierusalem radix & generatio de terra Chanaan, & pater eius Amorrhæus & mater Cethæa nuncupatur: Ego si peccauero, qui in Christo IESV credo, & tanto me magistro tradidi, quis mihi futurus est pater? non vtique Amorrhæus, sed nequior quispiam. Ecquis ille? Qui peccatum facit, ex diabolo est. Sic ibi.

*Hom. 7. in Ezechielem.* *Et homilia VII in eundem Prophetam agens de Diaboli insidijs*, Mihi ipsi, *inquit*, qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpe tendit, vt totam Ecclesiam ex mea conuersatione confundat. Ideo enim si qui sunt in medio, plus oppugnantur ab inimico, vt per ruinam vnius hominis quæ celari non potest, omnibus scandalum fiat, & impediatur fides per conuersationem pessimam Clericorum.

Hæc igitur cùm intelligeret, & scriberet Origenes, haud sanè dubium est, quin in perpetua aduersus inimicum huiusmodi perstiterit mentis vigilia, eiusque insidias cautissimè deuitarit. *Frustra enim iacitur rete ante oculos pennatorum.* Vt in sacris est prouerbijs.

*Qui Sacerdotes Domini, & qui Pharaonis.* Præterea homilia 16. in Genesim, afferens differentiam Sacerdotũ Pharaonis & Sacerdotum Domini: Denique vis scire, *inquit*, quid intersit inter Sacerdotes Dei, & Sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit Sacerdotibus suis: Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit eis: *Ego sum pars vestra*. Obseruate ergo qui hæc legitis, omnes Domini Sacerdotes, & videte quæ sit differentia Sacerdotum: Ne fortè qui partem habent in terrà, & terrenis cultibus ac studijs vacant, non tam Domini, quàm Pharaonis Sacerdotes esse videantur. Iste est enim qui vult suos Sacerdotes habere possessores terrarum, & exercere agri non animæ culturam, *Abrenuntiationis necessitas.* ruri & non legi operam dare. Christus autem Dominus noster Sacerdotibus suis quid præcipiat audiamus. *Qui non abrenuntiauerit*, inquit, *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Meus, inquam, ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, & eum qui non renuntiat omnibus quæ possidet. Et quid agimus? quomodo hæc aut ipsi legimus, aut populis exponimus, qui non solùm non abrenuntiamus his quę possidemus, sed & acquirere volumus ea quæ nunquam habuimus, antequam ad Christum veniremus. Numquidnam quia nos redarguit, constantes tegere & non proferre quæ scripta sunt, possumus? Nolo duplicati criminis fieri reus.

Confiteor hæc palàm, populo audiente, confiteor hæc scripta esse, etiamsi nondum impleſse me noui. Sed ex hoc saltem commoniti festinemus transire à Sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad Sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est.

Hæc Origenes cũ timore & tremore dicebat, quo tamen haud scio, an vllus

ea

ea ætate maiore vltro amplexus sit paupertatem, qui vt pauper vixerat, ita & pauper mortuus est.

Quanti porrò idem fecerit Timorem DEI, ex ijs clarè datur intelligi, quæ scripsit libro 3. in epistolam ad Romanos capite 3. ad illa verba: *Non est timor* DEI *ante oculos eorum.* Vbi post quædam alia sic ait: Opus ergo grande est & magnificum, semper habere ante oculos cordis timorem Dei: illum timorem, qui repleuit virgam de radice Iesse, & florem qui de eius radice surrexit: de quo dicitur: *Et repleuit eum spiritus timoris Domini.* In tantum autem reddit perfectum hominem DEI timor, vt cui adsit, nihil desit, cùm Propheta dicat: *Quia nihil deerit timentibus eum.* Quis sit autem qui timeat DEVM, & timorem DEI habeat ante oculos, & vnde timor oriatur, tum ibidem adfert dicens: *Si quis sit, qui semper de timore* DEI *cogitat, & quid ei placeat, aut displiceat, secum requirat, huic timor* DEI *ante oculos esse dicitur:* tum Libro 4. *Contra Celsum* egregiè exponit: Omnis, *inquit*, sapientiæ fons & principium est DEO credere, cunctasque suas actiones ad eum scopum referre, vt DEO placeant: ita vt ne quidem in mentem aut cogitationem admittatur, quod illi displiceat: quandoquidem non tantùm verborum & operum, sed etiam cogitationum DEO sit reddenda ratio ad tribunal summi Iudicis. Nam quis alius modus est, qui faciliùs hominem ad rectè viuendum conuertat, quàm fides certaque persuasio, nihil à nobis nec geri, nec dici, nec cogitari denique, quin oculis DEI pateat? Hæc Origenes ex vero fidei & pietatis, & timoris DEI sensu medullitus exprompsit, & in omni vita sua studiosè seruauit. Cùm autem ceteræ, virtutes in ipso magnæ fuerint, maxima tamen & conspectissima Charitas, quam nunc intuebimur.

*Psal. 13. v. 3.*

*Timoris Dei Laus.*

*Esaia 11. 4.*

*Psal. 33. v. 10.*

*Dei præsentia.*

---

# CAPVT IIII.

## CHARITAS ORIGENIS ET *Martyrij ardor.*

§. 1. EXIMIAM in Deum charitatem, & propter Deum in fratres ab ipsa prima ætate ad extremam emicuisse in Origene, cùm vita illa quam præmisi, tùm ea scripta quæ modò adducam, planissimum faciunt. Quæ enim maior seu in Deum, seu in fratres charitas, quàm si quis propter Deum animam suam pro fratribus ponat? quàm si caput suum periculis & morti, propter illius gloriam,

 propter

propter horum salutem non semel, sed sæpius obijciat? Hoc Origenes fecit etiam tum adolescens, ac penè puer. Et quo ardore? In carcerem puer & in vincula ad martyrium euolasset, nisi mater omne vestimentum eius abstulisset & abscondisset, ne ad patrem excurreret, cum quo vna malebat esse in carcere, quàm cum matre & fratribus in domo propria. Adolescens martyribus ad mortem damnatis se comitem adiungebat, vel vt currentes incitaret, vel vt imbecillibus, si qui forent, verbis suis animos daret. Ætate prouectior ad necem nominatim pro fide quæsitus est. Senex pro eadem in carcere & tormentis fuit. Solutus autem, idque non sua voluntate, sed Dei dispensatione, totum se ad Dei gloriam & fratrum salutem atque solatium impendit. Denique cùm in omni vitæ suæ curriculo amantissimus ac cupidissimus martyrij fuerit, vt porte supremi humanorum meritorum apicis atque fastigij, idcirco eius deprædicandi occasionem in scriptis suis non raro arripuit: quin & librum de martyrio (vt Sanctus martyr Pamphilus auctor est) composuit. Sed de scriptis alijs nunc agamus.

Igitur homilia 1. in caput 1. Geneseos, ad illum versiculum: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*, &c. indicato breuiter sensu litterali, mox ad moralem & animabus conducibilem transiens, *Si veniat nobis*, inquit, *sensus persuadens non debere nos martyrij cruciatus tolerare, istud erit reptile venenatum: sin autem ascendat sensus & cogitatio talis, vt pro veritate ad mortem vsque certemus, auis hæc erit à terrenis ad superna conuolans*. Item dum Leuiticum explicaret, & de peccati remedijs

In apologia pro Origene. per antiqua sacrificia dissereret, veritus ne quis ea re veterem legem nouæ præferret, quasi plura illic essent quàm hîc remedia, illis prius expositis, dum ad hæc venit; *Audi nunc*, inquit, *quanta sint remissiones*

Homilia 3. in Leuiticũ. *peccatorum in Euangelijs. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrij*, &c Deinde

§. 2. addit & alias; tum rursus paullo pòst: *Et tu ergo, cùm veneris ad gratiam Baptismi, vitulum obtulisti: quia in morte Christi baptizaris. Cùm verò ad martyrium duceris, hircum obtulisti: quia auctorem peccati diabolum iugulasti.*

Hom. 9. in Leuiticum. Et homilia IX. in eundem Leuiticum: *Ego*, inquit, *si renuntiem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei. Aut si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, habens charitatem, & gloriam martyrij consequar, holocau-*

Holocausta optima & Deo gratissima. *stum me ipsum obtuli ad altare Dei. Aut si diligam fratres meos, ita vt animam meam ponam pro fratribus meis; si pro iustitia, pro veritate vsque ad mortem certauero, holocaustum obtuli ad altare Dei. Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificauero, si mundus mihi crucifixus sit & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ Sacerdos efficior.*

Ex

Et infrà desiderium suum aperiens sese Deo offerendi? *Putásne*, inquit, *dignabitur Dominus meus, verus Pontifex, & à me suscipere partem aliquam incensi compositionis minuti, quod secum deferat ad Patrem. Putásne inueniet in me aliquid igniculi, & holocaustum meum ardens, vt dignetur ex eo batillum suum implere carbonibus, & in ipsis Deo Patri odorem suauitatis offerre? Beatus est, cuius tam viuos, támque ignitos holocausti sui carbones inuenerit, vt eos aptos iudicet quos altari superponat incensi. Beatus in cuius corde inuenerit tam subtilem, tam minutum, támque spiritualem sensum, & tam diuersa virtutum suauitate compositum, vt replere eo dignetur manus suas, Deóque Patri suauem odorem intelligentiæ eius offerre. At contrà infelix anima, cuius fidei ignis extinguitur, & refrigescit charitatis calor. Ad quam cùm venerit cælestis Pontifex noster, quærens ab ea ignitos & ardentes carbones, super quos incensum offerat Patri, inuenit in ea aridos cineres & frigidas fauillas.* Sic ibi.

Sed ecce & alia haud minorem charitatis atque martyrij ardorem contestantia, quæ in homiliam septimam in Iudices contulit. Dum enim & se, & auditores suos ad standum fortiter contra omnes inimicorum Dei & Christianæ legis insultus ad martyrium vsque animare & inflammare contendit, sic loquitur: *Propterea ergo, fratres, deprecemur Dominum confitentes ei infirmitatem nostram, ne nos tradat in manus Madian, ne tradat bestijs animas confitentes sibi, ne nos tradat in manus potentum illorum qui dicunt: quando veniet tempus, vt detur nobis potestas aduersus Christianos? quando tradentur in manus nostras, qui se dicunt Deum habere vel nosse? Quod & si tradamur, & si acceperint in nos potestatem, oremus nos accipere à Deo virtutem, vt sustinere possimus: vt & fides nostra in pressuris & tribulationibus clarior fiat: Vt per patientiam nostram illorum superetur impudentia, & sicut dixit Dominus, in patientia nostra possideamus animas nostras.* Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. *Intendit enim nostra probatio non vsque ad verbera dumtaxat, sed etiam vsque ad profusionem sanguinis pertingit. Quia & Christus quem sequimur, pro redemptione nostra effudit sanguinem suum, vt inde & sanguine nostro loti exeamus. Solum enim est baptisma sanguinis, quod nos puriores reddat, quàm aqua baptismus reddidit. Neque ego hoc præsumo, sed ipsa Scriptura refert, dicente Domino ad Discipulos:* Baptismo habeo baptizari, quem vos nescitis, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? *Vides ergo, quòd profusionem sanguinis sui baptismum nominauit: Et (ne ista dicens offendam) vereor, ne istud baptisma eminentius sit illo baptismate, quod per aquam traditur. Illo enim accepto valde pauci sunt ita beati, vt immaculatum vsque ad exitum vitæ seruare illud potuerint: Hoc vero baptismo qui baptizatus fuerit, peccare iam vltrà nõ potest. Et (si temerariũ non est rebus talibus audere aliquid)*

[Margin notes: 53. Homil. 7. in Iudices. — Lucæ 21. v. 19. — Martyrij efficacia & meritum. — Lucæ 12. v. 50. — Baptismus sanguinis in quo præcellat baptisma aquæ.]

*possumus dicere, quòd per illud baptisma præterita peccata purgentur; per istud verò etiam futura perimantur. Ibi peccata dimissa sunt; hic exclusa.*

Sic ipse protsus Theologicè, vt mox ostendã. Sed pergit consequenter vota sua subeundi martyrij adiungere: *Mihi*, inquit, *si concederet Deus, vt proprio sanguine diluerer! vt baptismum secundum morte pro Christo susceptã perciperem! tum securus ex isto sæculo discederem: & veniens ad animam meam de hac vita exeuntem princeps huius mundi non inueniret quicquam: quin potiùs & sanguinis mei profusione sopiretur: nec auderet in aliquo criminari animam cruore suo dilutam, morte sua clarificatam, sanguine suo lotam. Post istud baptisma nec Madianitæ vltrà irruerent ad disperdendos & exterminandos animæ fructus. Quis enim sequi possit animam martyris, quæ supergressa omnes aërias potestates, ad cæleste tendit altare? Ibi enim sub altare Dei animæ martyrum positæ dicuntur diebus ac noctibus proclamare dicentes:*

Apocal. 6. v. 10. Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & nõ vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? Et breui pòst: *Beata illa anima, quæ occurrentes sibi aërias dæmonum turbas profusi in martyrio sanguinis cruore deturbat*. Hæc & alia feruidus amator & appetitor martyrij Origenes. Quẽ voto suo minimè defraudatum grauissima in senili & affecto corpore tolerata sub Decio tyranno tormenta persuadent.

Quod autem spectat ad illam martyrij & baptismi comparationem suprà positam, quanta vir tantus modestia & circumspectione, quod ab alio dictum non meminerat, effatus est? Bina enim parẽthesi quæ dicturus erat, præmuniuit: *Et, ne ista dicens offendam*, inquit, *vereor* &c. deinde paulo pòst: *Et (si temerarium non est in rebus talibus audere aliquid) possumus dicere.* &c.

Vtrumque tamen quod dixit ibi Origenes, valde probum est, & ab omnibus Theologis communiter receptum: Nempe, quòd martyrium baptismate sit eminentius: & quòd per illud futura peccata perimantur quodammodo & excludantur. Nam ad prius quod attinet, cùm Charitas principalium virtutum princeps & regina, omnium confessione, & Scriptura attestante, & sit, & habeatur; Charitatis autem præcipuus actus sit martyrium

Ioan. 15. v. 13. iuxta illud Ioannis 15. vers. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; nihil dubitationis relinquitur, quin illud omnibus charismatibus & sacramentis (saluo Sacræ Eucharistiæ honore; quam secundùm se excipimus) multùm antecellat. Ad alterum verò quod spectat, de futurorum peccatorum per martyrium exclusione, id accipi dupliciter potest. Primò quidem vt intelligatur per mortem in martyrio obitam excludi peccata quæ fuisset martyr admissurus, si super-vixisset. Quod certum est & indubitabile. Secundò, vt accipiatur de eo qui tormenta vsque eò passus est, vt nisi Deus singulari prouidentia, & quodam velut prodigio in vita eum præseruasset, futurum fuisset, vt communi naturæ cursu ex vi tormentorum interijsset; tum dico verè ac propriè peccata, quæ talis si su-

perstes

perstes infirmitati suæ relinqueretur, admissurus esset, speciali gratia Dei illum conseruantis non admitti, siue talia tormenta passum, à Deo singulariter præseruatum iri ne peccet, tametsi tanquam adhuc viator non sit ex se impeccabilis. Est enim profectò & diuinæ bonitati congruum, vt qui metam victor, quantum in se fuit, attigit, proposita legitimè certaminis palma donetur: Et ab eadem bonitate valde alienum, vt post extremum certamen fortissimè & sufficienter confectum, retineatur quadam (si fas sit loqui) violentia in vitæ periculis, atque ad noua certamina, in quibus sit periturus reuocetur. Hoc proinde Deum nunquam facturum & Theologi communiter atque Philosophi & ego cum illis (ita non modò iustus, sed & ipsissima iustitia est Deus) omnibus simul punctis asseueramus.

Ad illud secundum baptisma siue martyrium respexit rursus Origenes homilia V. in Isaiam, vbi de mundatione & lotione pedum mystica dicens, *Quis ergo*, inquit, *me mundabit? Quis lauabit pedes meos?* IESV *veni: sordidos habeo pedes: propter me fias seruus: mitte aquam in peluim tuam, veni laua pedes meos. Et scio quidem temerarium esse quod dico, sed timeo comminationem dicentis*: Si non lauero te, non habebis partem mecum. *Ideo laua pedes meos, vt habeam partem tecum. Sed quid aio? laua pedes meos? Petrus hoc potuit dicere, qui necesse non habuit, nisi tantùm vt pedes eius lauarentur: Totus quippe mundus erat. Ego potiùs, cùm semel lotus sim, illo baptismate indigeo, de quo Dominus ait: Ego alio baptismate habeo baptizari.* Ita Origenes, qui sæpe & sæpiùs ad illud martyrij baptisma respicit & anhelat. Sicut & in illa ad Hieremiam homilia 3. sub initium, vbi martyres adamantibus comparat, quorum martyrum virtutem ante persecutiones & tormenta non est magis agnoscere, quàm veri adamantis naturam absque incude & malleo, ita scribit: *Aiunt eos, qui lapidum preciosorum exercent mercimonia, cùm probare adamantem voluerint, verúsne sit adamas an non, malleum & incudem ad id explorandum adhibere, ac tum persuaderi verissimum esse adamantem, si lapis inter incudem & malleū indomitus perseueret, si percutiente desuper malleo, & incude supposita durior lapidis natura consistat. Sic & vir probatur, qui qualis sit, ante tentationes ignoratur. Certissimè autem nouit adamantinorum lapidum naturam solus Deus plurimis ignoratam. Ego ipse*, inquit, *adhuc nescio vtrum veniente malleo & percutiente me, non confringar & conterar, conuictus non esse adamas: an certè verus adamas ostendar, si ingruentibus persecutionibus, periculis, tentationibus tàm non contritus fuero ad ictus mallei, quàm probatus.* Sic ibi. Et fuit sanè quàm probatissimus: quippe nullis vnquam victus tormentis bonam Domini sui IESV CHRISTI confessus est in carcere confessionem. Alia quædam huc spectantia complexus sum capite 22. vitæ ipsius. Atque vt hunc de charitate Origenis in Deum & IESVM CHRISTVM, hic concludam, verba quædam, eius apponam ex homilia 5. in psalmum 36. super illis verbis: *Salus autem iustorum à Domino*, seu vt græce, *apud Dominum*: verba autem sunt hæc: *Non dixit,*

[Marginalia: § 4 — *Lotio pedum mystica.* — *Ioan. 13. v. 8.* — *Homil. 3. in Hieremiā.* — *Martyres adamantibus comparati.* — *Timor Origenis de perseuerantia.* — *Psal. 36. v. 39.*]

*possumus dicere, quòd per illud baptisma præterita peccata purgentur; per istud verò etiam futura perimantur. Ibi peccata dimissa sunt; hic exclusa.*

Sic ipse prorsus Theologicè, vt mox ostendã. Sed pergit consequenter vota sua subeundi martyrij adiungere: *Mihi, inquit, si concederet Deus, vt proprio sanguine diluerer! vt baptismum secundum morte pro Christo susceptâ perciperem! tum securus ex isto sæculo discederem: & veniens ad animam meam de hac vita exeuntem princeps huius mundi non inueniret quicquam: quin potiùs & sanguinis mei profusione sopiretur: nec auderet in aliquo criminari animam cruore suo dilutam, morte sua clarificatam, sanguine suo lotam. Post istud baptisma nec Madianitæ vltrà irruerent ad disperdendos & exterminandos animæ fructus. Quis enim sequi possit animam martyris, quæ supergressa omnes aërias potestates, ad cæleste tendit altare? Ibi enim sub altare Dei animæ martyrum positæ dicuntur diebus ac noctibus proclamare dicentes:*
Apocal. 6. v. 10. Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & nõ vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? Et breui pòst: *Beata illa anima, quæ occurrentes sibi aërias dæmonum turbas profusi in martyrio sanguinis cruore deturbat.* Hæc & alia feruidus amator & appetitor martyrij Origenes. Quẽ voto suo minimè defraudatum grauissima in senili & affecto corpore tolerata sub Decio tyranno tormenta persuadent.

Quod autem spectat ad illam martyrij & baptismi comparationem suprà positam, quanta vir tantus modestia & circumspectione, quod ab alio dictum non meminerat, effatus est? Bina enim parẽthesi quæ dicturus erat, præmuniuit: *Et, ne ista dicens offendam*, inquit, *vereor* &c. deinde paulo pòst: *Et (si temerarium non est in rebus talibus audere aliquid) possumus dicere.* &c.

Vtrumque tamen quod dixit ibi Origenes, valde probum est, & ab omnibus Theologis communiter receptum: Nempe, quòd martyrium baptismate sit eminentius: & quòd per illud futura peccata perimantur quodammodo & excludantur. Nam ad prius quod attinet, cùm Charitas principalium virtutum princeps & regina, omnium confessione, & Scriptura attestante, & sit, & habeatur; Charitatis autem præcipuus actus sit martyrium
Ioan. 15. v. 13. iuxta illud Ioannis 15. vers. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; nihil dubitationis relinquitur, quin illud omnibus charismatibus & sacramentis (saluo Sacræ Eucharistiæ honore; quam secundùm se excipimus) multùm antecellat. Ad alterum verò quod spectat, de fututorum peccatorum per martyrium exclusione, id accipi dupliciter potest. Primò quidem vt intelligatur per mortem in martyrio obitam excludi peccata quæ fuisset martyr admissurus, si super-vixisset. Quod certum est & indubitabile. Secundò, vt accipiatur de eo qui tormenta vsque eò passus est, vt nisi Deus singulari prouidentia, & quodam velut prodigio in vita eum præseruasset, futurum fuisset, vt communi naturæ cursu ex vi tormentorum interijsset; tum dico verè ac propriè peccata, quæ talis si superstes

perstes infirmitati suæ relinqueretur, admissurus esset, speciali gratia Dei illum conseruantis non admitti, siue talia tormenta passum, à Deo singulariter præseruatum iri ne peccet, tametsi tanquam adhuc viator non sit ex se impeccabilis. Est enim profectò & diuinæ bonitati congruum, vt qui metam victor, quantum in se fuit, attigit, proposita legitimè certaminis palma donetur: Et ab eadem bonitate valde alienum, vt post extremum certamen fortissimè & sufficienter confectum, retineatur quadam (si fas sit loqui) violentia in vitæ periculis, atque ad noua certamina, in quibus sit periturus reuocetur. Hoc proinde Deum nunquam facturum & Theologi communiter atque Philosophi & ego cum illis (ita non modò iustus, sed & ipsissima iustitia est Deus) omnibus simul punctis asseueramus.

Ad illud secundum baptisma siue martyrium respexit rursus Origenes homilia V. in Isaiam, vbi de mundatione & lotione pedum mystica dicens, *Quis ergo*, inquit, *me mundabit? Quis lauabit pedes meos?* IESV *veni: sordidos habeo pedes: propter me fias seruus: mitte aquam in peluim tuam, veni laua pedes meos. Et scio quidem temerarium esse quod dico, sed timeo comminationem dicentis*: Si non lauero te, non habebis partem mecum. *Ideo laua pedes meos, vt habeam partem tecum. Sed quid aio? laua pedes meos? Petrus hoc potuit dicere, qui necesse non habuit, nisi tantum vt pedes eius lauarentur: Totus quippe mundus erat. Ego potius, cùm semel lotus sim, illo baptismate indigeo, de quo Dominus ait: Ego alio baptismate habeo baptizari.* Ita Origenes, qui sæpe & sæpius ad illud martyrij baptisma respicit & anhelat. Sicut & in illa ad Hieremiam homilia 3. sub initium, vbi martyres adamantibus comparat; quorum martyrum virtutem ante persecutiones & tormenta non est magis agnoscere, quàm veri adamantis naturam absque incude & malleo, ita scribit: *Aiunt vos, qui lapidum preciosorum exercent mercimonia, cùm probare adamantem voluerint, verúsne sit adamas an non, malleum & incudem ad id explorandum adhibere, ac tum persuaderi verissimum esse adamantem, si lapis inter incudem & malleū indomitus perseueret, si percutiente desuper malleo, & incude supposita durior lapidis natura consistat. Sic & vir probatur, qui qualis sit, ante tentationes ignoratur. Certissimè autem nouit adamantinorum lapidum naturam solus Deus plurimis ignoratam. Ego ipse*, inquit, *adhuc nescio vtrum veniente malleo & percutiente me, non confringar & conterar, conuictus non esse adamas: an certè verus adamas ostendar, si ingruentibus persecutionibus, periculis, tentationibus tàm non contritus fuero ad ictus mallei, quàm probatus.* Sic ibi. Et fuit sanè quàm probatissimus: quippe nullis vnquam victus tormentis bonam Domini sui IESV CHRISTI confessus est in carcere confessionem. Alia quædam huc spectantia complexus sum capite 22. vitæ ipsius. Atque vt hunc de charitate Origenis in Deum & IESVM CHRISTVM, hic concludam, verba quædam, eius apponam ex homilia 5. in psalmum 36. super illis verbis: *Salus autem iustorum à Domino*, seu vt græce, *apud Dominum*: verba autem sunt hæc: *Non dixit*,

§ 4

*Lotio pedum mystica*

*Ioan. 13 v. 8.*

*Homil. 3 in Hieremiã*

*Martyres adamantibus comparati.*

*Timor Origenis de perseuerantia.*

*Psal. 36 v. 39.*

*ſalus iuſtorum in cælo*, inquit, *quia & cælum præterit: non dixit, in aliqua creatura: quia nulla immutabilis eſt: nec tutius eſſe vſquam poteſt ſalus hominis, quàm apud Dominum. Ille mihi locus, ille mihi domus, ille mihi manſio, ille ſit habitaculum.* Tale fuit pij Origenis votum: & tale fuit, vt piè opinari licet, voti præmium.

---

# CAPVT V.

## *ZELVS ORIGENIS IN HÆRETICOS, & in quoſcumque fidei Chriſtianæ aduerſarios.*

MVLTIS in locis ſuum aduerſus hæreticos & alios fidei Catholicæ hoſtes ardentem zelum demoſtrauit Origenes, ſed præcipuè in homilia ſuper caput 2. libri primi Regum, vbi ad verſiculum primum Cantici Annæ: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in* DEO *meo: dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari tuo*: ad iſtum, inquam, verſiculum ſic

*Libro 1. Reg. Cap. 2. v. 1.*

§. 1 Origenes inter alia: Si idoneus, *inquit*, & fortis fuero in verbo effectus, & validus in ſapientia, ita vt non anguſtis aſſertionibus, ſed dilatatis & affluentibus confutare poſſim omnem ſcientiam extollentem ſe aduerſus fidem & veritatem Chriſti, vel cùm infidelitatem & perfidiam arguens Iudæorum ex lege & Prophetis depromptam, oſtendero eſſe Chriſtum IESVM, & in omnibus potero redarguere veritatis inimicos; tum & ego dignè dicere potero: *Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos.* Si mihi certamen mouerit *Baſilides*, & eum vehementer obtriuero: ſi *Valentini* diſcipulus mihi occurrat, & me quæſtionibus ventilet, & de hoc certamine victor exiero: ſi his proſtratis *Marcion* acceſſerit, & diſceſſerit etiam ipſe ſuperatus; dicere tum potero: *Dilatum eſt os meum ſuper inimicos meos.* Si iſtis confutatis occurrant *Philoſophi* inſultantes ſimplicitati fidei noſtræ, & nos idiotas imperitóſque clamitantes, & ego ad ipſos me quoque conuertero, & veræ ſapientiæ viribus, falſæ atque fucatæ ſapientiæ nebulam diſturbauero, nec ſolùm huiuſmodi, ſed & Principum huius mundi ſapientiam deſtruxero, tunc pleniùs dilatatum erit os meum ſuper inimicos meos. *Hæc & alia ibi Origenes.*

*Baſilides, Valentinus Marcion. Hæreſiarchæ.*

Non diſſimilem zelum oſtendit homilia 1. in Ezechielem, paullo ante medium, ad illa verba: *Fili hominis.*

*Homil. 1. in Ezechielem.*

§. 2. Per omnem, *inquit*, propheriam Ezechieli dicitur: *Fili hominis.* Quis autem filius hominis, *vt Dominus meus* IESVS *Chriſtus?* Reſpondeant mihi hæretici, qui natiuitatem illius vt phantaſma eludunt, quare Chriſtus *Filius hominis* appellatur? Ego affirmò filium hominis eum fuiſſe. Nam qui paſſiones aſſumpſit humanas, neceſſe eſt, vt ante paſſionem ſuſceperit natiuitatem

*Chriſti natiuitas humana confirmatur.*

uitatem. Neque enim potuit humanos affectus, verba, mores, crucem, mortem recipere, si non reciperet humanitatis exordium. Et consequens erat natiuitatem eius auferentes auferre etiam passionem, & simpliciter dicere: *Nō est crucifixus* IESVS: nunc verò crucem confiteris & non erubescis, Iudæis scandalum prædicas crucifixum, & Gentibus stultitiam; & minus scandalum passione vel morte erubescis natiuitatem eius confiteri? Nimirum minus scandalum est IESVM natum fuisse, quàm mortuum. Aut si scandalum Christiana fides nō veretur, cur times dicere minora, qui maiora ausus es confiteri? præsertim cùm natiuitas illius non ex semine viri & mulieris somno conuenientis esse credatur, sed iuxta Prophetæ eloquium dicentis: *Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hoc quod dicitur *Emmanuel*, non vnum nomen sonat, sed rem significat. Adueniente quippe IESV dicimus: *Nobiscum Deus.* Sic ibi. Esaiæ 7. v. 14.

*Et infra ibidem versus finem.*

Si qua plantatio, *inquit*, in animo mala est, si qua secta nequam, hanc eradicat, hanc subuertit sermo propheticus. Vtinam autem cōtingat, vt mihi talis sermo donetur, qui eradicet hæreticorū semina, & doctrinam è zabuli fonte manantem, qui de eius anima, qui nunc primùm Ecclesiam ingreditur, idololatriæ auferat plantationem! *Dedi*, inquit, *sermones meos in os tuum: ecce constitui te eradicare & suffodere*: scilicet siqua ædificatio pessima est, destruatur. Quàm vellem & ego suffodere quicquid Marcion in auribus à se deceptorum ædificauit! eradicare & subuertere & disperdere, vt Iacob disperdidit idola! Vsque in hodiernum diem est disperdere & ædificare. Hæretici disperdere & euertere tantùm audierunt: in ædificationis autem plantationisque sermone surdas aures auerterunt. *Sic ibi.* §. 3. Ieremiæ 1. v. 9. & 10.

*Et homilia 5. in eundem Ezechielem ad illa verba*; Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia, &c. *Quæ ergo est*, inquit, *subuersio, consuere ceruicalia, & subijcere puluillos cubitis*? Sed vt sermonis Sacramentum intelligas, videbis grandem subuersionem esse, hominem efficere delicatum iuxta corpus. Hoc autem verba hæreticorum efficiunt; apud quos non est rigida conuersatio. Inuenies discipulos Valentini moribus dissolutos ad nihil virile tendentes: Similiter & sectatores Basilidis, &c. *Et paullo post:* Disrumpit ergo qui hæc comminatur Sermo filius Dei istas consutiones nequissimas. Præsta mihi Christe, vt disrumpam ceruicalia in animarum consuta luxuriam. *Hæc ille.* §. 4. Ezechielis 13. v. 18.

Alium insignem locum inserui vitæ Origenis cap. 21. suprà.

Hactenus de virtutibus Origenis è Scriptorum eius armario depromptis; tametsi & inter Documenta ipsius; quas iam modò subijciam, nonnullæ rursùm eiusmodi virtutes, velut necessario cū illis complexu sese sint immisturæ.

## LIBER III.

# LIBER III.

## DOCVMENTA AD ECCLESIÆ *fidem, & ad morum honestatem spectantia, è libris Origenis excerpta.*

COGNOSCETVR è consequentibus documentis, primò quidem, quæ & qualis fuerit Origenis doctrina; quamque Ecclesiæ, & eius perfectioni amica & obsecundans: deinde quanta in eum, qui cunctas ætate sua dominantes Hæreses oppugnauit, diaboli & assectarū eius inuidia, ad perstringendam eius, scriptorumque ipsius (quorum nunc præcipuorum iactura à viris doctissimis deploratur) auctoritatem, commota sit. Atque vt à Deo opt. max. vno in natura, trino in personis initium, sicuti decet faciamus: quid de tanto fidei mysterio senserit ac docuerit Origenes, primò attendemus.

## CAPVT I.

### TRINITAS SANCTISSIMA.

§ 1. HANC plurimis in locis clarè confessus est, extulit, prædicauit, Origenes: quæ ipsius aduersarij, persæpe nodum in scirpo quærentes, dissimulant, & ad obscuros sensus tanquam corui ad cadauera conuolant. Ego autem ea loca nihil dissimulans proferā: vt ex illis quoque gloria Deo, vtilitas Ecclesiæ, & suus Origeni honos reddatur. Nam sunt qui inuitis ac renitentibus S. Pamphilo martyre, S. Athanasio Magno, Confessore, & alijs Scriptoribus perantiquis; illi ereptum ire voluerint, immo & quantum in ipsis fuit, eripuerint.

Locus primus ducetur ex homilia V. in Exodum. *Apud Pharaonem*, inquit, *is qui Deum sequitur, errare dicitur: quia, vt diximus, sapientia iter tortuosum est, multos habens flexus, multas difficultates, plurimos anfractus. Nam cùm confiteris vnum Deum, eandemque confessione Patrem & Filium & Spiritum Sanctum asseris vnum Deum, quàm hoc tortuosum, quàm difficile, quàm inextricabile videtur infidelibus? Deinde cùm dicis Dominum maiestatis crucifixum, Filium hominis esse qui descendit de cælo,* quàm

Hom. 5. in Exodum.

Locus 1. de Trinitate.

*quàm tortuosa hæc videntur & quàm difficilia? Qui audit, nisi cum fide audiat, dicit quia errant isti. Sed tu fixus esto, nec dubites de huiusmodi fide, sciens quia Deus tibi ostendit hanc fidei viam.*

Ecce verba Origenis: ecce fidem Origenis, quam fixus tenuit & de qua nullatenus dubitauit, sciens quia Deus ipse illi ostendit hanc fidei viam.

De hac fide dixit homilia 9. in Exodum: *Funiculus autem triplex non rumpitur, quæ est Trinitatis fides, ex qua dependet, & per quam sustinetur omnis Ecclesia.* Quæramus & alios locos.

*Locus 2. hom. 6. in Exodum.*

*Exodi 15. v. 11.*

Locus 2. clarus & euidens est in homilia 6. in Exodum, ad illa verba: *Quis similis tibi in Dijs Domine?* vbi postquam egit de ijs qui putantur Dij, & non sunt; *Nullus ergo in Dijs*, inquit, *similis Domino. Nullus enim inuisibilis, nullus immutabilis, nullus sine initio & sine fine, nullus creator omnium, nisi Pater cum Filio & Spiritu sancto.* Sic ibi.

Quid autem ibi non sanum, sanctũ & Catholicum? Quæramus & aliũ.

*Locus 3.*

Locus 3. est in homilia XI. in cap. 18. Numerorum, ad illa verba secundùm editionem Septuaginta Interpretum. *Et hoc fit nobis ex sanctificatis sanctis*, ad quæ ita scribit Origenes:

*Hom. 11. in caput 8. Num.*

*Spiritus sancti diuinitas æterna.*

*De sacrificijs aliquoties apud memetipsum ista percurrens requisiui, quænam essent sanctificata sancta: & videtur mihi quasi ad distinctionem eorum, quæ non sanctificata sancta sunt, hic sanctificata sancta dixisse. Puto ergo quòd sanctus Spiritus ita sanctus sit, vt non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus, & aliunde accessit sanctificatio, quæ antè non fuerat, sed semper fuit sanctus, nec initium sanctitas eius accepit: similique modo de Patre & Filio intelligendũ est. Sola enim Trinitatis substãtia est, quæ non extrinsecus accepta sanctificatione, sed suâ naturâ sit sancta. Omnis verò creatura vel dignatione, sancti Spiritus, vel meritorum ratione sanctificata sancta dicetur. Sic ergo & scriptum legimus:* Sancti estote: quoniam & ego sanctus sum, *dicit Dominus Deus. Ita non continuò similitudo sanctitatis in Deo atque hominibus ponenda est. De Deo enim dicitur quia sanctus est, homines autem quasi qui non semper fuerint, iubentur vt fiant sancti.* Hæc ibi præclarissimè.

*Leuitici 11. v. 44.*

*Locus 4.*

*Puteorum significatio mystica.*

*Hom. 12. in cap. 18. Num. initio.*

*Ioannis 14. v. 16.*

Locus 4. homilia 12. in Numeros, ad illud prouerbiorum 5. quod ibi citatur: *Bibe aquas de puteorum tuorum fonte. Videamus ergo*, inquit, *quorum puteorum vnum dixerit fontem. Ego puto, quòd scientia ingeniti Patris, vnus intelligi possit puteus: sed & vnigeniti Filij eius agnitio, alius puteus intelligi debeat. Alius enim à Patre Filius, & non idem Filius qui & Pater, sicut ipse in euangelijs dicit:* Alius est, qui testimonium de me dicit Pater. *Et rursus tertium puto videri puteum posse cognitionem Spiritus sancti. Alius enim & ipse est à Patre & Filio, sicut & de ipso itidem in euangelio dicitur:* Mittet vobis Pater alium paracletum Spiritum veritatis. *Est ergo hæc trium distinctio personarum in Patre & Filio & Spiritu sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum reuocatur: sed horum puteorum vnus est fons. Vna enim substantia est & natura Trinitatis. Et hoc modo non*

*otiosa*

*otiosa inuenietur sacræ Scripturæ distinctio, quæ dicit: De puteorum tuorum fonte: sed obseruanter mystica signauit eloquia, vt quod pluraliter dictum est de personis, singulariter substantiæ conueniret.* Ita ibi acutè, & eruditè, & sublimiter Origenes secutus versionem græcam Septuaginta Interpretum.

Numer. 21. v. 16. Et paullo inferiùs ibidem: *Moyses*, inquit, *congregare iubetur populum, vt conueniat ad puteum, & bibat aquam; Moysen autem accipi legem debere sæpe ostendimus. Lex ergo Dei est, quæ te conuocat, vt ad puteum conuenias: quem puteum? nisi illum de quo suprà diximus, Iesum Christum Filium Dei, propria quidem substantia subsistentem, vno tamen cum Patre & Spiritu sancto Deitatis fonte nominatum. Ad hunc ergo puteum, id est, ad fidem Christi conuocat lex. Ipse dixit:* quia Moyses de me scripsit. *Vt quid nos conuocat? Vt bibamus aquam, & cantemus ei canticum, hoc est, corde credamus ad iustitiam, & ore confiteamur ad salutem.*

Ioan. 5. v. 46.

Pulchrè ista: Nam & in loco Numerorum habetur, populum Israël apud puteum istum cecinisse canticum. *Tunc cecinit Israël carmen istud: Ascendat puteus*, &c. Sed videamus & alios locos, & conglobatim cùm se offerant, pauculos eligamus è multis.

Numer. 21. v. 17.

§. 2.

Locus 5. è prologo in Cantic. Cāt. Quintus igitur sit è prologo ipsius Origenis ad commentarium Cantici canticorum; vbi post multa de amore & charitate dicta, *Hæc interim*, inquit, *nobis ad præsens de amore & charitate, quæ in hoc epithalamio Cantici canticorum refertur, occurrere potuerunt: sed sciendum est tam multa esse quæ dici debeant de hac charitate, quanta & de Deo: siquidem ipse charitas est. Nemo enim scit Patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Similiter autem & ipsum filium (quoniam & ipse charitas est) nemo scit nisi Pater, & secundùm hoc quod charitas dicitur. Solus autem Spiritus sanctus est, qui ex Patre procedit, & ideo scit quæ in Deo sunt: sicut spiritus hominis scit quæ in homine sunt. Hic ergo paracletus Spiritus Veritatis qui de Patre procedit, circuit quærens, si quas inueniat dignas & capaces animas, quibus reuelet magnitudinem charitatis huius quæ ex Deo est. Nunc ergo iam ipsum Deum Patrem, qui charitas est, inuocantes, per eam quæ ex ipso est charitatem etiam ad reliqua discutienda veniamus.* Hæc ibi Origenes de tribus sanctissimę Trinitatis personis, quibus solis conuenit scire Deum, & perfectè atque omnino nosse, ita vt in nulla personarum maior sit notitia, quàm in alia.

Filius videt Patrem.

Locus 6. Hom. 3. in Canticum canticorum. Sextus locus è tertia homilia huius epithalamij deductus est; vbi versus finem, post multa de ceruis & hinnulo ceruorum, cui sposus comparatur, in medium allata, ad illud psalmi 103. *Montes excelsi ceruis*, sic inquirit: *Qui autem sint montes excelsi videamus: qui quasi solis ceruis sequestrati videntur, & ad quos nisi ceruus aliquis non possit ascendere. Ego puto*, inquit, *quod personas Trinitatis montes excelsos appellauerint, ad cuius capacitatem nullus, nisi ceruus efficiatur, ascendit. Sed iidem ipsi qui hic montes excelsi pluraliter appellantur, in alijs mons excelsus singulariter dicitur, sicut Esaias ait:* In montem excelsum conscende, qui euangelizas Sion. Exalta in fortitu-

Psal. 103. v. 18.

Montes excelsi personæ Trinitatis.

Esaie 40. v. 9.

fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem. *Idem namque ipse, qui ibi Trinitas propter distinctionem personarum, hic vnus Deus intelligitur pro vnitate substantiæ.* Quid his clarius? An qui sic loquitur de Trinitatis mysterio, malè sentit? an qui Filium Dei & Spiritum sanctum dicit vnum Deum esse cum Patre, is Filium Dei minorem Patre facit, aut Spiritum sanctum inter creaturas reijcit?

Et contra hos, qui Origeni falsò ac mendaciter impingunt, dixisse Filium non posse videre Patrem, audiantur, quæ in eadem homilia 3. in Canticum mox subduntur in declarationem comparationis sponsi cum caprea, animali scilicet visus acutissimi. *Et quis est*, inquit, *qui ita videat vt videt Christus? Solus ipse est qui videt, id est, agnoscit Patrem. Nam etsi dicantur ij qui mundo sunt corde Deum visuri, videbunt ipso sine dubio reuelante: quia & caprea habet in natura sua, vt non solùm videat ipsa & perspiciat acerrimè, sed & alijs visum præbeat. Asserunt namque hi quibus medicinæ peritia est, inesse huic animali intra viscera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quosque visus exacuat. Meritò ergo capreæ, vel damulæ Christus comparatur: quia non solum videt ipse Patrem, sed & videri ab alijs facit, quorum visus ipse curauerit. Obserua autem ne audiens, Patrem videri, corporeum aliquid sentias, & Deum visibilem putes. Visus quo Deus videtur, non est corporis, sed mentis & spiritus. Quod etiam ipse Saluator in Euangelio vocabulo proprio distinguens dixit:* Nemo videt Patrem, nisi Filius. *Denique & ijs, quos facit Deum videre, dat spiritum scientiæ, & spiritum sapientiæ, vt per ipsum spiritum videant Deum. Et ideo dicebat ad Discipulos:* Qui me videt, videt & Patrem. *Et vtique non ita inepti erimus, vt putemus quòd qui secundùm corpus eum viderit, viderit etiã Patrem: alioquin inuenirentur & Scribæ, & Pharisei, & Hypocritæ & Pilatus, qui eum flagellis cecidit, & omnis populus qui clamabat:* Crucifige, crucifige eum, *videntes Iesum secundùm carnem, etiam Deum Patrem vidisse. Quod nõn solùm absurdùm videtur esse, sed & impium. Sicut enim cùm turba eum comprimerent euntem cum discipulis, nullus eorum qui premebant & coarctabant eum, dicitur eum tetigisse, nisi illa sola quæ profluuium sanguinis passa venit, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & ipsi soli testimonium perhibet dicens:* Quia tetigit me aliquis: sensi enim virtutem de me exisse: *ita & cùm plures essent, qui eum videbant, nullus eum vidisse dicitur, nisi qui agnouit quòd Verbum Dei & Filius Dei est: in quo vtique simul agnosci & videri dicitur Pater.* Sic ibi. Ad quæ verba si Antiorigenistæ non erubescant, næ illis pudor omnis perijt. Ecce enim clarissimè, & quid sit videre Patrem explicat, & quòd solus Filius dignè Deo eum viderit, asseuerat. Sed hæc & alijs firmemus.

Septimus igitur locus ex homilia 4. in caput 6. Esaiæ deptomitur, vbi in primo initio, æqualitatem trium personarum docet, solúsque Filium & Spiritum videre faciem Patris asserit, hoc est, diuino, & prorsus singulari modo,

*Filius videt Patrem.*

*Ead. Hom. 3. in Cant. Canticorũ.*

*Christus capreæ comparatus.*

*Ioann. 6. v. 16.*

*Ioan. 14. v. 9.*

*Ioan. 19. v. 6.*

*Lucæ 8. v. 46.*

*Locus 7. Homil. 4. in cap. 6. Esaiæ.*

Angelos autem non sic. *Impossibile est*, inquit, *inuenire principium Dei: principium ortus Dei nusquam comprehendis, non dico tu, sed neque aliquis, neque aliud quicquam eorum quæ subsistunt. Solus Saluator, & Spiritus sanctus, qui semper fuerunt cum Deo, vident faciem eius. Et fortè Angeli qui vident iugiter faciem Patris qui est in cælis, vident & principia negotiorum. Sic autem & pedes abscondunt ante homines, Seraphim. Nouissima enim vt sunt, non valent enarrari*, &c.

Quo loco Seraphim inter Angelos censentur. Vti & infrà ad illud: Sanctus, Sanctus, Sanctus. *Non eis sufficit semel*, inquit, *clamare Sanctus, neque bis, sed perfectum numerum Trinitatis assumunt; vt multitudinem sanctitatis manifestent Dei, quæ est trinæ sanctitatis repetita communitas, sanctitas Patris, sanctitas vnigeniti Filij, & Spiritus sancti.* Et paucissimis interiectis, ad illa verba: Plena est omnis terra gloria eius. *Olim*, inquit, *domus plena erat gloria, nunc verò his qui super terram sunt, à Seraphim prophetatur, quòd futurum sit, vt vniuersam terram gloria Dei mei Christus impleat. In omnibus quippe, qui conuersatione sua glorificant Deum, gloria Dei est, atque ita vniuersa terra plena est gloria Dei. Olim non omnis terra plena erat gloria Dei, sed vnus angulus terræ, quando dicebatur*: Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius, *Gloria Deo, qui misit Filium suum vt omnis terra plena fieret gloria sua.*

*Terra nunc plenior est gloria Dei quàm olim.*

*Psal. 75. v. 2.*

*Locus 8. hom. 5. in Ieremiam.* Octauus locus educitur ex homilia V. in Ieremiam sub initium. *Scio animam meam*, inquit, *inhabitatam: scio animam meam desertam. Si enim non habet Deum Patrem, si non habet filium dicentem*: Ego, & Pater veniemus ad eam, & mansionem apud eam faciemus; *si non habet Spiritum sanctum, anima deserta est: habitata est autem, quando plena est Deo, quando habet Christum, & Spiritum sanctum. Verum enim est, & verè in Scripturis dicitur, in anima hominis Patrem & Filium & Spiritum sanctum commorari.* &c.

*Locus 9. hom. 6. in eundem.* Nonus è sequenti ibidem homilia, non procul initio, Marcionem hæresiarcham perstringens: *Sunt quidam*, inquit, *qui opinione sua veterem diuinitatem ab ea quæ in Christo annuntiatur, diuidant: nos vnum nouimus Deum, & in præsenti, & in præterito: vnum Christum, tunc & modò: similiter & vnum Spiritum sanctum cum Patre & Filio sempiternum.* Sic Origenes. An hæc luce indigent? Inuenimus in Ieremiam: quæramus & in

§. 3. Ezechielem.

*Locus 10. hom. 1. in Ezechielem.* Decimus locus, homilia 1. in Ezechielem ad illa verba: *Et factus est sermo Domini ad Ezechielem Filium Buzi Sacerdotem: Sermo Domini*, inquit, *qui in principio erat apud Deum Patrem, Deus Verbum Sermo qui credentes efficit Deos.* Et paullò inferiùs: *Venit Sermo Domini ad eum qui de Virgine nascebatur, id est, ad hominem, Sermo semper in Patre manens: vt fierent vtraque vnum, & consociaretur homo, quem ob Sacramentum & salutem vniuersæ humanitatis induerat, diuinitatis eius & naturæ vnigeniti Dei.*

Dei. Nota græcum nomen λόγος à Patribus latinis modò *Verbum*, modo *Sermonem* reddi.

Et homilia 4. in eundem sub medium: *Habeto virtutes, & eris Filius Christi.* Filioli, *inquit*, adhuc modicùm vobiscum sum. *Cùm autem fueris Christi, eris & omnipotentis Patris: quia vnum sunt vnicæque naturæ*; Ita igitur Origenes Patris & Filij vnicam ponit naturam: quemadmodum & alibi sæpius. Transeamus hinc ad eius libros in epistolam ad Romanos. Ioan. 13. v. 33.

Vndecimus ergo locus erit ex libro primo in caput primum, vbi sub medium, æqualitatem trium personarum ex æquali singularum adoratione condocet, *Vt enim breuiter*, inquit, *& omni in vnum collecta definitione dicamus, adorare alium quempiam præter Patrem & Filium & Spiritum sanctum, impietatis est crimen.* Locus 11. Lib. 1 in epist. ad Rom.

Et aliquantò inferiùs: *Eorum ergo est contumelijs afficere corpora sua, qui seruiunt simulacris: & eorum colere creaturam, qui dereliquerunt creatorem. Nos autem qui nullam creaturam, sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum colimus, & adoramus, sicut non erramus in cultu, ita nec in actibus quidem & in conuersatione peccemus.*

Duodecimus locus è libro quarto capite quarto in eandem epistolam dabitur, vbi sub finem sic ait: *Qui ergo non credit Christo, de quo Moyses scripsit in lege, destruit legem: qui autem credit Christo, de quo Moyses scripsit, legem confirmat per fidem, qua credit in Christum. Eum autem credere dicimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, qui integram, plenam, perfectam substantiam credit: qui nihil diuersum, nihil discrepans aut extraneum in Trinitate profitetur. Nam Marcion, qui alium Deum dicit legis, alium Patrem Christi, per fidem suam non statuit, neque confirmat, sed destruit legem. Hoc & Ebion facit: hoc & omnes qui in fide catholica aliquid corruptionis interserunt.* Sic ille. Quid autem magis catholicum? Quid Ario & Arianis repugnantius? Quid opprimendis super hac materia calumniatoribus Origenis fortius, quàm nihil diuersum, nihil discrepans, nihil extraneum in Trinitate confiteri? Locus 12. Lib. 4. in epist. ad Romanos. Heresiarchæ Marcion & Ebion.

Decimus tertius è lib. 5. in eand. epist. cap. 6. ante medium *Et vides*, inquit, *si possumus tres dies consepulti Christo facere, cùm plenam scientiam Trinitatis capimus. Lux enim Pater et in lumine eius qui est Filius lumen videmus Spiritum sanctum.* Tres enim personæ sunt tria lumina. Et hoc quoque SS Patribus alijs est conformissimum, S. Gregorio Nazianzeno, S. Ioanni Damasceno, & alijs apud quos reperitur sancta Trinitas appellata natura tricorusca, trisolaris, trilucida, & alijs similibus epithetis, quæ vide, si lubet, in nostra *Anthologia Græcolatina*, titulo, *Trinitas.* Locus 13. Lib. 5 in epist. ad Rom.

Decimus 4. locus est in lib. 7. ad eandẽ epist. vbi sic initio: *Sicut enim*, inquit, *multi sunt Filij Dei, vt scriptura dicit*: Ego dixi, Dij estis, & Filij excelsi omnes Locus 14. Lib. 5. in epist ad Rom. Psal. 81. v. 6.

Psal. 81. v. 6. omnes; *vnus tamen est naturâ Filius, & vnigenitus de Patre, per quem omnes Filij appellantur: ita & Spiritus, siquidem sunt multi, sed vnus est; qui verè ex ipso Deo procedit, & cæteris omnibus vocabuli ac sua sanctificationis gratiam donat.* Sic ille. Quo quid clarius? quid distinctius?

Quis enim non videt segregari illîc tam Spiritum sanctum, quàm Filium ab omnibus creaturis, & æquari Deo Patri, non autem impares, non inferiores dici? Quod ne quis putaret, atque ita falleretur animi, addidit ibidem, aliquantò inferiùs, post illa verba. *Tunc & ipse Filius erit subiectus ei, qui sibi subiecit omnia*; addidit, inquam, hæc: *Et hic enim subiectus, non quasi inferior dicitur. Quomodo enim inferior dici poterit, qui Filius & omnia est quæ Pater?* Sic ipse. Qui ergo dicit Filium esse omnia quæ Pater est, an eum dicit inferiorem Patre? An nimis tenuiter loquitur de Filio?

1 Cor. 15. v. 28.

§. 4. Sed ne qui hæc fortassis tanquam nimis breuiter dicta contemnant, age dabimus, vbi mentem fusiùs explicet

Locus 15. lib. 7. in epist. ad Rom. Sap. 7. v. 25. Decimus quintus igitur locus in eandem ad Romanos epistolam lib. 7. cap. 9. sic loquentem de Patre & Filio exhibet: *Vnus autem vterque est Deus: quia non est Filio aliud diuinitatis initium quàm Pater: sed ipsius vnius paterni fontis (sicut Sapientia dicit) purissima emanatio est Filius. Est ergo Christus Deus super omnia. Quæ omnia? Illa sine dubio, quæ & paullo antè diximus, super Principatus, Potestates, & Virtutes, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Qui autem super omnia est, super se neminem habet. Non enim post Patrem ipse, sed de Patre. Hoc autem & Sapientia Dei de Spiritu sancto intelligi dedit, vbi dixit:* Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. *Si ergo Filius Dei super omnia dicitur, & Spiritus sanctus continere omnia memoratur, Deus autem Pater est ex quo omnia, euidenter ostenditur natura Trinitatis, & substantia vna, quæ est super omnia.* Sic ibi Origenes. Quæ è sacris litteris ratiocinatione quæ potest alia proferri euidentior?

Sap. 1. v. 7.

Locus 16. libro 8. in epist. ad Rom. Decimus sextus locus è libro octauo, capite decimo, eundem Patri & Filio honorem adscribit. *Vnum enim*, inquit, *vtrique honorem deferendum, id est, Deo Patri & Filio diuinus docet sermo; cùm dicit: Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ibidem haud longè post: *Vnum*, inquit, *& verum bonum est* DEVS, *cuius imago bonitatis, eius est Filius, & Spiritus eius, qui dicitur bonus. Istud ergo vnum bonum, quia in* DEO *Patre & Filio & Spiritu sancto est, bona nominauit: in illo scilicet quod dixit: euangelizabunt bona.* Et paullo inferiùs ibidem: *Sunt enim nonnulli*, inquit, *qui annuntiant quidem & prædicant de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, sed nō sincerè, non integrè: vt sunt omnes hæretici, qui Patrē quidem & Filium & Spiritū sanctum annuntiant, sed non benè, non fideliter annuntiant.*

Ioan. 5. v. 23.

*Aut*

*Aut enim malè separant Filium à Patre, vt alterius naturæ Patrem, alterius naturæ Filium dicant: aut malè confundunt, vt ex tribus compositum Deum, vel trinæ tantummodò appellationis in eo esse vocabulum putent. Qui autem bene annuntiat bona, proprietates quidem Filio, & Patri, & Spiritui sancto suas cuique dabit, nihil autem diuersitatis esse confitebitur in natura vel substantia. Qui ergo ita annuntiant Euangelium, non solùm bona annuntiant, sed bene & integrè annuntiant bona.* Hæc Origenes: & eadem ipsa sunt quæ hodie omnes Theologi passim in pulpitis docent.

Longè plura liceret mihi ex eodem Origenis cornucopiæ in medium proferre, sed cui hæc non sufficiant, haud scio an quantacumque proferantur, ei suffectura sint. Seorsum autem, quid contrà nonnulli afferant, videbimus: nolo enim in præsenti suscepta Origenis documenta interrumpere. Si quis tamen plura desiderat, adire potest sanctum Pamphilum martyrem in apologia pro Origene, vbi & alia profert Origenis testimonia.

---

# CAPVT II.

## *INCARNATIONIS MYSTERium: siue, Filius Dei æternus, in tempore autem animâ & carne vestitus.*

MYSTERIO sanctissimæ Trinitatis dignitate & magnitudine proxima est Verbi diuini Incarnatio, in qua æternus temporali, spiritalis corporeo, immortalis mortali sub vna diuina persona nodo inenodabili connexus est, & Deus homo factus, vt homo fieret Deus. Hoc immensi amoris, hoc infinitæ miserationis erga homines nimis miseros fuit. Et tantâ perniciosus ille peccati & contagionis morbus medicinâ indigebat, vt perfectè sanaretur. De hoc tam magno & tam amando, & peræquè horrendo mysterio quid senserit ac scripserit ille IESV amator Origenes peruidendum est, dignéque perpendendum. §. 1.

Rem ac naturam Incarnationis breuiter indicat homilia 4. in cap. 18. Geneseos post medium, ad illud Michææ Prophetæ cap. 1. *Ecce Dominus exijt de loco sancto suo & descendit & incedit super excelsa terræ. Descendere*, inquit, *dicitur Deus quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur. Quod specialiùs de Domino ac saluatore nostro sentiendū est, qui non rapinā arbitratus* Michææ. 1. v. 3

*arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Descendit ergo ( neque enim alius ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo ) descendit ergo Dominus non solum curare, sed & portare quæ nostra sunt. Formam namque serui accepit, & cùm ipse inuisibilis sit naturæ, vtpote æqualis Patri, habitum tamen visibilem suscepit, & repertus est habitu vt homo.* Sic ibi. Et nota Filij cum Patre æqualitatem contra Arium.

§. 9.

*Incarnationis modus. Filius Dei se exinaniuit.* Modum porrò ac tempus Incarnationis declarat expressiùs in procemio suo ad libros De principijs, ita scribens: IESVS *Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est: qui cùm in omnium conditione Patri ministraret ( per ipsum enim omnia facta sunt ) nouissimis temporibus seipsum exinaniens, homo factus est: incarnatus est, cùm Deus esset, & homo factus mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quòd natum ex virgine de Spiritu sancto est. Et quoniam hic* IESVS CHRISTVS *natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communi hac morte verè mortuus est. Verè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conuersatus cum discipulis suis, assumptus est.* Sic ibi. Nota verbo *ministrandi* ( quo & S. Irenæus est vsus, ministerium tale intelligi, quale est Filij in Patrem, & quale per parenthesim suam indicauit hoc ipso loco, vt *Ioannis 1. v. 3.* vidisti, cùm dixit: *per ipsum enim omnia facta sunt.* Idem libro 1. De principijs, cap. 2. *Primo,* inquit, *illud nos oportet scire, quòd alia est in Christo Deitatis eius natura, quæ est vnigenitus Filius Patris, & alia humana, quam in nouissimis temporibus pro dispensatione suscepit.* Eodem cap. 2. sæpius repetit Filium Dei se exinanisse, nusquam verò animam esse exinanitam, quod illi Theophilus Alexãdrinus affingebat; vt in Veritatis disquisitione, quæst. 6. notauimus.

Hac doctrina præfocati sunt hæresiarchæ quidam, qui vnicam in Christo naturam ponebant.

Vide etiam S. Pamphili Apologiam, titulo, *De Incarnatione*: Prænuntiatam verò à Prophetis Incarnationem indicat libro 4. de principijs, cap. 2. *Prædictio incarnationis per Prophetas.* *Igitur de Deo,* inquit, *id est, de Patre & Filio & Spiritu sancto ab his viris diuino Spiritu repletis principaliter designatur: tum verò de sacramentis Filij Dei, quomodo Verbum caro factum est, & qua de caussa vsque ad formam serui perficiendam venerit, vt diximus, repleti diuino Spiritu protulerunt.*

Exspectatum porro Filium Dei de cælo non tantùm à lege & Prophetis, sed etiam ab omni ferè populo Iudæorum credente & sperante, eum ad salutem totius suæ gentis venturum scribit, Origenes in præfatione tomi primi in Ioannis Euangelium, vbi agens de libris Euangeliorum, sic scribit: *Quod autem expectatum etiam bonum per hos libros promittitur, non est obscurum. Totius namque populi ferè ore loquens Baptista Ioannes in legatione* *Matt. 11. 3.* *ad* IESVM *missa, ait:* Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Expectatum enim à populo bonum* IESVS *erat, de quo Prophetis annuntiãtibus etiam è vulgo*

*vulgo quilibet homines, qui sub lege & Prophetis erant, in eo spem habebant, Samaritide illa hoc testante, atque dicente:* Scio quia Messias venit qui dicitur Christus: cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. *Refert ibidem S. Pamphilius plura ab Origene producta testimonia.* Ioan. 4. v. 25.

§. 3.

Necessitatem deinde aduentus Christi in mundum, propter exundantia in orbem peccata, quibus reprimendis neque lex par fuerat per Moysen lata, neque prædicatio venturi Messiæ per Prophetas euulgata sufficiebat, eximiè declarat idem Origenes lib. V. in epistolam ad Romanos cap. V. ad illa verba: *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen*, &c. Vbi rectè tria annotat tempora peccati & mortis ab Apostolo designata: primum quando ait: *Per peccatum mors introiuit in hunc mundum*: 2. vbi dicit: *In omnes homines mors pertransijt*: 3. dum inquit, *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen*, &c. tum illa subdit: *Videtur ergo mihi Apostolus*, inquit, *in his describere velut tyranni alicuius ingressum, qui voluerit regnum legitimi Regis inuadere; & primo quidē fauces ipsas & aditus regni occupauerit præuaricatione custodis: tum deinde cunctorum animos ad se inclinare tentauerit, & maxima ex parte potuerit, & ita indebitum sibi vindicauerit regnum.* Hoc ergo per tyrannidem regnante mittitur Dux electus à Rege legitimo Moyses, qui occupatos ab eo populos ad ciuilis Imperij iura reuocaret, & veri Regis vti legibus edoceret. Ille tunc tyrannus, id est, mors peccati, quæ per præuaricationem primi custodis irrepserat, regnabat super omnes illos, qui ad eum simili vt ille primus præuaricatione declinauerunt. Sed iste legitimi Principis Dux egit omnia, quatenus aliquos ex peccati & mortis regno deriperet, & obtinuit tandem vt vnam gentem, & si quis se huic voluit sociare, conuerteret, & ex præcepto Regis primi sacrificia instituit, quibus certa solemnitate oblatis, diceret: Et remittetur ei peccatum. *Et ita demum ex parte aliqua homines cœperunt de regno peccati, mortisque liberari.* Et paullo pòst: *Nam introiuit quidem mors in mundum & in omnes pertransijt, non tamen in omnes regnauit. Aliud est enim pertransire, & aliud regnare. Peccatum enim pertransit etiam iustos & leui quadam eos contagione perstringit: In præuaricatoribus verò, id est, in his qui se ei tota mente ac deuotione subijciunt, regnum tenet, & omni potestate dominatur. Regnauit ergo mors ab Adam, qui primus transitum peccato in hunc mundum præuaricando patefecit, vsque ad Moysen, id est, vsque ad legem. Per legem enim purificatio peccatorum cœpit aperiri, & ex parte aliqua tyrannidi eius obsisti per hostias, per expiationes varias, per sacrificia, per præcepta. Sed quoniam tanta erat eius dominatio, quæ vires legis excederet, mittuntur in auxilium Regis, Prophetæ: sed & ipsi præuidentes, supra vires suas esse tyranni potentiam, aduentum præsentiamque ipsius Regis exorant, clamantes ad Deum:* Emitte lucem tuam & veritatem tuam. *Et iterum:* Inclina cælos tuos & descende. *Et rursum*: Exsurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. *Adfuit ergo* IESVS CRISTVS *Filius* DEI, *& in quo lex infir-*

Margin notes: Necessitas Incarnationis. — Lib. 5. in ep. ad Rom. ca. 5. — Regnum mortis & peccati tyrannicum. — Peccatum ad omnes pertransijt, sed non in omnibus regnauit. — Psal. 42. v. 3 — Psal. 143. v. 5. — Psal. 43. v. 26.

*infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, & mundum quidem reconciliauit Deo, exuit autem principatus & potestates tyranni, triumphans eas in semet ipso.* Sic ibi.

Eundem incarnationis finem breuiter & pulchrè attingit homilia 9. in caput 16. Leuitici, agens de habitu Pontificis ingressuri in sanctuarium, ad illa verba: *Tunica linea sanctificata induetur.* Vbi sic scribit: *Linum de terra oritur. Tunica ergo sanctificata linea induitur verus Pontifex Christus, cùm naturam terreni corporis sumit. De corpore enim dicitur: quia terra sit, & in terram ibit. Volens ergo Dominus & Saluator meus hoc quod in terram ierat, suscitare, terrenum suscepit corpus, vt id eleuatum de terra portaret ad cælum*, &c. Porrò factam esse incarnationem in fine sæculorum indicat homilia 7. in cap. 15. Exodi, *Nos autem*, inquit, *quibus in fine sæculi vel ad vesperam mundi Verbum caro factum est, in illa carne agnosci dicimus Deum, quam suscepit de Virgine. Istas enim verbi Dei carnes neque mane aliquis, neque meridie manducauit, sed ad vesperam. Aduentus enim Domini in carne ad vesperam factus est: sicut & Ioannes dicit. Filioli, nouissima hora est*, &c.

Leuitici. 16. 4.

§. 4. Tempus Incarnationis.

1. Ioannis 2. v. 18.

Iam autem in libro 2. de principijs cap. 6. quàm bene istius mysterij excellentiam ac mirabilitatem effert! quàm modestè illa quæ producit, suspicari se potiùs quàm affirmare præmittit! quàm distinctè illam in hac duarum naturarum coniunctione idiomatum communicationem Theologis hodie nominatissimam explicat! quàm egregia similitudine illam de libero animæ Christi arbitrio cum impeccabilitate connexo difficultatem intricatissimam euoluit ac manifestat? Si cui placet & satis est, è limbo, quod aiunt, totum pannum cognoscere, paucula è multis conspicanda hîc dabo. Sic igitur de admirabilitate: *Verùm ex omnibus de eo miraculis & magnificētijs illud penitus admirationē humanæ mentis excedit: nec inuenit mortalis intelligentiæ fragilitas, quomodo sentire vel intelligere possit, quòd tanta illa potentia diuinæ maiestatis, ipsum illud Verbum Patris, atque ipsa Sapientia Dei, in qua creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, intra circumscriptionem eius hominis, qui in Iudæa apparuit, fuisse credenda sit*, &c.

§. 5. Admirabilitas eiusdem.

Et infrà: *Cùm ergo quædam in eo ita videamus humana, vt nihil à communi, id est, mortalium fragilitate distare videantur: quædam ita diuina, vt nulli alij nisi illi primæ & ineffabili Deitati habere in se conueniat; humani intellectus angustia tantæ admirationis stupore percussa, quo declinet, & quò se conuertat, non habet. Si Deum sentiat, Mortalem videt: si hominem putet, deuicto mortis imperio cum spolijs redeuntem à mortuis cernit. Propter quod cum omni metu & reuerentia contemplandum est, vt in vno eodemque ita vtriusque naturæ veritas demōstretur; vt neque aliquid indignum & indecens in diuina illa & ineffabili substantia sentiatur; neque rursus quæ in hac gesta sunt, falsis illusa imaginibus existimentur. Quæ quidem*

Naturarum diuinæ & humanæ in vna persona coniunctio.

*in aures humanas proferre, & sermonibus explicare longè vires vel meriti nostri, vel ingenij ac sermonis excedit. Arbitror autem, quod & sanctorum Apostolorum supergrediatur mensuram: quin immo etiam fortassis totius creaturæ cælestium Virtutum intelligentiâ eminentior sit sacramenti istius explanatio. De quo nos non temeritate aliqua, sed sicut ordo loci deposcit, & magis quæ fides nostra continet, quàm quæ humanæ rationis assertio vindicare solet, quàm paucissimis proferimus, suspiciones nostras potius, quàm manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes*, &c.

Quàm modestè autem ista, & quàm alieno ab hæreticorum moribus ingenio dicta sint, annotent, & meminerint Origenis aduersarij. De communicatione autem idiomatum inter duas naturas, hoc est, quomodo quæ per se vni naturæ conueniunt, eadem alteri propter intimam & ineffabilem copulam attribuantur, sic docet: §. 6.

*Vnde & meritò*, inquit, *anima rationalis propterea quòd vel tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea quam assumpserat carne, Dei Filius, & Dei virtus, & Dei sapientia appellatur: & vicissim Dei Filius, per quem omnia creata sunt,* IESVS CHRISTVS *& Filius hominis nominatur. Nam & Filius Dei mortuus esse dicitur, pro ea scilicet natura, quæ mortem vtique recipere poterat: & Filius hominis appellatur, qui venturus in Dei Patris gloria cum sanctis Angelis prædicatur. Et hac caussa per omnem Scripturam tam diuina natura humanis vocabulis appellatur, quàm humana natura diuinæ nuncupationis insignibus decoratur. Magis enim de hoc, quàm de vllo alio dici potest, quod scriptum est:* Erunt duo in carne vna. *Et:* Iam non sunt duo, sed vna caro. *Magis enim Verbum Dei cum anima in carne vna esse, quàm virum cum vxore putandum est.* Ita ille.

*Communicatio idiomatum in Christo.*

*Gen. 2. v. 24.*
*Ephes. 5. v. 31.*

Postremò illam difficultatem de Christi anima, quòd & libero prædita arbitrio fuerit, & tamen peccare non potuerit, hac illustrauit præclara similitudine: *Ad pleniorem*, inquit, *rei explanationem, non videtur absurdum, si etiam aliqua similitudine vtamur, licet in re tam ardua, támque difficili, ne exemplis quidem vtendi commodus copia est: tamen vt absque aliquo præiudicio dicamus, ferri metallum capax est frigoris & caloris: si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neque ignis ab ea vnquam cesset, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc ferri massam in igne positam, & indesinenter ardentem, posse frigus aliquando recipere. Quin immo (quod verius est) magis eam, sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicemus: quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur: sed & si quis contingere atque tractare tentauerit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc igitur modo & ea anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in Sapientia, semper in Deo posita est; omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est: & ideo nec conuertibilis,*

*Anima Christi quomodo libera sit & impeccabilis.*

*nec mutabilis dici potest, quæ inconuertibilitatem ex Verbi Dei vnitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes denique Sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est peruenisse: sed in hac anima ipse ignis diuinus substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros aliquis calor aduenerit*, &c.

§. 7. Sic Origenes.

*Humilitas ac modestia Origenis.* Hæc autem & alia cùm planè diuinitus de tanto mysterio dixerit, tamen non patitur solùm, vt hæc relinquantur, repertis melioribus; sed etiam monet; hortaturque, vt alia recipiantur, his verbis: *Hæc interim*, inquit, *nobis ad præsens de rebus tam difficilibus, id est, de Incarnatione & de Deitate Christi disputantibus occurrere potuerunt: si quis autem melius quippiam poterit inuenire, & euidentioribus de Scripturis Sanctis assertionibus confirmare quæ dicit, illa potius quàm hæc recipiantur.* Sic ibi.

§. 8. Documentum aliud Origenis de Incarnatione est, non futuram fuisse Incarnationem, si homo non peccâsset. Id docet obiter homilia 24. in *Hom. 24. in Numeros.* Numeros, vbi de varijs agens hostijs: *Donec*, inquit, *sunt peccata, necesse est requiri & hostias pro peccatis. Nam fac, verbi gratia, non fuisse peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum iugulari: sed mansisset hoc, quod in principio erat Deus Verbum: sed quoniam introijt peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit prouideri hostiam pro peccato.* Et infrà de huius Agni præ omnibus & pro omnibus hostijs sufficientia atque dignitate sic ait. *Sed & in his omnibus*, inquit, *vnus est agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatũ: & ideo cessauerunt ceteræ hostiæ: quia talis fuit hæc hostia, vt vna sola sufficeret pro totius mundi salute. Ceteri enim precibus peccata, hic solus potestate dimi-* *Matthæi 9. vers. 2.* *sit. Dicebat enim: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.* Sic ibi.

Suam verò de incarnatione fidẽ, deque omnibus quæ ad illã pertinent, vt quod S. Ioannes in vtero S. Elisabethæ propter Christi aduentum, quem ad beatissimæ Virginis Mariæ præsentiam persentiebat, gaudio exsiluerit, & alia eiusmodi, suam fidem, inquam, de ijs quæ Christo infanti, puero, iuueni acciderunt, non sine pio ac feruido affectu declarauit, cùm homilia in Lucam septima, contra illos qui infantilia Christi irrident, & diuina eius non credunt, dixit: *Vtinam mihi eueniat, vt ab infidelibus stultus dicar, qui talibus credidi. Ipsum opus ostendit & veritas, non me stultitiæ, sed sapientiæ credidisse: & hoc quod stultum apud illos putatur, mihi salutis occasio fit. Nisi enim fuisset cælestis & beata natiuitas Saluatoris, nisi habuisset diuini aliquid, & humanitatem hominum supergrediens, nunquam totum orbem illius doctrina penetrasset. Si tantùm homo fuisset in Maria vtero, & non Dei Filius, quomodo poterat fieri, vt et illo tempore, et nunc etiã non modò corporum, sed etiam animarum morbi multiplices curarentur? Quis nostrûm non insipiens fuit, qui nunc propter misericordiam Dei habemus intelligentiam, et sitimus Deum? Quis nostrûm non incredulus iustitiæ, qui nunc propter*

*propter Christum iustitiam habemus, sequimurque iustitiam? Quis nostrum non errabundus & vagus? qui nunc propter aduentum Saluatoris non fluctuamus, neque turbamur, sed sumus in via: in illo videlicet qui ait:* Ego sum via. *Possumus & reliqua congregantes videre, quoniam omnia quæ scripta sunt de eo, diuina admiratione digna referuntur: quòd & natiuitas illius, & nutrimenta, & virtus, & Passio, & Resurrectio non solùm illo tempore, sed etiam nunc operentur in nobis.* Sic ibi. Ioan. 14. v. 6.

§. 9.

Tali quoque affectu Domini Iesu natiuitatem aduersus Valentinianos defendit homilia 1. in Ezechielem, quem dicit typum fuisse Christi. Hæc sunt eius verba ad illud: *Et aperti sunt cæli: Secus fluuium Chobar*, inquit, *Ezechiel cùm triginta esset annorum, apertos vidit cælos. Et Dominus Iesus Christus incipiens erat quasi triginta annorum secus fluuium Iordanem, & aperti sunt cæli. Et per omnem hanc prophetiam Ezechieli dicitur:* Fili hominis. *Quis autem Filius hominis, vt Dominus meus Iesus Christus? Respondeant mihi hæretici, qui natiuitatem illius vt phantasma eludunt, quare Christus Filius hominis appellatur? Ego affirmo Filium hominis eum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse est vt ante passionem susceperit natiuitatem. Non enim potuit humanos affectus, verba, mores, crucem, mortem recipere, si non reciperet humanitatis exordium. Et consequens erat natiuitatem eius auferentes, auferre etiam passionem, et simpliciter dicere: Non est crucifixus Iesus. Nunc verò crucem confiteris, & non erubescis: Iudæis scandalum prædicas crucifixum, & Gentibus stultitiam: & minus scandalum passione vel morte erubescis natiuitatem eius confiteri?* &c. Ezechiel typus Christi. A nativ. Iesu.

Denique Christũ Dei Filiũ omnia pro nobis factum esse docuit hom. 2. in Canticum canticorum, his verbis: *Oportebat*, inquit, *vt quia omnes gentes in stillam situlæ reputatæ sunt, is qui pro omnium salute factus est omnia, etiam stilla fieret, ad illas liberandas. Quid enim pro salute nostra factus non est? Nos inanes eramus: & ille exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Nos populus stultus & insipiens: & ille factus est stultitia prædicationis, vt stultum Dei sapientius fieret hominibus. Nos infirmi: & ille infirmus, vt infirmum Dei fortius esset hominibus. Quia igitur vniuersæ gentes, vt stilla situlæ, vt momentum stateræ reputatæ sunt, idcirco factus est stilla, vt per eum à vestimentis nostris odor stillæ procederet iuxta illud: Myrrha & stilla & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te Filiæ Regum in honore tuo.* Sic ibi. Hom. 2. in Canticum canticorum. Exinanitio Christi. Esaiæ 40. v. 25. Psal. 44. v. 8.

Sed de Incarnationis mysterio, & de tota Domini IESV CHRISTI in hoc mundo œconomia hîc satis: plura si quis velit, suadeo vt aureos Origenis libros *Contra Celsum Philosophum* inscriptos adeat, ibique spiritum atque zelum hominis Christiani pro Christo suo aduersus hostes eius agnoscat, atque imbibat. Nunc autem postquam diximus, quid hominibus secunda sanctissimæ Trinitatis persona propriè præstiterit, non solùm ad humanam naturam descendendo, sed etiam se illi intimè & inseparabiliter coniungen-

iungendo: dicamus & de Spiritu sancto, quid propriè iisdem hominibus præstiterit, hodieque præstet.

# CAPVT III.

## *SPIRITVS SANCTVS, EIVSQVE propria in homines operatio.*

§ 1. QVEMADMODVM *productio* generatim sumpta attribuitur Patri, tanquam primo omnium fonti, non modò rerum creatarum & temporalium, sed etiam diuinarum & æternarum; & sicut *redemptio* ob Incarnationem & Passionem ac Resurrectionem additur Filio? ita *Sanctificatio* ob donorum gratiæ collationem assignatur Spiritui sancto. Hanc igitur illi assignat & Origenes libro primo De principijs, cap 3 vbi etiam dicit Spiritum sanctum solis Sanctis præstari, quod intelligendum est tam de ijs qui sanctificantur, quàm qui iam sanctificati, ampliore sanctimonia cumulantur, vt ex eodē patet cap. Quæ collatio sanctitatis cùm videatur inter omnia eminere diuinarū personarum opera; ne quis inde fortassis Spiritum sanctū alijs præferri personis suspicaretur hac, vsus est occupationis figura: Sanè, inquit, *ne quis existimet nos ex eo quod diximus Spiritum sanctum solis sanctis præstari, Patris verò & Filij beneficia vel* * *inuperationes peruenire ad bonos & malos, iustos & iniustos, prætulisse per hoc Patri & Filio Spiritum sanctum, vel maiorem eius per hoc asserere dignitatem. Quod vtique valde inconsequens est. Proprietatem namq; gratiæ eius operisque descripsimus. Porrò autem nihil in Trinitate maius minúsue dicendum est, cùm vnius diuinitatis fons Verbo ac Ratione sua teneat vniuersa, Spiritu verò oris sui, quæ digna sunt sanctificatione, sanctificet.* Sic ibi.

*Sanctificatio attribuitur Spiritui sancto.*

* ἐνεργείας.

Iam cùm satis constet tùm ex his, tùm ex illis quæ paullò antè super sanctissimæ Trinitatis mysterio allata sunt, quàm rectè Origenes de persona Spiritus sancti senserit ac scripserit; nunc aliqua de eiusdem diuinę personæ effectis atque donis salubria ad mores documenta proferemus.

§. 2. Primò igitur in Homilia 7. super Numeros, ad locum de septuaginta Senioribus à Moyse electis, super quos requieuisse Spiritus dicitur, nonnulla egregiè explicat: atque in primis quo pacto dici possit Dominus abstulisse de Spiritu qui erat in Moyse, & dedisse septuaginta viris: deinde qui sint potissimè, ad quos Spiritus sanctus accedat, à quibus discedat, in quibus requiescat, & quàm peculiariter in Christo maneat.

*De Septuaginta Senioribus à Moyse electis.*

Verba Origenis.

Numer. 11.v 25. *Quod dixit Deus, quia assumens de spiritu Moysi dedit septuaginta senioribus spiritum, non ita intelligas, quasi materialem aliquam, corpoream q; substantiam*

Documentum 1.

*ſtantiam auferens Deus à Moyſe, in ſeptuaginta ſecuerit portiones, & ita vnicuique Seniorum exiguam particulã dederit (impiũ eſt ita intelligere naturam Spiritus ſancti) ſed hoc modo figurã myſtici huius ſermonis aduerte, quaſi Moyſes & Spiritus qui erat in Moyſe, clariſſimi cuiuſdã luminis lucerna fuerit, ex qua alias ſeptuaginta lucernas accẽderit Deus: ad quas ita principalis illius luminis ſplendor peruenerit, vt origo ipſa luminis nihil damni ex commercio deriuationis acceperit. Et hoc modò piè intelligitur quod ſcriptum eſt: quia abſtulit Dominus de Spiritu Moyſis, & dedit ſeptuaginta ſenioribus.*

Hanc Origenis explicationem & ſimilitudinem probarunt & ſecuti ſunt antiqui SS. Patres. Pergit inde conſequenter idẽ Origenes exponere, in quibus requieſcat, & à quibus recedat Spiritus ſanctus, & dicit: *Sed videamus, quid ſit quod ait in conſequentibus* (& requieuit ſuper eos Spiritus, & prophetarunt omnes) *Requieſcere Spiritũ non in quibuſcunque hominibus legimus, ſed in ſanctis & beatis. Requieſcit enim Spiritus Dei in ijs, qui mundo ſunt corde, & in ijs, qui purificant animas ſuas à peccato: ſicut è contrario non inhabitat in corpore ſubdito peccatis, etiamſi habitarit aliquando in eo. Non enim poteſt Spiritus ſanctus conſortiũ pati & ſocietatem ſpiritus mali. Certum eſt enim peccati tẽpore adeſſe in corde vniuſcuiuſque ſpiritum malũ, & agere partes ſuas: cui vtique cùm locus datur, & recipitur à nobis per cogitationes malas & concupiſcẽtias peſſimas, contriſtatus, & (vt ita dicã) coanguſtatus, fugatur de nobis Spiritus ſanctus. Propter quod & Apoſtolus ſciens hæc ita accidere, monebat dicẽs:* Nolite contriſtare Spiritum ſanctũ, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. *Igitur peccãtes contriſtamus Spiritum ſanctũ: iuſtè verò agentes & ſanctè, requiẽ paramus in nobis. Vnde & quod nunc ait de ſeptuaginta presbyteris, quòd requierit in eis ſpiritus, laudẽ vitæ eorum & virtutes expoſuit. Denique quia pro puritate cordis eorũ, & ſinceritate mẽtis, atque intelligentiæ capacitate requieuit in eis Spiritus ſanctus, continuò & operatur in eis, nec otiũ patitur, vbi operãdi materia digna ſuppetit: Ait enim Scriptura:* Et requieuit in eis Spiritus, & prophetauerunt *In omnibus ergo qui prophetauerunt, requieuit Spiritus ſanctus, nec tamen in aliquo ipſorum ita requieuit, ſicut in Saluatore. Propter quod, et ſcriptũ eſt de eo:* Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientię & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.

*Sed fortaſſe dicet aliquis: Nihil amplius oſtendiſti ſcriptum de Chriſto, quàm de reliquis hominibus. Sicut enim de ceteris dictum eſt, quia requieuit ſuper eos, ita & de Saluatore dictum eſt:* Requieſcet ſuper eum Spiritus Dei. * *Sed vide, quòd ſupra nullum alium Spiritus requieuiſſe ſeptemplici hac virtute deſcribitur: per quod ſine dubio ipſa illa diuini Spiritus ſubſtantia (quæ quia vno nomine non poterat, diuerſis vocabulis explicatur) requieſſe ſuper virgam, quæ de ſtirpe Ieſſe procederet, prophetatur. Habeo & aliud teſtimonium, quo docere poſſum in Domino & Saluatore meo Spiritum*

§. 2.

Spiritus Dei in quibus requieſcat.

Epheſ. 4. v. 30.

Qui Spiritũ ſanctum contriſtent.

Eſaiæ 11. v. 1.

Occupatio.

* Reſponſio.

*sanctum eximio quodam genere, & longè aliter requieuisse, quàm refertur in*
Ioan. 10. *ceteris. Dicit enim Ioannes Baptista de eo:* Qui misit me baptizare in aqua,
v. 33. ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem in eo, ipse est. *Si dixisset Spiritum descendentem, & non addidisset,* manentē in eo, *nihil præcipuum præ ceteris habere videretur: nunc autem addidit:* & manentem in eo, *vt esset hoc signum in Saluatore, quod in nullo alio posset ostendi. De nullo enim scriptum est, quia manserit in eo Spiritus sanctus. Et ne*
§ 4. *quis me putet derogare Prophetis, sciunt ipsi quod eis non derogo præferens*
Amor Iesu in Origene. *eis Dominum meum Iesum Christum. Recolunt enim singuli dicta sua, & inueniunt, quod de nullo alio dictum est:* quia peccatum non fecit: nec inuentus est dolus in ore eius. *Quia enim solus est sine peccato is, qui peccatum non fecit, idcirco in ipso solo mansit & permansit Spiritus.*
I. Petri 2. v. 22.

Et post alia nonnulla, quibus ostendit prophetas omnes peccasse, ac proinde in nullo eorum dici mansisse Spiritum, tandem ita concludit: *Sed in hæc per excessum quendam incurrimus, dum ostendere voluimus super solum Dominum & Saluatorem meum Iesum mansisse semper Spiritum Dei: in ceteris autem omnibus sanctis, sicut & in septuaginta senioribus (à quibus sermonis huius processit exordium) requieuisse tantum Spiritum Dei, & operatum esse in tempore eo, quo expediebat ijs per quos operabatur, & vtile erat ijs quibus ministrabatur.*

Hæc ibi Origenes, non sine solita Domini sui IESV mellea appellatione. Verùm quò me studiū breuitatis abstulit? Nam fere præterij, quod hoc ipso loco habetur sanè egregium, nempe de Spiritu sancto puritatis & castimoniæ perquàm amantissimo, & de Origenis pudicissimi circa hoc agnoscendum sagacitate, vt & ille non modò quamlibet impudicitiæ labem, sed etiam quantulæcumque vmbram labeculæ auersetur ac refugiat: & hic pro excellenti eius virtutis studio id acutè subodoratus sit. Hæc sunt igitur quæ de hac re, sed cum assueta sibi modestia ac verecundia in medio posuit:

§. 5. Verba Origenis.

Quantam puritatē exigat Spiritus sancti aduētus. *Ego autem,* inquit, *(licet non vsquequaque pronuntiem) puto tamen, quòd sint nonnulla etiam vulgarium hominum opera, quæ quamuis peccato careant, non tamen digna videantur, quibus interesse putemus Spiritum sanctum. Vt (quod Verbi gratia dixerim) connubia legitima carent etiam peccato, nec tamen, tempore illo, quo actus coniugales geruntur, præsentia sancti Spiritus dabitur, etiamsi propheta esse videatur, qui officijs generationis obsequitur.* Ista sunt Origenis, quæ à Paulli spiritu haud videntur aliena: quippe in eo quod de debito loquens coniugij, & illud alteri ab altero vicissim ac peræquè red-
1. ad Cor. 7. v. 5. di suadens, exceptionem hanc adiecit in fauorem precationum: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* hoc est, vt
Lucæ 11. v. 13. oretis Patrem, *qui dabit Spiritum bonum petentibus se.* Non absimilem locum de speciali requisitione Spiritus sancti super Iesū præ omnibus Prophetis pari cum pietatis sensu inducit idē Origenes hom. 3. in Esaiam his verbis:

*Spiri-*

*Spiritus, inquit, sapientiæ non requieuit in Moyse, Spiritus sapientiæ non requieuit in Iesu Naue, Spiritus sapientiæ non requieuit in singulis Prophetarum; in Esaia, in Ieremia. Ne vero quasi blasphemantem me lapidetis, dū volo glorificare Dominūmeū* IESVM CHRISTVM: *sed sustinentes considerate quod dicitur, & videbitis quòd in nullo eorum requieuerit Spiritus, non quòd ad nullum eorum venerit, sed quòd in nullo eorum requieuerit.* Deinde probat è vetere testamento omnes Prophetas aliquādo peccasse, tum addit & è nouo: *Possumus* inquit *& de Euangelio probare, quod venit Spiritus super multos, & non mansit in eis,* &c. Vnde patet hoc loco eum accipere vocem *requiescere*, pro *manere & permanere.* Quod istis solis competit, qui non peccant: proptereaque adiecit: *Putásne præsente Spiritu peccare conceditur?* Aliud documentum de Spiritu sancto est: quòd qui eum recipiunt, non omnes æqualiter recipiant, nec illi quidem qui eo pleni dicuntur, æqualiter pleni sint.

Hom. 3. in Esaiam.

Pietas in Iesum.

2. Documentum.

Quod documentum sic deducit homilia 29 in Lucam initio: *Quando legis in euangelio, inquit, Iesus autem plenus spiritu reuersus est; & in actis Apostolorum, quòd ipsi repleti fuerint Spiritu sancto; vide ne æquales putes esse Apostolos Saluatori: sed & Iesum & Apostolos & alium quemlibet sanctorum plenos Spiritu sancto, cognosce secundùm mensuram vasculi sui: & quo modo, Verbi gratia, hæc vasa plena sunt vino, vel oleo, non statim iudicas, quòd æquali mensura plena sint: siquidem aliud sextarium capere potest, aliud vrnam, aliud amphoram: eodem modo & Iesus, & Paullus pleni erant Spiritu sancto, sed vas Paulli multo minus erat vase Iesu, & tamen vtrumque erat secundùm mensuram suam completum.*

Hom. 29. in Lucam.

Pleni spiritu S. non æquali omnes mensura pleni sunt.

Tertium documentum est, Spiritum sanctum etiam ab ijs qui illum habent, interdum per verba sacra cum alijs communicari. Hoc docet Origenes libro 6. in epistolam ad Romanos sub finem, vbi post aliorum modorum, quibus confertur Spiritus sanctus, recensionem, sic ait: *Est & ille alius modus, vt cùm Saluator post Resurrectionem cum Cleopha & altero Discipulo iter agens, & aperiens eis Scripturas, afflauit eos spiritu oris sui, ita vt illi dicerent:* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? *Vis autē scire, inquit, quòd non solùm Iesus loquens tradidit audientibus Spiritum suum, sed & qui nomine eius loquitur Verbū Dei, tradit audientibus Spiritum Dei? In Actibus Apostolorum habetur, quomodo loquente Petro ad Cornelium, repletus est Spiritu sancto ipse Cornelius, & qui cum eo erant. Vnde & tu si loqueris Verbum Dei, & loquaris fideliter ex conscientia pura, nec ipse redarguaris verbis tuis, quasi qui aliter doceas, & aliter agas, potest fieri, vt loquente te auditorum corda Spiritus sancti ignis inflammet, & continuò cōualescant, & ardeant ad cōplenda vniuersa que doces, & rebus impleāt quæ sermonibus didicerint, & quæ sursum sunt sapiant, non quæ super terram.* Hæc ibi, & his conformia sunt, quæ habet in Cōmentario Cantici canticorum, hom. 4. initio, vbi docet eos, qui

3. Documentum. Spiritus S. ab eo qui ipsū possidet interdū communicatur alijs.

§. 6. Luca 14. v. 32.

Act. 10. v. 44.

Spirituales columbis sūt similes. Spiritum sanctum recipiunt, in eo fieri columbæ similes, quòd à terrenis ad cælestia euolent. *Puto*, inquit, *quòd sicut qui mortem Christi recipiunt, & mortificant membra sua super terram, consortes efficiuntur similitudinis mortis eius: ita & hi qui virtutem Spiritus sancti recipiunt, & ex eo sanctificantur, quia ipse in specie columbæ apparuit, etiam ipsi columbæ fiant, vt de terrenis & corporeis locis euolent ad cælestia, pennis sancti Spiritus subleuati.* Vide ibi plura.

4 documentum. Quartum documentum est, ostendere quo pacto anima nunc carnalis fiat, nunc spiritualis, immo & vnus cum Dei Spiritu spiritus. Id ostendit libro primo in epistolam ad Romanos sub finem.

*Frequenter*, inquit, *in Scripturis inuenimus, & à nobis sæpe dissertum est, quòd homo spiritus & corpus & anima esse dicatur: verùm cùm dicitur,* Homo constat spiritu, anima et corpore. *quòd caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, media procul dubio ponitur anima, quæ vel desiderijs spiritus acquiescat, vel ad carnis concupiscentias inclinetur: & siquidem se iunxerit carni, vnum cum ea corpus in libidine & concupiscentijs eius efficitur: si verò se sociauerit spiritui, vnus cum eo spiritus est. Idcirco denique de his quorum animæ ex*
Gen. 6. *integro se cum carne iunxerint, dicit Dominus in Scripturis*: Iam non per-
v. 3. manebit Spiritus meus in hominibus istis: quia caro sunt. *De his autem,*
Rom. 8. *quorum anima fuerat spiritui sociata, Apostolus dicit*: Vos autem non
v. 9. estis in carne, sed in spiritu. *Sunt præterea* (*sicut in multis Scripturæ locis inuenimus*) *vtriusque partis vel vtriusque vitæ fautores quidam & adiutores Angeli.*

*Nam carnis concupiscentiæ aduersus spiritum fauet Diabolus & angeli eius, & omnes spirituales nequitiæ in cælestibus, cunctique aduersus quos hominibus luctamen est, principatus & potestates, & mundi huius rectores tenebrarum: è contrario verò spiritui aduersus carnem decertanti, animamque humanam, quæ media est, ad se reuocare conanti fauent illi omnes bo-*
Matthæi *minum Angeli, de quibus ait Dominus*: quia Angeli eorum semper vident
18 v. 10. faciem Patris mei qui in cælis est, *& de quibus Apostolus ad Hebræos ait:*
Hebr. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter
v. 14. eos qui hereditatem capient salutis? *Fauet & ipse Dominus, qui etiam*
§. 7. *animam suam ponit pro ouibus suis. Sed ex vtraque parte fauoris disciplina seruatur. Non enim vi res agitur, neque necessitate in alte-*
Arbitrij Libertas. *ram partem anima declinatur: alioquin nec culpa eius, nec virtus illi posset adscribi: nec boni electio præmium, nec mali declinatio supplicium mereretur: sed seruatur ei in omnibus libertas arbitrij, vt in quodcumque voluerit, ipsa declinet, sicut scriptum est*: Ecce posui ante faciem
Eccl. 15. v. 18. tuam vitam & mortem, ignem & aquam. *Vita ergo Christus est, mors nouissimus inimicus, qui est Diabolus. Habet ergo in arbitrio suo anima, si velit eligere vitam Christum, aut si velit in mortem ad Diabolum declinare.*

*Quod*

*Quod si agnoscens anima Deum Christum, vitam suam, amplexata non fuerit, nec sicut Deum magnificauerit, aut gratias egerit, sed euanuerit in cogitationibus suis, & mutauerit gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum, & his omnibus declinauerit ad carnem, & ad eos qui carnis desiderijs fauent; derelinquetur sine dubio, & deseretur ab eis qui eam fauore suo, vt iungeretur spiritui, animabant; & tradent eam desiderijs cordis sui, quibus carni sociatur & adhæret. Neque enim obsistentem eam ac reluctantem, ad ea quæ refugit ac respuit, reuocabunt.*

Post hæc addit idem Origenes longè pulcherrimam atque efficacissimam eius quod dixit similitudinem, his verbis: *Cuius rei imaginem, inquit, si adhuc videtur obscura, tali quadam specie manifestiorem planioremque reddemus. Ponamus esse aliquod domicilium, in quo cum corpore & spiritu velut cum duobus consiliarijs habitet anima: pro foribus autē huius domicilij adstare pietatem, omnesque cum ea virtutes: ex alia vero parte impietatem, omnesque voluptatum ac libidinum formas exspectare animæ nutum, quem ex duobus pro foribus obseruantibus introduci ad se desideret; quem repelli, nonne si spiritui obtemperans, & meliori vsa consiliario, pietatis ac pudicitiæ ad se conuocauerit chorum, ille alius spiritus repudiatus discedet? Si vero carnis abusa consiliarijs, ad se impietatis & libidinis introduxerit turmam, nonne omnis illa sanctitatis & pietatis corona, cui anima malum prætulit consiliarium, iusta cum indignatione recedet? & membrum Christi, & templum Spiritus sancti relinquens, tradet illam in desideria cordis sui, in immunditiam, vt contumelijs afficiat corpus suum in semetipsa, quæ commutauit veritatem Dei in mendacium; & introducens ad se impietatis & infidelitatis principem, coluit eum, & seruiuit creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.*

§. 8.

Similitudo pulcherrima.

Animæ consiliarij.

Ad Rom. 1. v. 24.

Hactenus verba Origenis meritissimò in illa ponderanda rei indignitate commorantis, qua nonnulli tam vecordes & insani reperiuntur, vt membra Christi & templum Spiritus sancti cùm esse possint, si spiritui obtemperent; malint tamen carni & pessimis eius consiliarijs vtentes, omnem virtutum chorum, vnà cum præstantissima Angelorum societate ac tutela, immo cum ipso DEO alioqui libenter in eis habitaturo deperdere, quàm friuolas à se delicias, inanesque voluptates propulsare.

Denique pro quinto & vltimo documento sit (nec enim plura perquiram) illa Origenis præclara verborum Paulli expositio in epistolam ad Romanos cap. 8. vbi dicit Apostolus: *Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Docet ergo Origenes, quomodo Spiritus sanctus infirmitatem nostram adiuuet, & precandi gemendique arte ad salutaria obtinenda nos instruat.

5. Documentum.

Roman. 8. v. 26.

Spiritus S. docet orandi modum.



Igitur

Origenis verba. *Igitur infirmitas nostra*, inquit, *ex carnis infirmitate descendit. Ipsa est enim, quæ concupiscit aduersus Spiritum, & dum concupiscentias suas ingerit, puritatem spiritus impedit, & sinceritatem orationis offuscat. Sed vbi viderit Spiritus Dei laborare spiritum hominis in aduersando carni, & adhærendo sibi, porrigit manum & adiuuat infirmitatem eius: & velut si magister suscipiens ad rudimenta discipulum ignorantem penitus litteras, vt eum docere possit & instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, & ipse priùs dicere nomen litteræ, vt respondendo discipulus discat, atque ita fit quodam modo magister incipienti discipulo similis, & loquens, & meditans, quæ incipiens loqui debeat & meditari: ita & Spiritus sanctus vbi oppugnationibus carnis perturbari spiritum nostrum viderit, & nescientem quid orare debeat, sicut oportet, ipse velut magister orationem præmittit, quam noster spiritus (si tamen discipulus esse Spiritus sancti desiderat) prosequatur, ipse gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, vt repropitiet sibi Deum. Si verò Spiritus quidem doceat, sed noster spiritus, id est, mens nostra non sequatur, ipsius vitio infructuosa fit magistri doctrina.* Sic ibi.

Similitudo egregia.

Paullo pòst autem indicat quædam magnifica insigniùs geri circa homines per Spiritum sanctum, qui non fuit incarnatus, quàm per Filium incarnatum. Quod ipsemet Filius, de missione Spiritus sancti cum discipulis suis agens, satis videtur innuisse, cùm dixit Ioannis 16. *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, &c. Et iterum: *Quum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Ioan. 16. v. 7.

Ibid. v. 13.

Verba porrò Origenis, quibus docet primò quæ à Deo postulanda sint, deinde quomodo illa per Spiritum sanctum præstentur insigniùs ac magnificentiùs, hæc sunt:

*Admonendi tamen sunt*, inquit, *qui prosperitatem sibi præsentis vitæ & sanitatem, vel diuitias, vel honores postulant à Deo, quia quid orent secundùm quod expedit, nesciunt. Sæpe enim fit, vt ad damnum animæ vel opprobrium eius sempiternum concedantur præsentia hæc lucra, & dignitas sæcularis. Et ideo illud magis tenendum est, quod in oratione docuit Dominus:* Fiat voluntas tua. *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundùm Deum postulat pro sanctis. Ostẽdit quidem Deum nõ tam verba nostra in oratione, quàm cor mentémque perpẽdere. Ipse enim est qui scrutatur corda & renes. Quod autẽ secundò dicit: quia Spiritus interpellat, hoc est quod edocet, non minimã dispensationẽ per Spiritum sanctũ in hominibus geri. Quamuis enim vnigenitus Filius Dei pro salute humani generis incarnatus & passus sit, & morte sua destruxerit mortem, & resurrectione reddiderit vitam, insigniùs tamen absque incarnatione magnifica geruntur etiam per Spiritum sanctum. Quia verò & ille pro impijs mortuus est (sic enim & ipse Paullus ostendit, cùm dicit:* Ad huc enim Christus cùm infirmi essemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est) *& Spiritus sanctus non iam*

Quænam à Deo petenda?

Matt. 6. v. 10.

Rom. 8. v. 27.

Rom. 5. v. 6.

*iam pro impijs interpellat, sed pro sanctis, & interpellat non secundùm carnem, sed secundùm Deum; Christus enim nō secundùm Deum mortuus dicitur, sed secundùm carnem: ideo non verbis offerre dicitur Spiritus interpellationem pro sanctis, sed gemitibus, & non communibus istis gemitibus, sed inenarrabilibus. Quomodo enim enarrari potest, quod Spiritus Dei loquitur Deo, cùm interdum nec ipse quidem noster spiritus, quod sentit & intelligit, sermone possit exponere?* Sic ibi.

Ex his autem licet intelligere perbonas & efficaces illas esse ad Deum precationes, quæ cum sanctis gemitibus fiant. Quod & hoc ipso loco Origenes paullo antè pluribus verbis declarauit, introducto per prosopopœiam ipso Paullo Christianos consolante: quæ verba Origenis vnà cum Paulli prosopopœia bonum & conducibile censeo hic adiungere. Sic igitur Origenes de Paullo. *Cùm in superioribus dixisset Paullus, quòd omnis creatura his, qui in agone huius vitæ sunt positi, congemisceret & condoleret, hoc est, collaboraret, viresque conferret; tum etiam seipsum Paullus ac sui similes proferre gemitus pro laborantibus memorasset, vt per hoc solaretur in certamine positos, cùm viderent omnes sanctos, vniuersamque creaturam affectu quodam secum labores gemitúsque coniungere; addit nunc excelsius aliquid & sublimius. Ne parum putetis*, inquit, *quòd omnis nobiscum congemiscit & condolet creatura; ne parum videatur, quòd nos ipsi gemimus pro laboribus vestris; etiam ipsi diuinæ naturæ erga agones nostros (vobiscum enim me quoque coniungo) inest quidam miserationis affectus. Ipse enim Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Denique quid orare, quid à Deo petere oporteat, ignoramus. Interdum enim quæ contraria sunt saluti, infirmitate cogente petimus. Sicut enim aliquis in ægritudine corporis positus non ea quæ sanitati conducunt, sed ea quæ præsens desiderium suggerit, poscit à medico: ita & nos in huius sæculi infirmitate, languentes interdum à Deo petimus quod non expedit nobis. Denique ipse ego Paullus, qui hæc loquor ad vos, cùm mihi propter sublimitatem reuelationum, ne extollerer, datus fuisset à Domino angelus satanæ, qui me colaphizaret, ter Dominum rogaui, vt discederet à me, nesciens quid orarem: & ideò quia nesciebam, secundùm quod oportet, orare, me audiuit Dominus, & dixit mihi*: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. *Si ergo* (inquit Origenes) *quid oremus secundùm quod oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, magnum nescio quid Paullus de gemitibus sentit. Ecce enim iam tertio gemitus ponit. Nam & creatura*, inquit, *ingemiscit & nos ipsi gemimus, & ipse Spiritus gemitibus interpellat Deum pro sanctis. Addidit autem de his gemitibus, quos per spiritum dicit Deo offerri, quòd sint nenarrabiles: hoc autem neque de totius creaturæ, neque de suis gemitibus dixit. Et vide, si possumus in istis gemitibus multum fiduciæ & libertatis in conspectu Dei intelligere, & quòd oratio quæ cum dolore & gemitu offertur Deo, accipiat fiduciam à Spiritu sancto ascendendi ad Deum.*

*Quæ sint optimæ precationes.*

§. 10.

*S. Paulli prosopopœia.*

*2. ad Corinthios 12. v. 9.*

*Nam Adam cùm peccasset, perdidit fiduciam, & abscõdit se à facie Dei: san-*
Psalmo 37. v. 10. *ctus autem Dauid dixit*: Quia gemitus meus à te non est absconditus.

Ista de Spiritu sancto eiusque effectis atque donis in præsenti sufficiant. Nunc autem postquam satis mõstratum est Origenem in duobus maximis mysterijs, nempe sanctissimæ Trinitatis & Verbi incarnati, nihil à sano ac sincero Ecclesiæ sensu dissensisse, immo cum ea potiùs optimè in omnibus concordasse; nunc ad tertium prægrande mysterium venerabilissimæ Eucharistiæ accedamus, veraque eius sensa ex ipsomet proferamus.

---

## CAPVT IIII.

### *SACROSANCTÆ EVCHARISTIÆ Et Verbi diuini comparatio, ac fructus eximij.*

DOCET Origenes pluribus in locis verè in hoc sanctissimo omnium Sacramẽto contineri verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: ac proinde magna cum pietate ac deuotione suscipiendum, manducandum, conseruandum.

§. 1. Primus locus habetur homilia 13. in Exodum, vbi dicit in audiendo & retinendo Verbo Dei imitandam esse curam, quæ in conseruando eius corpore adhibetur. Postquam igitur sacræ Scripturæ verba, quæ & ipsius Dei verba sunt, & vt ipse Deus suscipienda sunt, protulisset, explicassetque, ita
Hom. 13 in Exodum. subiecit: *Videte si concipitis, videte si tenetis, ne fortè effluant quæ dicuntur, & pereant: Volo vos admonere religionis vestræ exemplis nostris, qui diuinis mysterijs interesse consueuistis: quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, & ne ex eo paruum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis si quid inde per negligentiam decidat. Quòd si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & meritò vtimini: quomodo putatis minoris esse piaculi Verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius?* Sic ille.

Ex hac Origenis doctrina, vti & ex aliorum SS. PP. dictis colligitur, venerabilem IESV CHRISTI hostiam fidelibus non in ora, sed in manus à sacrificante primis sæculis porrigi solitam; ipsos autem summa cura curauisse, vt integram & immaculatam vsque ad sumptionem ipsam seu in templo, seu in ædibus suis conseruarent, nec quicquam decidere in terram sinerent. Qua ex re illorum opinio hæreticorum prorsus corruit, qui in solo vsu seu manducatione præsentiam Christi in hoc sacramento agnoscunt, remanere autem, dum asseruatur, negant.

§. 2. Secundus locus reperitur in homilia IX. in Leuiticum, sub finem, his
Hom 9. in Leuiticum. verbis: *Ritus quidem propitiationis pro hominibus, qui apud veteres fiebat*

ad

*ad Deum, qualiter celebraretur Scriptura edocuit: sed tu qui ad Christum venisti Pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te Patri, non hæreas in sanguine carnis, sed disce potiùs Sanguinem Verbi, & audi ipsum dicentem:* Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. *Nouit qui mysterijs imbutus est, & carnem & sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt.* Sic ibi.

Tertius locus exstat in homilia 13. in Leuiticum sub finem, vbi loquens de panibus propositionis, (quos mysticè dicit significare 1. Verbum Dei, siue sermonem sanctum & de rebus diuinis, 2. panem Eucharisticum: de quibus duobus frequenter agit) paullò post illa verba? *Et manducabunt in loco sancto*] sic inter alia. Locus ergo sanctus est anima pura: in quo loco edere nobis mandatur cibum Verbi Dei. Neque enim conuenit, vt, sancta verba anima non sancta suscipiat: sed cùm purificauerit se ab omni inquinamento carnis & morum, tunc locus sanctus effecta capiat panem illum, qui de cælo descendit. Nonne meliùs sic intelligitur locus sanctus, quàm si putemus structuram lapidum insensibilium, *locum sanctum* nominari? Vnde simili modo etiam tibi lex ista proponitur, vt, cùm acceperis panem mysticum, in loco mundo manduces eum, hoc est, ne anima contaminata & peccatis polluta Dominici corporis Sacramenta percipias. *Quicunque,* inquit, *manducauerit panem hunc, & calicem Domini biberit indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* [Sancta enim sanctorum sunt.] Vides, quomodo non dixit Sancta tantummodò, sed Sancta Sanctorum? vt si diceret, Cibus iste sanctus, non est communis omnium, nec cuiuscumque indigni, sed sanctorum est. Sic ibi Origenes.

§. 3. Hom. 13. in Leuiticum. Anima pura locus sanctus appellatur. Panis mysticus .1. Eucharistia. 1. Cor. 11. v. 27. Leuitici 10. v. 13.

Quartus locus est in homilia 7. in Numeros vbi de duabus figuris coniunctim agit, vna baptismi, altera Eucharistiæ, & dicit: *Antea in ænigmate fuit baptismus in nube & in mari: nunc autem in specie regeneratio est in aqua & Spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit: Quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ita illic.

§ 4. Hom. 7. in Numeros. Ioannis 6. v. 56.

Quintus locus est in homilia XI. in caput XVIII. Numerorum; vbi de primitijs agens sic refert: *Sed si Christus secundùm Apostolum est primitiæ, verè istæ primitiæ ad conseruandum datæ sunt nobis. Quid enim tam beatum, quàm vt anima, quæ suscepit Christum, semper eum conseruet, & semper habeat in se manentem? Et talis anima verè primitias suscipit ad conseruandum. Nam illæ primitiæ, quæ offerebantur in lege, consumebantur per cibos, & ingressæ in ventrem digerebantur (vt Euangelium dicit) in secessum: istas autem primitias qui manducauerit, & qui gustauerit panem qui de cælo descendit, non morietur, sed permanet in vitam æternam. Iste est enim panis, qui, cùm semper comedatur, semper permanet: immò semper*

Hom. 10. in cap. 18 Numer. Verbi diuini prædicatio, pastus spiritualis

per

*per augetur. Est ergo, sicut Apostolus dicit, spiritualis esca, quæ, quantò magis insumitur, tanto ampliùs crescit. Quanto enim Verbum Dei ampliùs sumpseris, tanto in te affluentiùs abundabit.* Hæc ibi.

Hom. 16. in cap. 17. Numer. Sextus locus exstat homilia 16. in caput 23. Numerorum, sub finem, ad illa verba: *Non dormiet, donec deuoret prædam, & vulneratorum sanguinem bibat* ] vbi ita Origenes: Hæc erant, *inquit*, quæ in euangelio audientes ij qui ex Iudæis Dominum sequebantur, scandalizati sunt & dixerunt;

Ioan. 6. v. 61 *Durus est hic sermo: & quis potest eum audire?* ac si dicerent: *Quis potest manducare carnem eius & sanguinem bibere?* Sed populus Christianus, Ibidem, v. 54. populus fidelis audit hæc, & amplectitur, & sequitur eum qui dicit: *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis ipsis. Quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Et vtique qui hæc dicebat, vulneratus est pro omnibus. Esaiæ 53. v. 5. *Ipse enim vulneratus est pro peccatis nostris.* Sicut Esaias dicit.

Hæc de venerabili Eucharistia: in qua prior modus & principalior bibendi sanguinem Christi describitur: cui & alterum modum subijcit his verbis: Bibere autem dicimur Sanguinem Christi, non solùm sacramentorum ritu, sed & cùm sermones eius recipimus, in quibus vita consistit, Ioan. 6. v. 64. sicut & ipse dicit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Est ergo ipse vulneratus, cuius nos sanguinem bibimus, id est doctrinæ eius verba suscipimus

Septimus locus, in quo duplici sensu explicat, quid sit comedere carnes agni, habetur homilia 23. in caput 28. Numerorum, his Verbis: *Quarto in loco*, inquit, *ponitur inter festiuitates Dei, Pascha solemnitas, in qua festiuitate Agnus occiditur. Sed vide tu Agnum verum, Agnum Dei, Agnum qui tollit peccatum mundi, & dicito: quia Pascha nostrum immolatus est Christus. Iudæi carnali sensu comedant carnes agni: nos autem comedamus carnem Verbi Dei. Ipse enim dixit: Nisi comederitis carnes meas, non habebitis vitam in vobis ipsis. Hoc quod modò loquimur, carnes sunt Verbi Dei, si tamen non quasi infirmis holera, aut quasi pueris lactis alimoniam proferamus; sed si perfecta loquimur, si robusta, si fortiora, carnes vobis Verbi Dei apponimus comedendas*, &c.

Iudæi carnaliter edũt agnum. Christiani Spiritualiter. Ioãnis 6. v. 54. Verbi diuini doctrina.

Hom. 6. ad cap. 5. Iudicum. Octauus locus in homilia 6. ad caput 5. Iudicum sic habet: Antequam bella discamus, *inquit*, antequam pugnas Domini parare meditemur, à principibus Angelis subleuamur: antequam panis cælestis consequamur annonam, & carnibus Agni immaculati satiemur, antequam veræ vitis, quæ ascendit de radice Dauid, sanguine inebriemur: donec paruuli sumus, & lacte alimur, & initiorum Christi sermonem tenemus; tanquam paruuli sub procuratoribus & actoribus Angelis agimus: vbi verò iam militiæ cælestis sacramenta gustauimus, & pane vitæ refecti sumus, audi quomodo per apostolicam tubam suscitamur ad prælia. Ingenti namque voce Paullus clamat ad nos, dicens: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis*

*ſtare aduerſus inſidias Diaboli*, &c. *Epheſ. 6. v. 11.*

Nonus locus ſumetur à tractatu 35. in Matthæum, & eſt talis: *Si potes*, inquit, *ſpiritualem menſam & cibum ſpiritualem, & dominicam intelligere cenam, quibus omnibus dignatus à Chriſto Iudas fuerat, abundantiùs videbis multitudinem malitiarum eius, quibus Magiſtrum cum cibo diuinæ menſæ* §. 5. *& calicis, & hoc in die paſchæ tradidit Saluatorem, non recordatus nec in corporalibus bonis Magiſtri dilectionem, nec in ſpiritualibus doctrinam eius ſine inuidia ſemper communicatam. Tales ſunt omnes in Eccleſia, qui inſidiantur fratribus ſuis, quibuſcum ad eandem menſam Corporis Chriſti, & ad eundem potum ſanguinis eius frequenter ſimul fuerint.* *Iudæ proditoris imitatores qui ſint.*

Et paullò pòſt: *Panis iſte, quem Deus Verbum corpus ſuum eſſe fatetur, Verbum eſt nutritorium animarum, Verbum de Deo, Verbo procedens*, & panis de pane cæleſti, qui poſitus eſt ſuper menſam, de qua ſcriptum eſt: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Et potus iſte quem Deus Verbum, ſanguinem ſuum fatetur, Verbum eſt potans & inebrians præclarè corda bibentium: qui eſt in poculo, de quo ſcriptum eſt; *Et poculum meum inebrians quàm præclarū eſt!* Et potus iſte eſt generatio vitis veræ quæ dicit: *Ego ſum vitis vera*. Et eſt ſanguis vuæ illius, quæ miſſa in torcular paſſionis protulit potum hunc. Sic & panis eſt Verbum Chriſti factum de tritico illo, quod cadens in terram bonam, multum reddidit fructum. *Sic ibi.* *Pſal. 22. v. 5.* *Ibidem.* *Ioan. 15. v. 1.*

*Et infrà ibidem*: Et ſemper IESVS, *inquit*, his, qui ſecum pariter agunt feſtiuitatem, accipiens panem, & Patri gratias agens frangit, & dat diſcipulis, ſecundùm quod vnuſquiſque eorum cupit accipere, & dat dicens: *Accipite, & manducate.* Et oſtendit, quando eos hoc pane nutrit, proprium eſſe corpus, cùm ſit ipſe Verbum, quod & nunc neceſſarium habemus, & cùm fuerit in regno Dei impletum. *Matthæi 26. v. 26.*

*Et paullo inferiùs*: Bibite: quia *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*, qui & bibitur, & effunditur: bibitur quidem à diſcipulis, effunditur autem in remiſſionem peccatorum commiſſorum ab ijs, à quibus bibitur & effunditur. Si autem quæris, quomodo etiam effunditur, diſcute cum hoc Verbo etiam quod ſcriptum eſt: Quoniam *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Si autem ſanguis teſtamenti effuſus eſt in corda noſtra; in remiſſionem peccatorum noſtrorum, effuſo eo potabili ſanguine in corda noſtra, remittuntur & delentur omnia quæ geſſimus antea peccata. Ipſe autem qui accepto calice dicit: *Bibite ex hoc omnes*: nobis bibentibus non diſcedit à nobis, ſed bibit eum nobiſcum, cùm ſit ipſe in ſingulis: quoniam non poſſumus ſoli & ſine ipſo vel manducare de pane illo, vel bibere de generatione illius vitis veræ. Nec mireris, quoniam & ipſe eſt panis, & manducat nobiſcum panem: & ipſe eſt potus generationis de vite, & eum bibit nobiſcum. Omnipotens eſt enim Verbum Dei, & diuerſis nuncupationibus appellatur, & innumerabilis eſt ipſe ſecundùm numerum virtutum, cùm *Matth. 26. v. 28.* *Rom. 5. v. 5.* *Matth. 26. v. 27.*

ipſe

ipse sit omnis virtus, tametsi vnus.

*Hæc ibi Origenes doctè & piè, tam de Christi in hoc sacramento præsentis & animas alentis veritate, quàm de fructu eius in remittendis peccatis, & diffundenda charitate. Cùm autem allati hactenus loci possent & deberent omnibus sufficere: tamen duos præterea adiungam omissis ceteris, sed admodum breues, è libris Contra Celsum.*

Decimus igitur locus è libro 8. contra Celsum sub medium accedet, vbi Origenes diuinam Eucharistiam disertè profitetur æternam esse eius, qui recipit, custodiam. Sic enim ait: *Non potest bono per accidens & aduentitio, bonum essentiale esse simile: quod recipientem (vt sic appellem) panem viuum ad sui custodiam, nunquam destituet: aut si quando destituet, illius culpa destituet, qui in sumendo pane viuo, & vero potu negligenter se habuerit.*

Hæc è græco verti (quandoquidem erat mihi ad manum) vti & sequentem locum, ea re potissimùm, quòd ex leuissimo Typographi errore, qui syllabam vnam pro altera edidit, quidam hæretici, nonnullum mouerunt aduersus Catholicos litigium.

Vndecimus denique locus è libro VIII. contra Celsum, ante medium, est talis:

*Ac propter talia quidem Celsus, tanquam ignorans Deum, sua charisteria, siue suas actiones gratiarum dæmonibus reddat: nos autem omnium conditori placere studentes, etiam panes cum actione gratiarum, & precibus, pro eis quæ donata sunt oblatos comedimus, factos per precem corpus sanctum, & sanctificans eos, qui cum sancto proposito vtuntur.* Sic ibi. Hic est proprius & clarus sensus verborum græcorum, quæ habentur in editione græca Dauidis Hoeschelij, pag. 411. fuit autē hæc prima omnium Græca editio.

At dicta hactenus satis superque sunt, ad ostendendum bene & conformiter toti Ecclesiæ catholicæ de hoc tanto mysterio scripsisse Origenem: nunc postquam de Deo & Christo eius, tam in se, quàm in venerabili Eucharistia egimus; proximum est, vt de naturis Deo proximis agamus: primò quidem de Angelis, deinde de animabus, & quæ de illis præclariora docuerit Origenes, consideremus.

---

# CAPVT V.

## ANGELI SANCTI.

§. 1. DE Angelis quædam certa sunt, quædam incerta: & ex incertis, quædam magis probabilia, quædam minùs. De prioribus ita breuiter Origenes in proœmio ad libros *De principijs*, sub fi-

1. Docum. nem: *Est etiam illud*, inquit, *in Ecclesiastica prædicatione, esse Ange-*

*Angelos Dei quosdam, & Virtutes bonas, quæ ei ministrent ad salutem hominum consummandam: sed quando isti creati sint, & quomodo sint, non satis manifestè distinguitur.* Sunt quidã boni Angeli.

Deinde libro 1. de iisdem Principijs, cap. 5. sub medium, docet Angelos omnes, tam bonos, quàm malos non esse substantialiter, seu ex natura sua tales, sed accidentaliter, creatosque cum libero arbitrio tam ad bonum, quàm ad malum: quod ni fuisset, non ipsis bonitatem aut malitiam fuisse attribuendam, sed Deo; qui solus ex se, & ex sua essentia ac natura bonus est. Cùm autem de malis Angelis, siue dæmonibus id disputasset, tum & de bonis simul adiecit, his verbis: 2. Docum. Inest illis libertas arbitrij.

*Quòd si de malis*, inquit, *contrarijsq; Virtutibus id intelligi videtur absurdum (sicut certè absurdum est) vt caussa malitiæ ipsarum remota ab arbitrij sui proposito, Conditori earum necessariò adscribatur; quomodo non etiam de bonis Sanctisque Virtutibus cogimur similia confiteri? id est, quia non substantiale sit in ipsis bonum, quod vtique in solo Christo & in Spiritu sancto euidenter esse ostendimus, vti sine dubio & in Patre. Non enim Trinitatis natura aliquid compositionis habere ostensa est: vt hæc ei consequenter videantur accidere.* Sic ibi. L. 1. De princ pijs, cap. 5. Sanctissima Trinitas asserta ab Origene.

His paria habet cap. sequenti, vbi de iisdem Angelis, sic ait:

*Non enim in his bonitas substantialiter inerat, sicut in Deo & in Christo eius, & in Spiritu sancto. In hac enim sola Trinitate (quæ est caussa omnium) bonitas substantialiter inest: ceteri vero accidentem eam & decidentem habent: & tunc sunt in beatitudine, cùm de sanctitate ac sapientia & ipsa diuinitate participant. &c.* L. 1. De princ pijs cap. 6. Sola Trinitas essentialiter est bona.

Angelos à Deo præfectos esse, non tantùm singulos singulis hominibus, sed etiam diuersis nationibus diuersos; quin & alios alijs rebus creatis, vt arboribus, fluuijs, & huiusmodi, docet homilia 23. in Iesum Naue, itidémque nomina illis non casu, sed diuina dispensatione dari iuxta ipsorum officia. §. 2. 3 Docum. Angeli præsunt creaturis inferioribus.

*Non ergo*, inquit, *fortuitò arbitrandum est per sortem venisse alicui Angelo illam gentem suscipere, verbi gratia, Ægyptiorum, alij autem Idumæorum, & alij Moabitarum, & alij Indiam, aut vnamquamque nationem earum, quæ sunt super terram, sed & ibi (etiamsi secundum numerum Angelorum Dei, dicantur sorte gentes esse diuisæ) tamen illa sors sicut in hominibus diximus, (quia Dei iudicium, quod in occulto est, sors pandit in publico) talis etiam ibi fuisse credenda est, quia & merito, & virtute sua, vnusquisque Angelus illam, vel illam gentem susceperit. Et quid dico de magnis & de generalibus rebus? cùm ne per singulos quidem nostrûm absque huiusmodi sorte, quæ Dei iudicio dispensatur, euenire dicendum sit, verbi caussa, vt aliquis nostrum talem, vel talem vitam statim à natiuitate sortiatur: vel certè illud (quod erga homines geri è Scripturis Sanctis sæpe docuimus) quòd & boni Angeli adsint hominibus, & contrarij. Quod non vtique fortuitò, & absque iudicio ille Angelus, alius animæ, verbi caussa, Petri custos esse sortitus sit,* Hom. 23. in Iesum Naue.

 *vel*

*vel alius Paulli, vel alius vnius infantis de Ecclesia, de quorum Angelis di-*
Matt. 18. v. 10. *cit Dominus*: quia semper videant faciem Patris sui, qui in cælis est. *De quibus vtique dubitandum non est, quin iudicio Dei, qui illorum dignitatem, vel nostræ animæ ad liquidum perspicit qualitatem, vniuscuiusque nostrûm custodiam sortiantur sorte quadam mysticâ, Christi dispensatione, directâ. Ego autem, quantum ad opinionem meam spectat, puto audenter dicendum, etiam de ijs Virtutibus, quæ mundi huius ministeria susceperunt, quòd non fortuitò, vel casu illa Virtus terræ vel arborũ germinationibus præsit, illa fontium ac fluminũ scaturigines sufficiat, ac sufficienter exhibeat; alia imbrium, alia ventorum: alia Virtus marinis, alia terrestribus animalibus, vel singulis quibusque è terra gignentibus præsit, & esse in his singulis sacramenta ineffabilia diuinæ dispensationis: vt ordine suo cuncta, & competenti per vnamquamque Virtutem dirigantur officio. Sic enim & Apostolus Paullus dicit:*
Hebr. 1. v. 14. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capient salutis? *Sic ibi. His similia sunt, quæ habet infrà eodem capite, cùm dicit:*

*Nominum appellationes in hominibus & Angelis, à Deo sunt.* Sic enim non est putandum, *inquit*, quòd fortuitò acciderit, verbi caussa, vt ille Angelus Michaël vocaretur, alius autem Gabriel, alius verò Raphaël: & vt ad humana descendam, sicut non fuit fortuitò, vt ille Patriarcha Abraham vocaretur, & ille Isaac, & alius Israël sed ne in feminis quidem casu accidit, vt illa Sara vocaretur ex Sarai, vel ille Israël ex Iacob, vel ille Abraham ex Abram: &, vt certum est, quòd vnusquisque vel Angelorum, vel hominum, ex ijs quæ sibi iniunguntur officijs & actibus, etiam nomina sortiantur: ita consequens est loca quædam esse cælestia & ciuitates, sicut Hierusalem cælestis dicitur & Sion: esse etiam & alias quarum typum &
§. 3. 4. Tocum. imaginem, istæ quæ in terris sunt, continent. *Sic ibi.*

*Angeli de hominum salute sunt solliciti.* *Angelos autem bonos de nostra esse salute sollicitos, & de pœnitentia peccatorum, ac de profectu in virtutibus, egregiè docet, & cum sensu pietatis, homilia 9. in caput 16. Leuitici, dum ita scribit*: Nec Angelorum ministeria ad huiusmodi officia desunt. Angeli enim Dei ascendunt & descendunt ad filium hominis, perquirunt & satagunt quid in vnoquoque nostrûm inueniant, quod offerant Deo, vident & perscrutantur vniuscuiusque nostrûm mentem, si habeat aliquid tale, si tam sanctum aliquid cogitet, quod Deo mereatur offerri. Intuentur & considerant, si quis nostrûm, ex his quæ dicuntur in Ecclesia, corde compungitur, & animum conuertit ad pœnitentiam: si his auditis corrigere cogitat vias suas, & obliuisci præterita ac præparare se ad futura, saltem secundùm Achab illum impijssimum, de quo dicit Dominus: Vidisti quomodo compunctum est cor Achab? Sed in his omnibus, quid de illis dicam, qui nec audiunt auribus hæc, nec corde recipiunt? Quæ in illis compunctionis spes? quæ conuersionis suspicio? quæ emendationis exspectatio? Si enim etiam de his qui audiunt dubitamus, quid speramus de his qui omnino non audiunt? &c.

Hom. 9 materi cap. 97. C. D.

*Cogitationes bonæ ab Angelis Deo offeruntur.*

*Item*

*Item homilia XI. in caput XVIII. Numerorum de auxilijs Angelorum in hominibus erudiendis, atque ad fidem conuertendis, ita scribit:* Igitur vnusquisque Angelorum in consummatione sæculi aderit in iudicio, adducens eos secum, quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem Patris, qui in cælis est. Et puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem, an culturæ hominum Angelus defuerit, sed, an culturæ Angelicæ nequaquam dignè segnities humana responderit. *Sic ibi. Et infrà:* Hom. 11. in Numeros. Angelorum auxilium in iudicio.

Consideremus, *inquit*, ne fortè, sicut in aliqua (verbi gratia) ciuitate, vbi nondum Christiani nati sunt, si accedat aliquis, & docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem, & ipse postmodum ijs, quos docuit, princeps & Episcopus fiat; ita etiam sancti Angeli eorum, quos è diuersis gentibus congregauerint, & labore suo ac ministerio proficere fecerint, ipsi eorum etiam in futuro principes fiant: vt Christus non tam Rex dicatur, quàm Rex Regum, & non tam Dominus, quàm Dominus Dominantium. *Agit deinde paulo pòst, de subordinatione Angelorum.* Angelorum subordinatio.

Vnde videtur mihi, *inquit*, quòd non sine caussa, etiam inter ipsos Angelos alij potestatem & principatum super alios gerant, alij autem subiaceant, & obtemperent potestati. §. 4.

*Docet quintò Origenes, Angelos Præsides prouinciarum magnum in Christi aduentu accepisse auxilium pro hominibus contra dæmones. Sic enim homilia 12. in Lucam scribit:* 5. Docum. Homilia 12. in Luc.

Verè gaudium magnum his, quibus hominum fuerat & prouinciarum cura commissa, Christum venisse in mundum. Multum vtilitatis accepit Angelus, qui dispensabat Ægyptias res, postquam Dominus descendit de cęlo, vt Christiani fierent. Profuit & cunctis, qui diuersas prouincias obtinebant, verbi caussa, Præsidi Macedoniæ, Præsidi Achaïæ, reliquarumque regionum. Neque enim fas est credere, malos Angelos suis præesse prouincijs, & bonos non easdem prouincias habere commissas. Hoc autem, quod de singulis prouincijs dicit, puto etiam de vniuersis hominibus generaliter debere credi. Vnicuique duo assistunt Angeli, alter iustitię, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, & in animo iustitia pullularit; haud dubium, quin loquatur nobis Angelus Domini. Si verò mala fuerint in nostro corde versata, loquitur nobis Angelus Diaboli. Quo modo igitur per singulos homines bini sunt Angeli; sic opinor & in singulis dispares esse prouincijs, vt sint & boni, sint & mali, &c. Angelorum gaudium in aduentu Domini. Singulis hominibus duo assistunt Angeli, alter bonus, alter malus.

*Quos porrò assistentes Angelos vocat Origenes, vulgò nunc tutelares Angeli, aut custodes, aut boni genij appellantur, si quidem boni sint: si mali, itidem mali genij vocitantur, qui & dæmones. Quando autem assignentur singulis Angeli custodes aut tutelares, incertū est: num scilicet in cōceptione, an in natiuitate, an in baptismo. Omissa tamen cōceptione, dubitat tantum, & disputat Origenes, vtrum in natiuitate, an in baptismo, proponitque rationes, nunc in*

§. 5. *partem vnam, nunc in alteram. Videri autem potest quæstio hæc problematica in tractatu eius quinto in Matthæum sub finem, cuius hæc verba:* Item requires, *inquit*, pusillorum istorum Angeli, qui ipsis præsunt, quandónam incipiant eorum curam habere: vtrum ex quo per lauacrum regenerationis geniti sunt in Christo, quasi tunc nascentes infantes; & vltrà non subiecti cuipiam aduersariæ potestati? an ex tempore natiuitatis eorum carnalis secundùm præscientiam Dei, & præordinationem ipsius, *quos præsciuit & prædestinauit, vt sint conformes gloriæ Christi* &c. *Deinde pro parte hac multos profert Scripturæ sacræ locos: pro priori autem rationes dumtaxat aliquid congruitatis præ se ferentes, quæ videri apud eum possunt in dicto Tractatu.*

*Quandónam assignentur hominibus Angeli custodes?*

*Origenis verba.*

*Rom. 8. v. 29.*

6. *Docum.* *Angelos quoque nobis se adiungere precantibus, & vota nostra adiuuare, & contra aduersarias potestates opitulari, egregiè docet libro 8. contra Celsum, versus finem. Cùm enim is vellet primò quidem & maximè Deum placari & exorari, sed tamen non negligendos Deos secundarios, atque etiam terræ Principes ac Dynastas, ita respondit:* Vnus est nobis placandus Deus, vniuersorum Dominus: vnus fauor est ambiendus per pietatem virtutesque ceteras. Quod si vult Celsus secundùm hunc, placari etiam alios, cogitet quòd sicut moto corpore vmbra quoque ipsius mouetur: ita cùm aliquis Deum habet propitium, sequitur vt amicos habeat omnes eius Angelos, spiritus & animas. Sentiunt enim qui sunt digni fauore cælestis Numinis, quibus non solùm ipsi bene volunt, sed etiam dant operam, vt Deum, seruire ei volentibus concilient: & vnà nobiscum precantur, vt quotquot eum colimus, audeamus dicere, hominibus bonę voluntatis precantibus vltro se adiungere innumera Sanctorum Angelorum millia, & intercedere pro mortali nostro genere, & (vt ita loquar) laborare nobiscum in hoc certamine, dum vident aduersarios dæmones salutem hominum impugnare, atque eorum maximè, qui se Deo maximè dedicant. *Sic ibi, & plura ibidem, quorum aliqua in proximo capite, propter aliorum commixtionem referentur.*

*Angeli adsunt opitulántúrque precantibus.*

*Origenis verba.*

*Quos maximè impugnēt Dæmones.*

§. 6. *Iam autem locus de Angelorum gaudio in conuersione hominum infidelium ad fidem, aut fidelium ab iniquitate ad gratiam, exstat pulcherrimus homilia* 8. *Docum.* 1. *in Ezechielem sub medium, cum pia precatione ad Angelum custodem. Nam ad illa verba:* Aperti sunt cæli, *ita scribit:* Non sufficit vnum cælum aperiri: aperiuntur plurimi, vt descendant non ab vno, sed ab omnibus cęlis Angeli ad eos qui saluandi sunt. Angeli qui ascendebant & descendebant super Filium hominis, accesserunt ad eum & ministrabant ei: Descenderũt autem Angeli: quia prior descenderat Christus, metuentes descendere priusquam Dominus Virtutum omnium, rerumque præciperet. Quando autem viderunt Principem militiæ cælestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt, sequentes Deum suum, & parentes voluntati eius, qui distribuit eos custodes credentium nomini suo: *Nolite*, inquit Dominus, *contemnere vnum de minimis istis, qui sunt in Ecclesia.*

*Angeli gaudent in conuersione peccatorum.*

*Ezechielis* 1. *v.* 1.

*Origenis verba.*

*Matt.* 18. *v.* 10.

*Amen*

*Amen enim dico vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Tu heri sub dæmonio eras, hodie sub Angelo. Obsequuntur saluti tuæ Angeli: concessi sunt ad ministerium Filij Dei, & dicunt inter se: si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli descendamus de cælo. Ideo & *multitudo militiæ cælestis erat laudantium & glorificantium Deum* Quando natus est Christus: omnia Angelis plena sunt. Veni Angele, suscipe sermone conuersum ab errore pristino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente: & suscipiens eum quasi medicus, bonus confoue atque institue: paruulus est, hodie nascitur senex repuerascens: suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & aduoca tibi alios socios ministerij tui: vt cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem. *Gaudium enim maius est in cælis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Sic ibi Origenes.*

*Insignis Angelorum prosopopœia.*
*Lucæ 2. v. 13.*
*Origenis zelus & precatio ad Angelum.*
*Lucæ 15 v. 7.*

Præterea iustis hominibus, cùm maximè afflicti ac derelicti videntur, tum adsunt Angeli quàm maximè. De qua re ita scribit Origenes homilia 1. in psalmum 36. ad illa verba: *Iuuenis fui & senui, & non vidi iustum derelictum &c.* Sic inter alia scribit:

8 *Docum.* *Angeli maximè adsunt in aduersitatibus.*

Denique Prophetæ qui circuibant in deserto per cauernas petrarum & speluncas, egentes, tribulati, afflicti, licet in desertis oberrarent, & essent ab hominibus derelicti, multitudo tamen Angelorum eos circumdabat. Sic denique Helisæus, cùm esset ab hominibus derelictus, cælesti circumdabatur exercitu, secundùm quod scriptum est: *Aperi oculos pueri huius, vt videat, quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Et vidit totum montem equitibus & curribus plenum.* Nunquam enim solus est iustus: sed nec vnius quidem, aut duorũ, vel trium tantummodò Angelorum societate subnixus est: sed exercitus ei Virtutum cælestium præsto est. Quod si pluribus testimonijs opus est, suscipe & illud: Iacob quamdiu erat in domo parentum, & cum Fratre suo, non erat cum exercitu Angelorum: cùm verò secessisset ad solitudinem deserti, & solus iter ageret in Mesopotamiam, dormiuit in loco quodam, & exurgens dixit: quia vocatur hic locus παρεμβολὴ, quod est, *castra*, pro eo quòd vidit ibi non vnum, sed castra Dei. Hæc dicimus de eo, quòd nequaquam iustus dicitur derelinqui, in spiritualibus scilicet bonis. In corporalibus enim vide quid iustus dicit, & in quibus gloriatur: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris,* &c. Sic ibi.

*Hom. 4 in psal. 36.*
*4. Reg 6. v. 17.*
*Nunquam solus est iustus.*
*Gen. 32. v. 2.*
*Iustus non derelinquitur in bonis spiritualibus*
*1. Cor. 4. v. 11.*

Iam verò illud vtilissimum & maximè salutare documentum est, quo instruimur ab Origene, quanam ratione imitari possimus in officijs suis Angelos. Exstat ille locus in homilia eius 14. in caput 23. Numerorum, sub medium, hisce verbis:

9. *Docum.* *Quomodo imitãda Angelorum officia.*

Verba Origenis. Hom 14. in cap. 23. Numer. Et quid tam delectabile, *inquit*, quid tam magnificum, quàm opus solis vel lunæ, à quibus illuminatur mundus? opus est tamen ipsi mundo etiam Angelis qui præsint bestijs, & Angelis qui præsint exercitibus terrenis. Opus est Angelis, qui præsint animantium natiuitati, virgultorum plantationumque & cęteris pluralibus incrementis; Et rursum Angelis opus est, qui præsint operibus sanctis, qui æternę lucis intellectum, & occultorum Dei agnitionem, ac rerum diuinarum scientiam doceant. Vide ergo, te & ipse facias inter ipsos Angelos inueniri qui bestijs præsunt, si belluinam duxeris vitam: aut inter eos qui terrenis operibus pręsunt, si corporea & terrena dilexeris. Sed satage magis, vt assumaris ad societatem Michaëlis Archangeli, qui orationes Sanctorum semper offert Deo: assumêris autem in hunc numerum, vel in istud officium, si insistas semper orationi, & vigiles in ea, & impleas quod Apostolus ait: *Sine intermissione orate*. Vel certè vt assumaris in societatem & officium Raphaëlis, qui medicinæ pręest: si cùm videris aliquem vulneratum peccatis, & Diaboli sagittis confixum, adhibueris curationem sermonum, ac Verbi Dei contuleris medicinam: vt peccati vulnera per pœnitentiam sanes, & confessionis medicinam ostendas. *Hæc ibi, & dicta hactenus de Angelis sufficiant: alia in alijs documentis occurrent: nunc pauca de dæmonibus seu Angelis malis ex eodem Origene proferemus.*

(Marginal notes: Michaëlis Archangeli Imitatores. — 1. Thessal. cap. 5. v. 7. — Raphaëlis Archangeli imitatores.)

# CAPVT VI.

## DÆMONES SEV MALIGNI SPIRITVS.

§. 1. DÆMONES in rerum natura esse perinde constat, atque Angelos; item libero arbitrio peręquè pollere: auctores etiam malarum artium non minùs esse, quàm Angelos bonarum: & vitijs haud secùs delectari, quàm hos virtutibus: ac proinde continuum inter hos & illos certamen in colligendis ad sua studia mortalibus agitur. Aliqua de dęmonibus scripsit Origenes ex instituto, alia tantùm ex incidenti. Ex instituto quidem in libris *De principijs*: ex incidenti autem, alibi dispersim. Proferam priùs ex ijs quæ ex instituto, vt quę aliorum velut fundamenta sint. Primò igitur in suo ad libros *De principijs* procemio, sic scribit:

Lib. 1. de Principijs in proœmio. De Diabolo, *inquit*, & Angelis eius, contrarijsque virtutibus Ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt quidem, sed quid sint, aut quomodo sint, non satis clarè exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quòd iste Diabolus fuerit Angelus, & apostata effectus quàm plurimos Angelorum secum declinare persuaserit, qui & nunc vsque Angeli ipsius nuncupantur.

*Hæc*

*Hæc ibi: in quibus obseruandum Diaboli nomen poni pro principe omnium dæmonium, conformiter Scripturæ Sacræ & SS. Patribus. Deinde libro 1. de ijsdem Principijs cap. V. alia eiusdem diaboli ponit nomina, nempe quòd satanas etiam vocatus sit, Hebræis scilicet, & πονηρὸς Græcis, & malus, & malignus latinis: quæ omnia seu Hebræa, seu græca, seu latina in sacris litteris & SS. Patribus pro principe supremo dæmoniorum vsitata sunt.*
*Verba Origenis loco iam dicto, vbi & liberum ijs arbitrium non minus quàm ceteris naturis ratione præditis attribuit, sunt hæc:*

Est ergo omnis creatura rationabilis, laudis & culpæ capax: Laudis, si secundùm rationem quam in se habet, ad meliora proficiat; culpæ, si rationem recti tenoremque declinet: propter quod rectè etiam pœnis & supplicijs subiacet. Quod etiam de ipso Diabolo, & his qui cum ipso sunt, & dicuntur eius Angeli, sciendum est. Exponendæ tamen sunt etiam appellationes eorum, vt sciamus quæ sint ista, de quibus sermo nobis mouendus est. *Diaboli* igitur nomen, & *Satanæ*, & *Maligni*, in multis Scripturæ locis designatur, qui & *inimicus Dei* esse describitur. Necnon & quidam Angeli, Diaboli nominantur, sed & *Princeps mundi huius*: qui vtrum ipse sit *Diabolus*, an alius quis, nondum manifestè declaratum est. *Sic ibi.* *Liberum Arbitrium est in dæmonibus, vt in cunctis rationalibus creaturis.*

Idem Origenes homilia 15. in Iesum Naue sub finem, soluit quæstionem, quæ moueri posset de nomine *Satanæ*, quomodo scilicet idem sit quod *Diabolus*, seu *Princeps omnium dæmonum*, quandoquidem videatur in Scriptura tribui pluribus. Igitur post citata illi paulli verba ad Romanos 16. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*, sic scribit: §. 2. *Rom. 16. v. 29.*

Si enim vnus est Satanas, *inquit*, quomodo potest ipse contritus esse sub pedibus seruorum Dei, & iterum operari? Si enim contritus est, & à Deo contritus, operari vltrà non potest. &c. *Verba Origenis.*

*Deinde subijcit aliquando accipi Satanam, iuxta hebraicæ vocis significationem, pro aduersario, seu quouis aduersante, sicque Satanæ nomen pluribus conuenire, cùm post quædam alia sic scribit:* Euidentiùs autem & ipsa nominis eius interpretatio (sicut studiosi Hebræorum tradunt,) hoc idem significare videtur. *Satanas* namque, *aduersarius* dicitur. Omnes ergo, qui aduersantur Dei voluntati, *Satanæ* possunt dici. *Sic ille.*

*Simillima sunt ea, quæ habet libro 10. in epistolam ad Romanos, cap. 16. bis verbis.*

Quæritur in hoc loco, quem dixerit satanam sub pedibus eorum, quibus scribit, velociter à Deo conterendum. Si enim ad vnam referatur personam, illam scilicet, de qua in Euangelio dicitur: *Ecce video Satanam de cælo cadentem*; quique satanas humano generi indicatur aduersus, videtur vtique (si verè dicit Paullus quæ dicit, quòd sub pedibus eorum quibus tunc scribebat, velociter conteratur) vltrà iam non esse Satanam, qui agones, & certamina, & persecutiones credentibus excitet. quod vtique non admittit fides *Verba Origenis.* *Lucæ 10. v. 18.*

rerum. Sed videtur mihi in hoc loco Satanam dixisse omnem spiritum, qui credentibus aduersatur. Saranas enim in lingua nostra aduersarius interpretatur. Quicquid ergo animæ tendenti ad Deum resistit & aduersatur, & quicquid paci eius contrarium est, hoc Satanas esse memoratur. Ideo denique præmisit dicens: Deus pacis, hoc est, Deus cui pax placet, conterit eum qui contrarius est paci, & dissensiones operatur. Sic denique & in

Reg. 3. 11. v. 14. Regnorum libro legimus: *quia Deus suscitauit Salomoni Satanam aduersus eum*, hoc est, Salomoni, qui erat pacificus, suscitauit Satanam, qui est contrarius paci.

*Deinde paullo pòst docet, quàm variè possimus conterere Satanam sub pedibus nostris:*

*Quibus modis conteratur Satanas sub pedibus nostris?*

Possumus, *inquit*, & per singulos quosque agones, si legitimè certamus, videre, quòd Deus conterat satanam sub pedibus nostris velociter: verbi caussa, si quis agonem susceperit castitatis, si vsque ad finem immaculata conscientia perdurauerit, dici de eo potest: quia contriuit Deus satanam sub pedibus eius, id est, spiritum qui contrarius erat castitati. Similiter & qui fidei agonem suscipit, si stans ante Reges & Præsides cum fiducia profiteatur Dominum IESVM CHRISTVM, & vsque ad finem in professione permaneat, Deus contriuit satanam sub pedibus eius; cùm per fidem constantem, infidelitatis spiritum vicit. Sic & qui concordiam perseueranter colit, dissensionis dæmonem sub pedibus conterit. Qui mansuetudinem seruat, iracundiæ satanam patientiæ vestigijs calcat. Hoc

Luca 10. v. 19. est nimirum, quod Dominus in Euangelio dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnes virtutes inimici.* Hucvsque Origenes, quibus exstimulari certè deberemus ad pulchras de istis inimicis nostris victorias.

§. 3.

*Angeli prospera, Dæmones aduersa exequuntur.*

Cum autem inaspectabilium spirituum ministerio tam bona quàm mala, tam prospera, quàm aduersa eueniant hominibus, tam communiter, quàm priuatim, rectè censet Origenes bona omnia ac prospera ferè à bonis procurari Spiritibus: quippe quibus cura rerum inframundanarum commissa sit; mala autem, & cuncta ad vindictam peccatorum destinata, semper, aut vt plurimùm per prauos spiritus immitti. Aiebat enim Celsus, non à bonis Angelis, sed à dæmonibus omnia administrari, adeoque quòd homines respirent, acceptum illis esse referendum. Dicit ergo Origenes:

*Verba Origenis.*

*Stet à Celso quisquis voluerit, & ostendat quo pacto non sancti Angeli Dei, sed dæmones (quorum omnium genus est improbum) eorum administrationem acceperint, quæ antè dicta sunt. Nos quidem sanè dicimus,*

*Angelis data est rerum terrenarum administratio, non dæmonibus.*

non absque gubernatione inaspectabilium (vt sic appellem) agricultorum & œconomorum nobis non modò quæ è terra producuntur, sed etiam quæ in aqua & aëre gignuntur & viuunt, dispensari, vt nimirum & aqua in fontes & fluuios depluat ac feratur, & aër incorruptus conseruetur, & ipsum respirantibus vitam largiatur, haud tamen istos inuisibiles dicimus

esse dæmones; verùm si liberè, quænam sint horum opera, proferendum est; dico esse famem, sterilitatem arborum & vinetorum, siccitates, aëris corruptionem frugibus noxiam, interdum & pestilentiam in homines & pecora peræquè grassantem. Hæc omnia dæmones carnifices efficiunt, idque diuino quodam iudicio acceptâ certis temporibus nocendi potestate, seu ad hominum in effusam vitiorum licentiam prolapsorum conuersionem; seu etiam ad naturæ rationalis exercitium: quo & horum, inter hæc mala, constans pietas, nec vllatenus in malitiam declinans, manifesta fiat spectatoribus tam visibilibus, quàm inuisibilibus, qui ipsorum hactenus habitum & firmitatem in virtute ignorabant: & istorum è contrario affectiones, sub malitiæ velamento delitescentes, in his aduersis quales sint, manifestentur, & tam sui ipsorum ipsi conscij sint, quàm spectatoribus, vt sic loquar, conspicui. Testatur porrò & ipse diuinorum hymnorum fidicen, tristiora quæque Dei iudicio à malignis Angelis designari, cùm dicit: *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos.* Et infrà ibidem hæc adiungit: Celsus verò, *inquit*, etiam primitias vult nos dicare dæmonijs: at nos malumus hunc honorem habere illi qui dixit: *Germinet terra herbam virentem, afferentem semen iuxta genus suum*, &c. Cui autem primitias offerimus, ad eundem etiam vota precesque nostras dirigimus, *habentes Pontificem magnum, qui cælos penetrauit, Iesum Dei Filium*; & hanc fidei professionem constanter retinemus, quamdiu viuimus, benignitate Dei, & IESV eius vnigeniti, qui manifestatus est in nobis. Quòd si eorum, quos nobis fauere volumus, multitudo desideranda est; dicimus è nostris Scripturis, quòd *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Qui dum vident homines sibi propinquos & caros suam erga Deum pietatem imitantes, ipsi eorum saluti Deum inuocantium legitiméque deprecantium opitulantur; apparentes interdum ipsis precantibus, & arbitrantes debere se illis obsequi, & velut ex composito, benefactis & saluti eorum qui Deo supplicant, (quod & ipsi faciunt) succurrere. *Sunt enim omnes administratorij Spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Sic ibi.

*Dæmonum opera in hoc mundo.*

*Psal. 77. v. 46.*

*Gen 1. v. 11.*

*Hebr. 4. v. 14.*

*Daniel. 7. v. 10.*

*Hebr. 1. v. 14.*

§. 4. *Præcipui porrò dæmonum sectatores sunt magi, harioli & similes directò nostris oppositi Thaumaturgis & Prophetis. De istis tam dæmonibus quàm magis nonnulla tangit Origenes homilia 13. in caput 22. Numerorum, vbi Rex Balac mittit Balaam magum ad maledicendum Israëlitis, quò scilicet aduersus horum preces, quibus se vinci sentiebat, contrarijs precibus (si fas est sic vocare) siue potiùs maledictis & execrationibus decertaret. Verba Origenis sunt hæc:*

*Dæmonum præcipui asseclæ qui sint.*

Hæc igitur sciens Rex mittit ad Balaam, vt & ipse deferat verba verbis contraria & precibus preces. Nec mireris, si est in magica arte tale aliquid. Esse enim hanc artem designat etiam Scriptura, sed ea vti prohibet. Nam & dæmones Scriptura esse designat, sed coli eos & exorari vetat. Rectè ergo

*Verba Origenis*

etiam

etiam magica vti prohibet: quia magorum ministri angeli sunt refugę, & spiritus maligni, & dæmonia immunda. Nullus enim sanctorum spiri-
Magi inuocatores dæmoniorum. tuum obtemperat mago. Non potest inuocare magus Michaëlem, non potest inuocare Raphaëlem, neque Gabriëlem: multò magis magus inuocare non potest omnipotentem Deum, nec Filium eius Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, nec sanctum Spiritum eius. Nos soli accepimus potestatem inuocandi Deum Patrem: nos soli habemus potestatem inuocandi vnigenitum eius IESVM CHRISTVM. Sed illud est, quod dico: qui iam potestatem accepit inuocandi Christum, non potest iterum dæmones inuocare: & qui sancti Spiritus particeps factus est, ad immundos vltrà spiritus accedere non debet. Si enim inuocauerit immundos Spiritus, sanctus ab eo Spiritus refugiet. Magi sunt, qui inuocant Beelzebub. Denique sciebat hoc populus ille, & ideo mentientes contra Dominum meum IESVM, &
Matt. 14. v. 24. falsa dicentes aiebant: *Hic in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Saluator autem sciens, quia verum est quidem, quòd princeps dæmo-
Ibid. v. 27. niorum sit Beelzebub, in hoc non arguit mendacij, sed respondit eis; *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt?* Vnde constat esse quosdam dæmones malos, qui inuocati à magis, adsunt eis ad malum, non ad bonum. Parati enim sunt ad malè faciendum, benè autem facere nesciunt. Isti ergo dæmones arte quadam, & compositione verborum, in amicitias (vt ita dicam) cesserant Balaam: quorum amicitijs fretus, magnus
§. 5. apud homines videbatur. *Sic ibi.*

Hom. 21. in Numero. Qui peccant, dæmonibus se subdunt. *Deinde homilia 21. in caput 25. Numerorum, agens de idolo Beelphegor appellato, indicat aliquid Origenes, quod peccatoribus turpi vitio addictis valde horrori esse debeat; nempe vnumquemque peccatorem censeri consecratum ei dæmonio, cuius suggestioni obtemperat;*

Verba Origenis. Vnde sciendum est, *inquit*, quòd omnis, qui aliquid turpe committit, & in aliquam speciem turpitudinis declinat, Beelphegor Madianitarum dæmonio consecratur. Sed & per singula peccata, quæ committimus (maximè, si iam non subreptione aliqua, sed studio affectuque peccamus) illi sine dubio dæmoni, cuius impulsu peccatum illud admittimus, consecramur. Et fortassè continget nos tot dæmonibus esse consecratos, quot peccata committimus: & in singulis quibusque delictis, velut mysteria illius, aut
2. Thessal. 2. v. 7. illius idoli suscipimus. Et fortasse propter hoc dicebat Apostolus: *Iam enim mysterium iniquitatis operatur.* Circumeunt ergo spiritus maligni, & quærunt quomodo vnumquemque decipiant, & per illecebras peccati mysterijs consecrent: & neque sentientem, neque intelligentem, verbi caussa per fornicationis peccatum, introducunt ad dæmonium Madianitarum, & consecrant Beelphegor, consecrant turpitudini. Similiter & per alia peccata, vt diximus, alijs dæmonibus homines consecrantur.

*Hæc ibi, quæ meritò à peccatis deterrere homines debeant, ne turpiter impijs ac deterrimis consecrati dæmonibus, vilissimi ac nequissimi habeantur: præter-*

*præsertim cùm resistendo illis, & bonis operibus insistendo propulsare ipsos per Dei gratiam possint, & sub Christi vexillo præclaras de illis victorias abactis & subactis reportare, atque inter Dei opt. max. amicos (quo quid gloriosius?) computari.*

*Nam & plebej atque idiotæ sæpenumero sic vicêre, & nō rarò dæmones etiam ex alienis corporibus expulere. Quod & ipse indicat Origenes libro VII. contra Celsum, vbi spiritum Pythiæ similem esse dicit illis dæmonibus, quos Christiani eijciunt.*

Talis est, *inquit*, ille spiritus, quale est illud dæmonum genus, quos Christianorum non pauci ex obsessis abigunt corporibus, idque nulla curiosa, seu magica, seu venefica actione, sed sola precatione, aut simplici adiuratione: qua vti possit & homo quilibet. Persæpe enim & ipsi idiotæ id faciunt, adsistente ipsorum sermonibus Christi gratia, & dæmoniorum vilitatem atque imbecillitatem arguente: ad quos scilicet ab hominum animis corporibúsue, abigendos, nihil sapiente quopiam ac potente in logicis de fide demonstrationibus opus sit. *Libro. 7 contra Celsi*

*Dæmones ab idiotis christianis non raro alacti è corporibus.*

*Deinde eodem libro ferè extremo, de cultu dæmonum Celso contradicens,* Tantum abest, *inquit*, vt dæmones veneremur, vt eos potiùs precatione & Sacrarum litterarum recitatione profligemus ab obsessis hominibus, & à locis sibi dedicatis, interdumque ab animalibus.

Sæpe enim, vt ea quoque lædant, nonnullam operam nauant. *Sic ille.*

*De impugnationibus quoque dæmonum & earum fructu, cùm generosè ijs resistitur, habet non contemnenda, in homilia XV. in Iesum Naue, sub medium: his verbis:* *§. 6.*

*Tentationum fructus Verba Origenis.*

Dum non veniunt, *inquit*, inimicę Virtutes, quę peccata operantur in nobis, nec prouocant nos ad peccandum, nec lacessunt ad dimicandum, interfici non possunt, nec exterminari. Ideo ergo Deus dicitur permittere & incitare propemodùm aduersarias Virtutes, exire aduersum nos in prælium, vt & nos victoriam capiamus, & illæ interitum consequantur. Vnde mihi videtur esse infinitus quidā numerus contrariarū Virtutum, pro eo quòd per singulos penè homines sunt aliqui spiritus, diuersa in eis peccatorum genera molientes. Verbi causa est aliquis fornicationis spiritus, est iræ alius spiritus, est & auaritiæ spiritus, & alius superbiæ: ac si eueniat aliquem hominem, qui his omnibus malis aut etiam pluribus agitetur, omnes hos, vel etiam plures in se habere inimicos putandus est.

Vnde & per singulos, plures esse credendi sunt: quia non singula singuli homines habent vitia, vel peccata, sed plura ab vnoquoque videntur admitti. *Et iterum.* Non est putandum, *inquit*, quòd vnus fornicationis spiritus seducat eum qui, verbi gratia, in Britannijs fornicatur, & illum qui in India & in aliis locis, neque vnum esse iræ spiritum, qui diuersis in locis homines diuersos agitet: sed puto potiùs principem quidem fornicationis spiritum vnum esse, innumeros verò, qui in hoc officio illi pareant: & quòd singulos quosque

*Singulorum vitiorum multi sunt variis in locis dæmones.*

quosque homines diuersi spiritus sub eo principe militantes, ad huiuscemodi peccata sollicitent. Similiter & iracundiæ spiritum vnum esse arbitror, innumeros verò esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines huiusmodi vitij peccata succendant. similiter & auaritiæ vnum esse principem, sic & superbiæ, & ceterorum malorum. Et ideo nõn vnus principatus dicitur in contrariis Virtutibus ab Apostolo, sed plures, aduersus quos pugnam esse nobis omnibus scribit. Tamen reor omnium principem velut eminentiorem quendam in nequitia, & in scelere excelsiorem esse, qui totum mundum, quem isti ad peccata singuli quique, per peccatorum species pro parte sollicitant, solus velut omnium principum Dux, & totius nefandæ militiæ magister exagitet: cuius figuram, cùm Iabin discuteremus, pro paruo intelligentiæ nostræ captu in superioribus patefecimus. Sic ibi.

*Quod autem patefecisse se dicit in superioribus, hoc est, in præcedente homilia, totius nefandæ malitiæ magistrum, ibi habemus, quòd eum Diaboli nomine vocauerit: cuius figuram ait fuisse Iabin Regem Asor, Regem superbissimum. Et ibidem inter cetera sic ait:* Hic igitur Iabin Rex est Asor: interpretatur autem Asor aula. Est ergo omnis terra, aula huius Regis, qui totius terræ, velut aulæ vnius, obtinet principatum, qui est Diabolus. Sic ille.

*Notandum autem, quòd sicut Iabin omnes circumquaque Reges aduersus populum Israëliticum suscitabat, ita aduersus populum fidelem suscitat etiamnum Diabolus omnes sibi subditas potestates. Qua de re ita hoc ipso loco, seu homilia 14. In Iesum Naue, sub initium scribit Origenes.*

*Orig. hom. 14. in Iesum Naue.*

*Aduentus Saluatoris quid boni attulerit.*

Vides, *inquit*, quanta aduersus Iesum & Israëliticum exercitum, contrariarum Virtutum, & pessimorum Dæmonum examina concitentur? Isti omnes dæmones ante aduentum Domini & Saluatoris nostri, quieti & securi humanas animas possidentes, in earum mentibus corporibusque regnabant: sed vt in terris apparuit gratia & misericordia Saluatoris nostri Dei, edocens nos, vt piè & sanctè in hoc mundo, & segregati ab omni contagione peccati viuamus: vt libertatem suam atque imaginem Dei, in qua ab initio creata est, vnaquæque anima recipiat; hinc ab illis veteribus possessoribus pugnæ exoriuntur & prælia: & si primi opprimantur, multò plures exsurgunt postmodùm, atque in vnum coëunt, & conspirant in malum, qui semper dissident à bono: & si secundò victi fuerint, iterum tertio aliæ virtutes nequiores exsurgunt, & fortassis quantò magis augetur populus Dei, & multò plus crescit & multiplicatur, tantò illi plures ad oppugnandum conspirant. *Sic ibi.*

*Occupatio Auctoris.*

*Verùm si prioribus prælijs alia atque alia, & semper grauiora succedunt, quid animi ad belligerandum? quid spei aut præsidij ad vincendum? Gratia Dei omnibus potentior: charitas nullâ re non fortior: quin & plures nobiscum sunt Angeli boni, quàm contra nos mali: & quidem si Deus ipse pro nobis, quis contra nos? Adde & aliud Origenis (quod vanum equidem non arbitror) solatium: nempe eos dæmones qui semel perfectè à nobis victi sint, & vt ille loquitur, interempti, hoc est, prorsus domiti, exinde videri priuatos omni ad*

*rursus*

*rursus oppugnandos, & homines à quibus victi sunt diuexandos, potestate. Qua de re non quidem certam assertionem, sed probabilem dumtaxat suam opinionem homilia* 15. in Iesum Naue sic *depromit Origenes.* §. 7.

Puto sanè, *inquit*, quòd sancti quique repugnantes aduersus istos incentores spiritus, & vincentes eos, atque eorum vnumquemque superantes, imminuant exercitum dæmonum, & velut quàm plurimos eorum interimant: ita vt, verbi caussa, is qui castè pudicéque viuendo fornicationis spiritum superauerit, non vltra fas sit illum spiritum, qui ab illo sancto victus est, impugnare iterum alium hominem: sed sicut illi spiritus, qui rogabant Iesum, ne in abyssum mitterentur (quod tunc interim Dominus pro præsenti dispensatione concessit) ita consequens videtur quòd singuli quique nequam spiritus, cùm vincuntur à sanctis, vel in abyssum, vel in exteriores tenebras, vel quocunque aliò, in locum ipsis dignum ablegentur à iusto iudice Christo, agonis huius vitæ mortalium præside. Atque inde est, quòd plurimo dæmonum numero iam victo, Gentes ad credulitatem venire relaxentur: qui vtique nullatenus sinerentur, si integræ eorum, sicut prius fuerant, subsisterent legiones. Quod si alicui difficile videtur esse quod dicimus, per singulos quosque peccantium multa vacare dæmonia, aut si hoc fabulosum putat, redeat ad Euangelij auctoritatẽ, inueniet illum qui in sepulchris habitabat dæmonem patiens, cùm interrogaretur à Saluatore: *quod tibi nomen est?* respondisse *Legio.* Multa enim dæmonia sumus. Quid ergo mirum videtur, si per singula genera peccatorum singuli dæmones adscribantur, cùm scriptum sit in vno homine integram fuisse dæmonum legionem? *Et libro VIII. Contra Celsum ante medium, sic scribit:*

*Hom. 15. in Iesum Naue.*

*Luca 3. v. 30.*

Itaque ne nos quidẽ negamus multos esse in terra dæmones, sed, fatemur, & quidem multum posse aduersus improbos, propter eorum malitiam: sed nihil posse contra eos, qui se induerint armatura Dei. &c.

*Celsus Philosophus ab Origene refutatur.*

*Et paullo pòst refellens Celsi comparationem conferentis satrapas Persarum & Duces ac Præfectos Regum in zelo puniendi eos qui Dominis ipsorum restiterint, aut contumeliosi in ipsos fuerint, cum veris Dei ministris & bonis Angelis, ita scribit:*

Sed fallitur Celsus. Veri enim satrapæ, pręsides, duces & procuratores Dei, boni Angeli, flagitiosos non lædunt: sed si qui lædunt, vt Celsus imaginatur, ij sunt mali, & qui nullam à Deo nec satrapiam, nec præfecturam, nec procurationem acceperunt: & lædunt quidem sibi obnoxios, & qui se illis tanquam dominis subiecerunt. Atque hæc, vt opinor, caussa est, quamobrem quocumque in loco cibis vescentes prohibitis, si dæmonibus quidem subditi sint, ab ipsis lædantur; sin autem illis non subsint, nec seipsos eius loci dæmonio subdiderint, nihil damni patiantur, cùm longum vale dixerint dæmonibus. Ceteri porrò propter suam in his ignorantiam se ipsis subdentes, ab illis pati possunt: non autem Christianus, qui verè sit Christianus, & soli Deo Verboque eius consecratus, pati quicquam à dæmonijs

*Origenis verba.*

Psal. 33. v. 8. potest, cùm sit illis fortior Quid enim pati possit, de quo scriptum est? *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et Angelus eius semper videns faciem Patris qui in cælis est, semper eius preces offert per vnicum Pontificem Deo vniuersorum, etiam ipse simul comprecans pro eo qui sibi commissus est. Proinde Celsus terrere nos desinat, comminans nocumenta à dæmonibus, quos nos contemnimus: & qui à nobis contempti, officere nihil possunt, quippe & consecratis ei qui solus dignis omnibus opitulari valet. nihilo tamen minùs proprios pijs erga se Angelos tribuit, ita vt nihil contrarij Angeli, ne ille quidem princeps huius sæculi appellatus, efficere quicquam valeat aduersus Deo dicatos. *Hæc ibi Origenes, & alia plura, quæ sponte prætereo. Nam tempus est, vt ad alia transeam.*

## CAPVT VII.

### *DE ANIMA RATIONALI.*

§. 1. Liber 2. de principijs. cap. 8. NATVRÆ Angelicæ, de qua modò diximus, proxima & honore, & dignitate, est anima ratione prędita De hac Origenes libro 2. De principijs cap. 8. habet tractatum proprium, in quo primùm generatim de anima agit, ab inferioribus inchoans animantibus, & inde ad principalem animam conscendens. Qua in re, cùm multa occurrant intellectu difficilia, de quibus suas proponit coniecturas, prudenter etiam ac modestè contra malignos dictorum alienorum interpretes, sua adiungit munimenta at remedia. Igitur postquam attulisset distinctionem inter animam & mentem, ita vt anima sæpius in deteriorem partem, mens in bonam caperetur, vti & spiritus; animamque videri à frigore ψυχῆ psychen appellatā, veluti à mentis feruore dilapsam, ita vt mens dici posset in animam commutata, à qua tamen cōmutatione per receptum feruorem denuo fieri mens posset, hoc est, ex animali fieri spiritualis, siue, vt venia sit verbo, mentalis: tum ita addidit: *Veruntamen, quod diximus mentem in animam verti, vel si qua alia in hoc videntur respicere, discutiat apud se qui legit diligenter, & pertractet: nobis autem non putentur prolata esse velut dogmata, sed tractandi more ac inquirendi esse discussa.*

(Margin: Anima quatenus à mente differat. — Origenis verba.)

§. 2. Post hæc docet ibidem, animam velut medium quoddam esse inter carnem & spiritum, & bene. Verba eius sunt hæc: *Addat autem, & qui hoc legit, ad tractatum, quòd etiam de Saluatoris Anima, ex his quidem quæ in Euāgelio, scripta sunt, obseruatur: quòd alia sunt quæ ei sub animæ nomine adscribuntur, & alia quæ spiritus nomine deputantur. Nam cùm paßionē aliquā, vel perturbationem sui vult indicare, sub animæ nomine indicat, vt cùm dicit:*

Nunc

*Nunc anima mea turbata est.* Et: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Ioan. 12. v. 27. Matt. 26 v. 38.
Et: *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. In manus autem Patris*, inquit, *commendat non animam, sed spiritum, & cùm carnem dicat infirmam, non dicit animam promptam, sed spiritum. Vnde videtur quasi medium quoddam esse anima inter carnem infirmam & Spiritum promptum.* Ioannis. 10 v. 18. Luce 23. v. 46.

Hæc Origenes, quæ conformia esse ijs quæ Paullus docet, intelligit quisquis eius scripta attentè legit. Denique iterum post quædam alia, sic subiungit: *Hæc*, inquit, *prout potuimus de anima rationali discutienda magis à legentibus, quàm statuta ac definita protulimus.* Sic ibi.

Quare si quid alibi humanitus Origeni circa animam erratum sit, non debet ab æmulis, aut hostibus, notâ hæreseos aut falsi dogmatis inuri (vbi neque dogma vllum est, neque pertinacia) sed pro simplici coniectura, & veri inquisitione suscipi & excusari.

Animæ dignitas egregiè expenditur ab Origene, hom. 7. in Ezechielem, sub medium, his verbis: *Animæ rationalis dignitas.*

*Anima humana*, inquit, *multùm speciosa est, & mirabilem habet pulchritudinem. Artifex enim eius cùm eam primùm conderet, ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Quid hac imagine & similitudine pulchrius? Quidam ergo adulteri & sordidi amatores decore eius illecti desiderant eam corrumpere, & cum illa mœchari. Quamobrem vir sapiens Paullus dicit: Timeo autem, ne sicut serpens Heuam seduxit in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri. Sensus nostri in mœchatione carnali corrumpuntur: in spiritualibus verò stupris, sensus corrumpitur, & ipsa anima vulneratur.* Et proximè ibidem ad illa verba: *Et contaminasti speciem tuam*] Etiamsi homo, *inquit*, non in maximis sit peccatis constitutus, tamen quia ingens est animæ pulchritudo, minorum quoque societate turpatur. Respice virtutes animę, quas à Deo sibi insitas habet, vide pulchritudinem eius, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem, cuius sit ingenij, quomodo primùm intelligat, deinde intellecta diiudicet, vt incitetur ad sensus, vt menti sensa cōmodet: quos habeat impetus: quos de Deo cogitatus. Hæc ipsa possidens magnæ pulchritudinis est; sed hæreticorum sectis & extranea religionis institutione corrumpitur. *Ita Origenes.* Gen. 10 v. 26. 2. Cor 11. v. 3. *Animæ pulchritudo etiam minimis peccatis deturpatur.*

*De natura porrò animæ, eiúsque origine inquirit lib. 1. De principijs, in proœmio, & hæc sunt eius verba:*

Post hęc, *inquit*, in Ecclesijs prędicatur, quòd anima substantiā vitamque habens proprium cùm ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis recipiet, seu vitę æternę ac beatitudinis hereditate potitura, si hoc ei sua gesta præstiterint, seu igne ęterno ac supplicijs mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit. Sed & quòd tempus resurrectionis mortuorum futurum sit, cùm corpus hoc, quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione, & quod seminatur in ignominia, surget in gloria. Est & illud definitum in Ecclesiastica prædicatione omnem animam rationabilem *De Anima quæ sit doctrina Ecclesiæ.*



esse

esse liberi, arbitrij & volútatis: esse ei quoque certamen aduersus Diabolum & Angelos eius, contrariasque Virtutes, ex eo quòd illi peccatis eam onerare contendant; nos verò, si rectè consultéque viuamus, ab huiusmodi nos exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere, nos necessitati non esse subiectos: vt omni modo, etiamsi nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ Virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel malè. Quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursum & motus, caussam dicunt humanorum esse gestorum, non eorum, quæ extra arbitrij accidunt libertatem, sed eorum, quæ in nostra sunt posita potestate. *Sic ibi.*

§. 3. *His autem, quæ extra sunt, positis, subiungit consequenter de animæ origine, quod incertum illo sæculo erat, & multis pòst sæculis fuit, etiam S. Augustino, quodque magis mirum, etiam illi, qui longè pòst secutus est, S. Gregorio magno Pontifici, vt pòst monstrabitur. Verba autem Origenis sunt hæc:* De anima vero, vtrum ex semine traducis ducatur, ita vt ratio ipsius inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur, an verò aliud habeat initium: & hoc ipsum initium, si genitum est, vel certè si intrinsecus corpori inditur, nécne, non satis manifesta prædicatione distinguitur. *Sic ibi.*

*Origenis verba de animæ origine.*

Nunc autem satis constat animas singulas à Deo in suis creari corporibus, non autem ex traduce progigni: quamuis hoc posterius existimauerit S. Augustinus esse probabilius. Nam lib. X. De genesi ad litteram, posteaquàm cap. 20. excepit animam Christi à productione per traducem: tum de aliis animabus loquens cap. 21. *Iam de ceterarum*, inquit, *animarum aduentu, vtrum ex parentibus, an desuper fit, vincant qui poterunt: ego adhuc inter vtrosque ambigo, & moueor, aliquando sic, aliquando autem sic.* Tandem verò cap. 23. ait sententiam quæ, dicit animas procreari ex parentibus, præponderare alteri, & hoc propter baptismum paruulorum, qui videntur alioqui non contrahere peccatum originale. Sic enim scribit: *His igitur, quantum pro tempore potuimus, pertractatis, omnia paria vel penè paria, ex vtroque latere rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententiam, qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo paruulorum præponderaret. De quibus quid eis responderi posset, nondum interim mihi occurrit.* Ita Augustinus.

*S. Augustini opinio, de Animæ Origine.*

S. Gregorius autem in Registro lib. 7. indictione 11. epistola 54. Secundino, Dei seruo incluso. *De origine animæ*, inquit, *inter SS. Patres requisitio non parua versata est: sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi.* Ita Gregor. magnus in 8. sæculo: vt non mirum sit, si Augustinus hæsitauerit V. & Origenes III. Quo enim ascenditur altiùs, hoc dubitatur, aut ignoratur, aut erratur innocentiùs. Nec enim scientia minùs, quàm

*S. Gregorij Papæ sententia de eadē.*

veritas, dicenda est filia temporis: cùm & dies diei, & nox nocti, vt sic loquar, eructet verbum, nouamque addat scientiam. Hinc & Gregorius, & Augustinus, & Origenes, & his vetustiores, si hodie viuerent, aliter de anima & sentirent, & loquerentur, quàm aliquando sensere, & locuti sunt.

De vita porrò animæ spirituali, eiusque morte, illa per gratiam, hac per peccatum, ita Origenes homilia 9. in Leuiticum sub finem: §. 4.

*Vnde & arbitror*, inquit, *quòd ipsa per se anima humana, neque mortalis, neque immortalis dici potest: sed si contigerit vitam, ex participatione vita erit immortalis: in vitam enim non incidit mors: sin auertens se à vita mortem participauerit; ipsa se faciet esse mortalem. Atque ideo Propheta dicit*, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. *Quamuis mortem eius non ad interitum substantiæ sentiamus: sed hoc ipso quòd aliena & extorris sit à Deo, qui vera vita est, mors ei esse credenda est. Nulla ergo participatio sit iustitiæ cum iniquitate, nulla societas luci ad tenebras, nulla conuentio Christi ad Belial. Si elegerimus vitam, semper viuemus: mors nobis non dominabitur, & complebitur in nobis sermo Domini, qui dixit*: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. *Eligamus ergo vitam, eligamus lucem, vt in die honestè ambulemus: vt & nos sequentes Iesum intra velamen tabernaculi interioris, iam non simus vt homines mortales, sed vt Angeli immortales, cùm nouissimum inimicum destruxerit mortem ipse Dominus* IESVS CHRISTVS, *qui est via, & veritas & vita*. Sic ibi.

*Anima quo pacto viuat & moriatur.*

*Ezechiel. 18. v. 4.*

*2. Cor 6. v. 14.*

*Ioan. 11. v. 25.*

*Ioan. 14. v 6.*

Locus egregius de anima & spiritu, & quomodo anima crescere possit ex pulchritudine & similitudine ad Deum, & quodammodo seipsa maior fieri, habetur in homilia 8. Origenis super cap. 1. Lucæ, ad illa SS^mæ. Deiparę verba: *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* ] vbi sic scribit, Duæ res, anima scilicet, & spiritus, duplici laude funguntur: anima Dominum prędicat, Spiritus Deum: non quòd alia laus Domini, alia DEI sit: sed quia qui DEVS est, idem & Dominus est, & qui Dominus est, idem & DEVS sit. Quæritur, quomodo magnificet Dominum? Si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum recipere potest, & id quod est, hoc est; qua ratione nunc MARIA loquitur? *Magnificat anima mea Dominum.* Si considerem dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis DEI, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago esset imaginis, (neque enim anima mea specialiter imago est DEI, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est) tunc videbo, quoniam in exemplum eorum, qui solent imagines pingere, & vno, (verbi caussa) vultu Regis accepto, ad principalem similitudinem exprimendam, artis industriam commendare; vnusquisque nostrûm ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem aut minorem facit imaginem, aut, obsoletam, & sordidam aut claram & lucidam, splendentemque, ad effigiem imaginis principalis.

§. 5.

*Luca 1. v. 46.*

*Origenis verba.*

*Magnificare Dominum quid sit.*

*Anima nostra ad imaginem Christi efformanda, vel reformanda.*



Quando

Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur: & ipse Dominus, cuius imago est, in nostra anima magnificatur. Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, eodem modo, si peccatores fuerimus, minuitur atque decrescit. Sed nos pro imagine Saluatoris alias nobis imagines induimus: pro imagine Verbi, iustitiæ, sapientiæ, ceterarúmque virtutum, Diaboli formã assumimus, vt dicatur de nobis: *Serpentes, genimina viperarum*. Et leonis personam induimus, & draconis, & vulpium, quando crudeles, venenati, & callidi sumus: nec non & hirci, vel porci, quando ad libidinem proniores. *Sic ibi Origenes.*

*Matt. 23. v. 33.*

§. 6. *De animæ autem continuo in virtute & scientia profectu, insignem locum exhibet Origenes, homilia 17. in caput 24. Numerorum, ad illum versiculum Septuaginta interpretum:* Quàm pulchræ domus tuæ Iacob, & tabernacula tua Israël! *vbi discrimen afferens inter domum & tabernaculum: & illâ perfectionem, hoc autem progressum significari docens, ita scribit:*

*Animæ profectus.* *Numer. c. 24. v. 5.*

Quòd si, *inquit*, & differentiam domorum & tabernaculorum requiras, & Iacob atque Israël diuersitatem, etiam de hoc talis quædam habenda distinctio est. Domus res est fundata & stabilis, & certis terminis septa: Tabernacula verò, sunt habitacula quædam eorum, qui semper in via sunt, & semper ambulant, nec itineris sui terminum reperiunt. Igitur Iacob habendus est in eorum personis, qui in actibus & opere perfecti sunt: Israël verò illi intelligendi sunt, qui studium erga sapientiam & scientiam gerunt. Quia ergo operum gestorumque exercitia certo fine clauduntur (neque enim sine fine est operum perfectio) vbi adimpleuerit quis omnia quæ facere debuit, & ad finem perfectionis operum peruenerit, perfectio ipsa operum, pulchra eius domus esse dicetur. Eorum verò, qui sapientiæ & scientiæ operam dant, quoniam finis nullus est (quis enim terminus Dei sapientiæ erit, vbi quantò amplius quis accesserit, & quantò magis scrutatus fuerit, tantò ea magis ineffabilia & incomprehensibilia deprehendit? incomprehensibilis enim & inæstimabilis est Dei sapientia) idcirco eorum, qui iter sapientiæ Dei incedunt, non domos laudat [*Verbũ Dei scilicet per os Balaam loquens*] non enim peruenerunt ad finem: sed tabernacula miratur, in quibus semper ambulant, & semper proficiunt, & quantò magis proficiunt, tantò eis proficiendi via augetur, & in immensum extenditur, & ideo istos ipsos profectus eorum per spiritum contuens [Balaam] tabernacula Israël eos nominat. Et verè, si quis scientiæ cepit aliquos profectus, & experimenti aliquid in talibus sumpsit; scit profectò, quòd vbi ad aliquam ventum fuerit theoriam & agnitionem mysteriorum spiritualium, ibi anima quasi in quodam tabernaculo demoratur: cùm verò ex his, quæ reperit, alia rursus rimatur, & ad alios proficit intellectus; inde quasi eleuato tabernaculo tendit ad superiora, & ibi collocat animæ sedem, sensuum stabilitate confixam:

*Domus & Tabernaculũ qui differat?*

*Progressus per tabernacula quis sit spiritualiter.*

xam: & inde iterum ex ipsis alios inuenit spirituales sensus, quos priorum sine dubio sensuum consequentia patefecerit: & ita semper se ad priora extendens, tabernaculis quibusdam videtur incedere. Numquam est enim, quando anima scientiæ igniculo succensa otiari possit & quiescere; sed semper à bonis ad meliora, & iterum ad superiora à melioribus prouocatur. *Ita Origenes.*

*Et paullo post, ad illa verba:* Et sicut tabernacula quæ fixit Deus. Alia ergo, *inquit*, tabernacula ostendit esse, quæ fixit Dominus, quibus similia sint tabernacula Israël. Extra hunc mundum me progredi conuenit, vt videam quæ sint tabernacula, quæ fixit Dominus. Illa nimirum sunt, quæ ostendit Moysi, cùm tabernaculum construeret in deserto, dicens ei: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Ad imitationem ergo istorum tabernaculorum quæ fixit Dominus, iubetur Israël facere tabernacula, & vnusquisque nostrûm expedire & fabricare tabernaculum suum. Vnde mihi videtur non fortuitò contigisse, vt Petrus quidem, & Andreas, & filij Zebedæi arte piscatores inuenirentur, Paulus verò arte faber tabernaculorum: & sicut illi vocati ab arte capiendorum piscium, mutantur & fiunt piscatores hominum, dicente Domino: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum:* non dubium quin & Paulus, qui & ipse per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM vocatus Apostolus est, simili artis suæ transformatione mutatus sit. & sicut illi ex piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt: ita & iste à faciendis tabernaculis terrenis, ad cælestia tabernacula construenda translatus sit. Construxit enim cælestia tabernacula, docens vnumquemque viam salutis, & beatarum in cælestibus mansionum iter ostendens. Fecit & tabernacula Paulus, cùm ab Hierusalem in circuitu, vsque ad Illyricum repleuit omnia euangelio Dei, ecclesias construens: atque ita fecit & ipse tabernacula ad similitudinem tabernaculorum cælestium, quæ ostendit Deus in monte Moysi. Sed & vnusquisque nostrûm, (si quis tamen exiuit de Ægypto, & habitat in deserto,) in tabernaculo debet habitare, & diem festum in tabernaculis agere. Sicut enim commemoratio egressionis ex Ægypto fit per pascha & azyma; ita & commorationis in deserto memoria fit per tabernacula. In tabernaculis enim habitauerunt Patres nostri in deserto. *Sic ibi.*

Exodi 25. v. 40.

S. Paullus tabernaculorum structor.

Matth 4. v. 19.

*Et breui post:* Cùm ex iis quæ scripta sunt, proficit anima, & semper quidē ea quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora se extendens, & de loco inferiore progrediens, crescit ac proficit ad superiora; ex augmento virtutum, & ex ipsa immutatione profectuum, in tabernaculis meritò dicitur habitare. *Denique subdit ibidem exhortatiunculam ad vitam perfectiorem & eremiticam, quæ fauere videtur Patribus Carmelitanis originem à Carmelo monte & à Prophetis Elia & Elisæo, eorúmque filiis seu sectatoribus, sibi vindicantibus, dum ita scribit:*

Anima proferitus ad superiora.

PP. Carmelitani à Carmelo monte oriundi.



*Verba*

*Verba Origenis.*

§. 7. Si intellexisti, *inquit*, quantam requiem habeat iter sapientiæ, quantum gratiæ, quantumque dulcedinis; noli dissimulare, noli negligere, sed aggredere hoc iter, nec eremi solitudinem perhorrescas. Habitanti enim tibi in huiusmodi tabernaculis occurret manna cæleste, & Angelorum panem manducabis. Incipe tantùm, nec te perterreat, vt diximus, solitudo deserti: citò in consortium tuum etiam Angeli venient. &c. *In quibus alludit ad vitam Eliæ & Elisæi, quibus succurrerunt in necessariis temporibus Angeli.*

*Anima pia & casta est Dei sponsa.* *De anima pia & casta, quòd sit sponsa Dei, dignáque eum intueri, breuiter & pulchrè aperit Origenes homilia 4. in canticum canticorum initio,* *Cant. cantic. 2. v. 14. in 70. Interp.* *ad illa verba*: Surge, veni proxima mea, sponsa mea, columba mea: *vbi sic inter alia.*

Sed, interim primus Sermo Dei loquatur ad hanc speciosam, decoramque animam, cui per sensus corporeos, id est, per intuitum lectionis, & per auditum doctrinæ, quasi per fenestras apparuit, proceritatemque suæ magnitudinis demonstrauit: ita vt in superioribus loqueretur ei incumbens, atque inde euocans eam, vt procedat foras & extra sensus corporeos effecta *Rom. 8. v. 9.* desinat esse in carne, vt meritò audiat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Non enim aliter diceret eam Verbum Dei *proximam* sibi, nisi se ei coniungeret, & vnus cum ea spiritus fieret: nec diceret eam *speciosam*, nisi videret imaginem eius renouari de die in diem: & nisi videret eam capacem Spiritus sancti, qui in specie columbæ descendit in Iordane super IESVM; non ei diceret, *columba mea.* Conceperat enim amorem Verbi Dei, & cupiebat ad ipsum volatu celeri peruenire dicens: *Psal. 54. v. 7.* *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.* Volabo sensibus, volabo intellectibus spiritualibus, & requiescam, cùm apprehendero sapientiæ & scientiæ eius thesauros. *Sic ibi.*

*Cant. cantic. 2 v. 14* *Et infrà, ad illud.* Vox tua suauis. ] Suauis, *inquit*, est vox animæ, cùm verbum Dei quod loquitur, cum fide & dogmatibus veritatis exponit: cùm dispensationes Dei & iudicia eius explanat. Si verò aut stultiloquium, aut *Perfecta anima linguæ est continens.* scurrilitas, aut vanitas de ore eius procedunt, aut verbum otiosum de quo reddenda sit ratio in die iudicij; insuauis & iniucunda vox ista est: ab hac *Psal. 140. v. 3.* voce Christus auertit auditum suum. Et ideo quæque perfecta anima *ponit ori suo custodiam, & ostium circumstantiæ labijs suis*: vt talem semper sermonem proferat, qui sale conditus det gratiam audientibus, & dicat de eo Verbum Dei: *quia vox tua suauis.* Ista Origenes.

Hactenus de Anima: nunc de Ecclesia Dei, quid senserit, quæ scripserit, quo spiritu eam defenderit Origenes, bonum erit factum diligenter attendere.

CAPVT VIII.

# CAPVT VIII.

## *ECCLESIA DEI.*

*Hom. 2. in Ezechielem.*

AGETVR hîc de Ecclesia, vt est cœtus Christianorum toto orbe sparsus, & in eadem fide concordans. Origenes igitur docet Ecclesiam Dei toto orbe esse diffusam, & continere bonos & malos, quamuis studeat omnes reddere bonos: vt sicut vnum sunt in fide, ita sint & in charitate. Verba eius homilia 2. in Ezechielem post medium, sunt ista: *Ecclesia nostra, quæ non tantùm in Ælia est, nec solum Romæ, nec Alexandriæ dumtaxat, sed toto orbe diffusa, similitudinem refert sagenæ omne genus piscium continentis: in quam quæ incidunt, non omnia bona sunt: cùm dicat Saluator* : Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. *Oportet ergo in sagena totius Ecclesiæ esse & bona & mala. Si enim vniuersa munda sunt, quid derelinquimus iudicio Dei? Sic iuxta aliam parabolam, & frumentum, & palea in area continentur, cùm tamen solum frumentum in Christi horrea congregandum sit, & discernenda palea ab eo, cuius ventilabrum in manu eius, qui & mundabit aream, & congregabit frumentum in horreum, paleas verò consumet igne inextinguibili. Neque enim assero aream esse totum mundum, sed aream intelligo esse cœtum populi Christiani. Quomodo autem vnaquaque area circumscripta est, & plena frumento vel paleis: sic in terra ecclesiis alius est frumentum, & alius est palea.*

*1. Documentum: Ecclesiam Dei esse Catholicam.*

*Matt. 13. v. 48.*

*2. Contineri bonos & malos.*

*Luce 3.*

*Verùm ibi paleæ non habent ex se, nec per voluntatem suam, quòd sint paleæ, nec frumentum ex proprio arbitrio, quòd frumentum sit: hic autem in tua potestate positum est, vt palea vel frumentum sis. Hæc nos docere debent, vt si quando aliquis in nostris congregationibus viderit peccatorem, non scandalizetur, neque dicat*: Ecce peccator in cœtu sancto est: si hoc licet, si id conceditur, quare & ego non peccem? *Sed sciat, quòd dum in præsenti sæculo sumus, id est, in area & in sagena: tam mali quàm boni continentur: cùm autem Christus venerit, fiet discretio, & implebitur illud quod ab Apostolo dicitur*: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi: vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. *Hæc ibi.*

*3. In Iudicio extremo separatum iri bonos à malis.*

*2. Cor. 5. v. 10.*

Habet his similia in homilia 3. in Ieremiam post medium, ad illa eius verba, cap. 50. vers. 25. *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ.* Thesaurum Domini, *inquit*, ego confidenter dicam esse ecclesiam eius, & in isto thesauro, id est, in ecclesia, homines latitare, qui sunt vasa iræ. Veniet igitur tempus, quando aperiat Dominus thesaurum ecclesiæ.

siæ. Nunc enim clausa est ecclesia, & vasa iræ cum vasis misericordiæ inhabitant, & paleæ cum frumento sunt, & pisces perdendi ac projiciendi cum bonis piscibus, qui in retia inciderant, continentur: quam cùm aperuerit iudicij tempore, & protulerit exinde vasa iræ suæ, dicet forsitan is qui
Ioa. 2. v. 19. est vas misericordiæ de egredientibus vasis iræ. *Exierunt ex nobis: non enim erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Sic ille.

Docet autem in iam dictis Origenes tria potissimè, 1. Ecclesiam Dei esse Catholicam seu vniuersalem, hoc est, toto mundo diffusam 2. In ea promiscuè bonos & malos reperiri. 3. In extremo iudicio futuram separationem bonorũ à malis, & illos in cælo æternùm beatos, hos in inferno æternùm fore miseros: ac proinde bonis non æmulanda malorum peccata, eò quòd & ipsi sint ecclesiæ membra: nec enim semper fore, sed exiguo tantùm huius vitæ breuis & caducæ curriculo.

Docet præterea, quamuis in ecclesia multi sint peccatores & adulteri, ec-
4 Documentum: Ecclesiam esse virginem. clesiam tamen esse virginem: eo quòd virginitas eius sit fides eius, quæ in omnibus verè Christianis est vna & pura. Nam homilia XII. in caput XXI. Leuitici, post medium, ad illa verba: *Hic virginem vxorem de genere suo accipiet*] post allata verba Paulli 2. Cor. 11. *Despondi enim vos vni viro*
2. Cor. 11. v. 2. *virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo,* sic scribit: Vult ergo Paullus, *inquit*, omnes Corinthios virginem castam exhibere Christo, quod vtique nunquam vellet, nisi id possibile videret. Vnde & mirum fortasse videatur, quomodo si qui diuersis peccatis corrupti ad fidem Christi venerint, omnes simul virgo casta dicantur: quæ virgo tam sancta, tam casta sit, vt mereatur etiam Christi nuptiis copulari. Verùm quoniam hæc ad carnis integritatem referre non possumus, certum est quòd ad integritatem animæ spectent, cuius secundùm Paulli sententiam simplicitas fidei quæ in Christo est, virginitas eius appellata est: & per hoc, quoniam cessantibus vel philosophorum sophismatibus, vel superstitionibus Iudaicis, in fide simplici Christus sibi assumpsit Ecclesiam, virginem de genere suo accepit vxorem. Huius namque fidem non corrumpit philosophicus sensus, nec circumcisionis ambitio, sed in simplicitate confessionis, tanquam in virginali integritate, permansit. Sic enim & dudum promiserat per prophetam dicens: *Desponsabo te mihi*
Osee 2 v. 20. *in fide.* Omnis ergo secundùm Apostolum, qui in Christo est, noua crea-
Ephes. 5. v. 27. tura est. Et sicut idem Apostolus dicit: *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Quomodo ergo eam, quæ rugosa est, facit esse sine ruga? nisi quia renouat eam? secundùm id quod scriptum est:
2. Cor. 4. v. 16. *Licet is qui foris est noster homo, corrumpitur tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* Ita ibi Origenes.

Ecclesiam

*5. Documentum. Ecclesiam Dei fulgere miracula.*

*Ecclesiam Dei fulgere miraculis & martyrijs, non vno loco, sed pluribus idem commonstrat Origenes; atque in primis libro 1. Contra Celsum, his verbis:*

Significatum porrò arbitror sanctum Spiritum per columbæ speciem: idque colligo ex IESV miraculis, quibus Celsus struit calumniam, asserens ab eo facta Ægyptiacis artibus. Neque ex iis solis sumam argumentum, verùm etiam, vt par est, ex his quæ patrauerunt IESV Apostoli. Non enim illi sine virtutibus & miraculis mouissent auditores nouæ doctrinę, vt relictis institutis patrijs, reciperent eorum doctrinam, receptamque vsque ad mortem tuerentur, contemptis omnibus periculis. Quin & hodie vestigia Spiritus illius Sancti visi in columbæ specie seruantur apud Christianos.

*Miracula in Ecclesia.*

Excantant ipsi dæmonia, multas sanationes perficiunt, Dei voluntate futura præuident. Irrideat licet Celsus, aut introductus ab eo Iudæus, quod dicetur; dicetur tamen, multos penè inuitos ad Christianam religionem, Spiritu quodam repente eorum mutante intellectum, esse attractos: ita vt pro Verbo id temporis exoso, non dubitarent post oblatas sibi, seu vigilantibus, seu dormientibus visiones, mortem oppetere. Multa enim ipsi talia vidimus, quæ si referremus nobis præsentibus atque cernentibus facta, multum cachinnum tollerent infideles, rati nos quoque, sicut illos, de quibus malè suspicantur, ea fingere. *Sic ibi.*

*Martyria tempore Origenis.*

*Et libro 2. contra eundem Celsum negantem miracula Christianorum, & ea conferentem cum signis Ægyptiorum:* Celsus, *inquit*, eiusdem generis esse facit ea, quæ sunt diuersi. At verò sicut lupus non est eiusdem cum cane generis, licet in corporis figura & in voce aliquid videatur habere simile; neque item palumbes eiusdem cum columba naturæ; ita longè aliud est, quod virtute diuina efficitur, quàm quod præstigijs magicis.

*Deinde probat ex eo, quòd dentur falsa prodigia, etiam dari vera: & si quis illa concedat, & hæc neget; illum ei similem videri, qui fateretur dari sophismata, & rationes quasdam verisimiles, quamuis nihil habeant veritatis; & negaret interim vllam dari posse veram & dialecticam, atque à sophismate alienam.*

*6. Documentum.*

Post hæc modum affert, quo vera & sincera prodigia, à falsis & adulterinis dignosci possint, & sic ait:

*Modus distinguendi prodigia vera à falsis.*

Quin certis indicijs, *inquit*, examinamus promissores talium miraculorum, partim ex vita moribusque patrantium, partim ex ijs, quæ ipsa signa consequuntur; nimirum, an damnum aliquod mortalium, an contrà morum emendatio? vt ita sciamus, & quænā ab incantatoribus & præstigiatoribus fiant ministerio Dæmonum, & quæ in loco puro & sancto ab hominibus, anima, & spiritu, adeoque & corpore, vt reor, diuina passis, ad vtilitatem hominum, & ad fidei in Deum verum persuasionem, designentur.

*Verba Origenis.*

*Quàm distent præstigia Incantatorum à prodigijs Christianorum.*

*Rectißimè in his declarat Origenes latißimum discrimen, quod inter prodigia Christianorum, & præstigias magorum deprehenditur: quòd Christiani*

*ani scilicet plurimùm in locis sacris, & ipsi corpore & anima & spiritu purificati, Deoq; afflati ad hominum vtilitatem, & fidei confirmationem prodigia faciant: illi autem quouis in loco, tempore, occasione, cum nulla animarum vtilitate, & sola ferè honoris aut gloriæ aut lucri cupidine, & ipsi quidem impuri & inexpiati ea patrent.*

*De iisdem veris in Ecclesia miraculis sua ætate fieri recognitis agit rursus Origenes tomo 26. in Ioannis Euangelium, vbi de Christo miracula designante sic scribit:* Tomo 26. in Io.mnem.

Atque inimici quidem dicentes ipsum habere dæmonium, ipsi videant: nos vero illi credamus dicenti: *dæmonium non habeo.* Neque enim potest dæmonium oculos cæcorum aperire, vel hæc signa facere, quæ scripta sunt: quorum etiam vestigia & reliquiæ in præsens supersunt in Ecclesijs in nomine Domini. *Hæc ibi.* Ioan. 8. v. 49.

*De martyrijs similiter non virorum dumtaxat, sed & mulierum, ac virginum, immo & tenellarum puellarum, quæ suis ipse oculis viderit, testatur in homilia IX. in Iudices, sub medium: vbi postquam docuit in sacræ militiæ castris sæpe etiam mulieres vincere, quia in ijs scilicet non corporis robore, sed animi virtute pugnetur, tum ita subdit:* Sed quid tam longè nobis antiquorum exempla reuoluimus? Ipsi oculis nostris sæpe vidimus mulieres & virgines primæ adhuc ætatis, pro martyrio tyrannica pertulisse tormenta: quibus ad infirmitatem sexus nonnulla adhuc vitæ fragilitas addebatur. Hom. 9 in Iudices. Verba Origenis.

*De Ecclesiæ celeribus incrementis (ad quæ ista duo plurimum iuuerunt, martyria, inquam, & miracula) strictim attigit idem Origenes homilia 3. in Canticum cantic. ad illa verba Cantic. 2. v. 8. Saliens in montibus, transiliens colles.* Si enim consideres, *inquit*, quomodo parui temporis spatio occupatum falsis superstitionibus mundum sermo Dei percurrit, & ad agnitionem veræ fidei adduxit, intelliges quomodo *saliat super montes*, magna videlicet quæque regna saltibus suis superans, & ad accipiendam diuinæ religionis cognitionem inclinans; *& exiliat super colles*, cùm etiam minora regna velociter subiugat, atque ad pietatem veri cultus adducit: atque sic de loco ad locum, de regno ad regnum, de prouincijs ad prouincias prædicationis illustratione transiliens, per eum qui dicebat, *quòd ab Ierusalem in circuitu, vsque ad Illyricum repleuerit Euangelium Christi*; intelliges, inquam, quomodo veniat *saliens super montes, & transiliens colles.* Sic ibi. Homilia 3. in Canticum cantic. Ad Rom. 15. v. 19.

7. Documentum. Ecclesiæ optimum fuit firmamentum accurata disciplinæ obseruatio. L. 3. contra Celsum.

*Quemadmodum autem martyria & miracula ad multiplicationem fidelium præcipuè conduxerunt; sic optima Ecclesiæ disciplina, & ratio perquàm accurata examinandi ad fidem accedentes, & puniendi delinquentes, & erudiendi in fide perseuerantes, longè plurimùm ad virtutum morumque progressionem ac perfectionem adiuuerunt. De qua Ecclesiæ disciplina egregiè scripsit Origenes in libris Contra Celsum, nominatim in 3. hisce verbis: Philosophi propa-*

*L. 3. contra Celsum.*

propalàm, *inquit*; apud vulgus hominum differentes, non sunt in discernendis auditoribus curiosi, sed promiscuè quisquis vult, adstat & auscultat: Christiani verò, quantum possunt, præexaminant animos audire se cupientium: ac primò quidem priuatim edoctos, priusquam in cœtum recipiantur: Deinde vbi eò vsque viderint profecisse, vt honestæ vitæ sint cupidi, tum demum introducunt, vt distinctis ordinibus, altero recens admissorum, & necdum assecutorum Illustrationis symbolum; altero eorum, qui pro virili se nihil aliud velle, quàm quæ Christianis probentur, professi sunt: quibus aliquot attributi sunt, qui inquirant in vitas & mores accedentium, vt illicita facientes à suis conuentibus arceant: alios verò illis dissimiles, toto animo suscipientes, quotidianis processibus meliores efficiant. Iam autem erga peccantes, & maximè erga libidinosos, quàm seuera disciplina? quos è communi eijciunt, quamuis Celsi iudicio circumforaneis nugatoribus consimiles censeantur. Et Pythagoreorum quidem veneranda schola ponebat cenotaphia desertoribus suæ disciplinæ, nimirum quòd haberet eos pro mortuis: nostri verò, vt perditos Deóque mortuos lugent eos, qui libidine alióue simili peccato victi fuerint: ac rursum velut à mortuis resurgentes, (si quidem dignam vitæ mutationem ostenderint) post longiorem melioris mentis probationem, quàm cùm admissi primùm fuerant, tandem sic eos recipiunt: vt quandoquidem lapsi sint, ab omnibus in posterum dignitatibus & magistratibus ecclesiasticis excludantur. *Sic ibi. Et post quædam alia, rursus ita prosequitur:*

*Proselyti.*

*Catechumeni.*

*Excommunicatio.*

*Pythagoreorum in desertores pœna.*

Nos autem, *inquit*, modis omnibus operam damus, vt conuentus noster ex hominibus prudentibus constet: & quæcunque in nobis habemus præclara ac diuina, hæc in nostris ad concionem sermonibus in medium proferimus, si quidem intelligentes adsint auditores: alioqui in eorum cœtu, qui opus habent lacte, sensus profundiores celamus ac reticemus.

*Et infrà ibidem, cùm calumniatus fuisset Celsus doctores Christianos, auertere pueros & mulierculas à patribus suis, & à magistris præstantiora docentibus, ita respondit Origenes:* A quibusnam, amabo, *inquit*, patribus sapientibus, & à quibus magistris seria docentibus pueros paruulos & mulierculas alienamus? Producat hos Celsus, & conferat cum illis pueris ac feminis, qui ad doctrinam nostram ventitant, videatque, vtri ex illis meliora audiant, & an à pulchris & venerandis disciplinis pueros & mulierculas auertentes, ad peiora prouocemus. Verùm nihil poterit eiusmodi contra nos producere. Quin è contrario, nos mulierculas ab impudicitia, & à simultatibus cum maritis, & ab omni theatrorum, & saltationum, & superstitionum insania auocamus. *Hæc ille.*

*Præterea de Christianorum moribus in Ecclesia, ac præsertim de amo-*

*re cultuque castitatis præ omni alio hominum genere, ita scribit lib. VII. contra Celsum.*

*Castitas Christianorũ aliis ceterorum hominũ collata & prælata.*

Ceterùm, *inquit*, homines idiotæ, & ab illis pro nihilo habiti, velut stulti & illiberales, si modo committant se in fidem Dei, & doctrinam IESV recipiant, tantum absunt ab omni lasciuia, spurcitia & turpitudine libidinum; vt in morem perfectorum Sacerdotum ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum purè casteque viuant, alieni à congressu mulierum etiam legitimo. Et apud Athenienses quidem Ethnicos, vnicus Pontifex ne ipse quidem satis sibi fidens, oblitis cicuta virilibus, satis idoneus ad castè obeundas eius ciuitatis solemnes cærimonias reputatur: at apud Christianos non desunt viri, quibus ad hoc cicuta nihil est opus, vt Deo castè seruiant: sed pro cicuta Verbum Dei illis sufficit ad expellendas ex animo omnes cupiditates, & ad vacandum precationibus. Apud alios quoque, vt putantur; Deos, virgines paucæ numero, siue ab hominibus custoditæ, siue non, (nec enim hoc nunc quæritur) perseuerare videntur in castitate, religionis gratiâ: ceterùm apud Christianos non ob honores humanos, non propter mercedes pecuniarias, non inanis gloriæ caussa, sed vnius veri Dei respectu virginitatis studium viget. Qui & simul atque illius percepere notitiam, ab eodem in hac mente laudabili, & in pietatis officijs, pleni omnimoda bonitate atque iustitia conseruantur.

*Virginitas vera.*

*Et paulo pòst, sic de eisdem.*

Quum & apud hos, qui vel propter litterarum imperitiam, vel propter simplicitatem, vel propter doctorum penuriam ad pietatem adhortantium, minùs hæc intelligunt: credunt tamen in Deum maximum, & in eius vnigenitum Filium, Verbum Deum & hominem, inuenire est grauitatem, puritatem, morum probitatem ac simplicitatem, sæpenumero illis potiorem, qui se sapientes nominant. *Sic ibi.*

Alias Ecclesiæ Catholicæ plusculas laudes, breues illas quidem, sed pulchras ac solidas, passim in suis libris sparsit Origenes, nunc eam *pandochium* appellans, quòd cunctos ad se confluentes benigno ac velut hospitali sinu excipiat; nunc *montem oliuarum*, nunc *paradisum deliciarum*, nunc *domum Dei viuentis, nunc columnam & firmamentum veritatis*, nunc aliud atque aliud.

*Ecclesia est Pãdochium.*

*Igitur homilia 34. in Lucam, sub initium*: Iste Samaritanus, *inquit*, peccata nostra portat, & pro nobis dolet, portat seminecem, inducit in pandochium, id est, in ecclesiam, quæ omnes suscipit, & nulli auxilium denegat: ad quam cunctos prouocat Iesus dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et postquam induxit eum non statim recedit, sed vno die in stabulo cum seminece perseuerat, & curat vulnera, non solùm in die, verùm etiam in nocte, reliquam sollicitudinẽ suam & industriam tribuens. *Sic ibi.*

*Matth. 11. v. 28.*

Et

*Et tractatu* 14. *in Matthæum*, Mons oliuarum, *inquit*, est Ecclesia, in qua fructificantes fideles dicere possunt: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei:* qui autem ad eum adducuntur habentes initia fidei, *sunt sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ Christi*, quia sunt filij eius. *Ita illic.* *Est mons oliuarum.* *Psal.* 51. *v.* 1.

*In commentario autem Cantici canticorum, homilia* 3. *super illis verbis*: *Tigna domorum nostrarum cedrina, &c.*

Videtur, *inquit*, Ecclesia describi à Christo, quæ est domus spiritualis, & domus Dei, sicut & docet Paullus dicens: 1. Timot. 3. v. 14. *Si autem tardauero; vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Si ergo Ecclesia, domus Dei est (quia omnia, quę habet Pater, filij sunt) Ecclesia, domus filij Dei est. *Et infrà ibidem, loquens de Patre*: Ipse enim est, qui plantat huiusmodi arbores in Ecclesia Christi, quæ est paradisus deliciarum. Sicut & Dominus dicit: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cælestis eradicabitur. *Sic ibi.* *Homil.* 3. *in Canticum cant.* *Est domus Dei.*

*Et homilia* 3. *ibidem*: Anima, *inquit*, quæ in Ecclesia esse dicitur, non intra ædificia parietum collocata intelligitur, sed intra munimenta fidei, & ædificia sapientiæ posita, celsisque fastigijs charitatis obtecta. Propositum ergo bonum; & fides rectorum dogmatum, animam esse in domo Ecclesiæ facit. *Et homilia* 4. *ad illa verba*: Quia vox tua suauis est.

Et quis non fatetur, *inquit*, suauem vocem Ecclesiæ catholicæ fidem veram confitentis? insuauem verò & iniucundam esse hæreticorum vocem, qui non dogmata veritatis, sed blasphemias in Deum, & iniquitatem in excelsum loquuntur? Sic & facies Ecclesię speciosa est, hæreticorum verò turpis & fœda: si quis sit tamen, qui bene nouerit pluchritudinem vultus probare, id est, si quis sit spiritualis, qui sciat omnia examinare. Nam apud imperitos & animales homines pulchriora videntur mendacii sophismata, quàm dogmata veritatis. *Sic ibi.*

Ex hac porrò, ex hac inquam Ecclesia, & non ex vlla alia fuit, & se fuisse professus est Origenes, cùm quauis oblata occasione, eos hæreticos, qui illam impugnabant, inuasit, retudit, confudit: & speciatim cùm explicans aduersus Marcionitas respuentes testamentum vetus, illum S. Luc. locũ, c. 2. *Luc.* 2. *v.* 34. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël:* ostendit conformitatem vtriusque testamenti; nec veteris auctorem (vt ipsi blaterabant) malum esse ac sæuum; noui autem, bonum ac mitem: cùm & in nouo reperiantur, quę sonent seueritatem non minùs quàm, in vetere, & vtriusque testamenti idem sit Deus: quemadmodum credit Ecclesia, cuius ipse sit filius. Postquam enim dixit illos quęrere rationes excusandi ea, quæ in nouo testamento (quod ipsi recipiunt) acerba videntur & sæua: vt sunt, *poni in ruinam multorum*: *facere, vt qui vident, cæci fiant*: & similia. In vetere autem testamento non item, sed statim accusare, vt sæua, & à Deo sæuo manantia: tùm de se ita subdit. *Ego verò, quia opto*

Origenes Ecclesiæ filium se profitetur. *esse Ecclesiæ filius, & non ab hæresiarcha aliquo, sed à Christi vocabulo nuncupari, & habere nomen quod benedicitur super terram, & cupio tam*
Verba Origenis. *opere, quàm sensu, esse & dici Christianus, æqualem in veteri & nouâ lege quæro rationem. Loquitur Deus: Ego interficiam libenter habeo, vt interficiat me Deus. Quamdiu enim vetus in me homo est, & viuo adhuc quasi homo, cupio vt occidat me Deus veterem hominem, & viuificet me*
1. Cor. 15. v. 47. *ex mortuis. Primus enim homo, ait Scriptura, de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Secundùm hunc sensum intelligitur & illud: In iudi-*
Ioan. 9. v. 39. *cium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Habemus in nobis omnes homines & visum, & cæcitatem. Adam & videbat, & non videbat. Eua quoque, antequàm aperirentur oculi eius, vidisse scribitur. Vidit,* inquit, *mulier lignum quod bo-*
Visus & cæcitas in eodem homine. *num esset ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Igitur*
Genes. 3. v. 6. *non erant cæci, sed videbant. Deinde sequitur: Et aperti sunt oculi amborum. Ergo cæci fuerant, nec videbant, quorum oculi postea sunt aperti.*
Ibidem, v. 7. *Sed qui bene antè viderant, postquam Domini mandatum prætergressi sunt, cœperunt malè videre, & aspectum obedientiæ, subripiente delicto, postea perdiderunt. Vide ibi plura.*

# CAPVT IX.

## *ECCLESIÆ COETVS commendati.*

Homil. X. in Genesim initio. QVAM cordi habuerit Origenes Ecclesiæ cœtus, vt quàm frequentissimi fierent, non dominicis modò & festis diebus, sed aliis quoque, patebit ex ijs, quæ sumpta de homilijs eius subiungam. Igitur *homilia X. in Genesim*, vbi agens de Isaac, quod *gaudium* significat, sic ait:

Verba Origenis. Atque vtinam efficeremini etiam vos Isaac, & essetis gaudium matris vestræ Ecclesiæ! Sed vereor ne, adhuc in tristitia & gemitu Ecclesia filios pariat. An non est ei tristitia & gemitus, cum vos non conuenitis ad audiendum Dei verbum, & vix festis diebus ad Ecclesiam proceditis? & hoc, non tam desiderio verbi, quàm studio solemnitatis, & publicæ quodammodo remissionis obtentu. Quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? qui licet inutilis seruus sim, accepi tamẽ à Domino, distribuendam familię dominicę tritici mẽsuram.

Sed

Sed vide, quid addit sermo Domini, distribuendam, inquit, *in tempore tritici mensuram.* Quid ergo faciam? vbi, vel quando vestrum tempus Luce 12. v.
inueniam? Plurimum ex hoc, immo penè totum tempus mundanis occu- 42.
pationibus teritis in foro, aliud in negotiatione consumitis; alius agro, alius litibus vacat, & ad audiendum Dei verbum, nemo aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? quid de absentibus conqueror? præsentes etiam & in ecclesia positi non estis intenti: sed communes ex vsu fabulas teritis: verbo Dei vel lectionibus diuinis terga obuertitis. Vereor, ne & vobis dicatur à Domino illud, quod per Prophetam dictum est: *Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Ierem. 18.

*Et infrà*: Sine intermissione orandum præcipit Apostolus: vos qui ad v. 17.
orationes non conuenitis, quomodo impletis *sine intermissione*, quod semper omittitis? Sed & Dominus præcipit, Matthæi 26. v. 41. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Quòd si illi vigilantes & orantes & semper verbo Dei adhærentes, tentationem tamen nequaquam effugerunt, quid facient hi, qui diebus tantùm solemnibus ad ecclesiam conueniunt? *Et inferius*: Obsecro vos, qui auditorio verbi semper assistitis, patientes estote, dum negligentes ac desides tantisper commonemus: habetote patientiam, quia de Rebecca nobis, id est, de patientia sermo est: & necesse nobis est, eos qui concionem negligunt, & audire verbum Dei declinant, per patientiam tantisper castigate, vt pote qui verbum panem vitæ non desiderant, nec aquam viuam; qui non exeunt de castris, nec procedunt de domibus luteis, vt colligant sibi manna: qui non veniunt ad petram, *vt bibant de spirituali petra. Petra enim est Christus*, vt Apostolus ait: Habetote vos, in- 1. Cor. 10.
quam, paululùm patientiam: sermo enim nobis est ad negligentes, & eos v. 4.
qui malè habent. Sani enim non indigent medico, sed malè habentes. Dicite mihi vos, qui tantummodò diebus festis ad Ecclesiam conuenitis, ceteri dies non sunt festi? non sunt dies Domini? Iudæorum est dies certos & ratos obseruare solēnes: & ideo ad eos dicit Deus: *Neomenias vestras & sabbata, & diem magnū non sustineo. Ieiunium, & ferias, & neomenias ve-* Isaie 1. v.
*stras, & dies festos vestros odit anima mea.* Odit ergo Deus eos, qui 30.
vnum diem putant esse festum Domini. Christiani verò omni die camē agni comedunt, id est, carnes verbi Dei quotidie sumunt. *Pascha enim nostrum immolatus est Christus.* Et quia lex Paschæ talis est, vt in vespera 1. Cor. 5. v. 7.
comedatur, propterea in vespera mundi passus est Dominus, vt tu semper manduces de carnibus verbi: quia semper, in vespera es, vsquequo veniat mane: & si in hac vespera sollicitus fueris, & in fletu ac ieiuniis, atque omni labore iustitiæ vitam duxeris, poteris & tu dicere: *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Lætaberis enim mane, id est, in sæculo Psal. 29. v. 6.
futuro, si in hoc sæculo fructum iustitiæ in fletu & labore collegeris. Hæc ibi Origenes.

In eadem homilia ante medium. Thess. 5. v. 41. In ead. hom. in medio.

*Sic & in homilia 9. in caput 16. Leuitici, ante medium:* An tu putas, *inquit*, qui vix diebus festis ad Ecclesiam venis, nec intentus es ad mandata, quòd possit sors Domini venire super te? Optamus tamen, vt vel his auditis operam detis, non solùm in ecclesia audire verba Dei, sed & in domibus vestris exerceri, & meditari in lege Domini die ac nocte. Et ibi enim Christus est, & vbique adest quærentibus se. Propterea namque mandatur in lege, vt meditemur eam, & cùm ambulamus in itinere, & cùm sedemus in domo, & cùm iacemus in cubili, & cùm exsurgimus: & hoc est verè pro foribus exspectare Pontificem morantem intra Sancta Sanctorum, & effici in sortem Domini. Quod autem dicimus de sorte, non ita accipiat auditor, quasi sors talis aliqua dicatur, qualis inter homines casu & non iudicio agi solet: sed sors Domini ita accipienda est, tanquam si diceretur electio Domini, vel pars Domini.

*Hom. 9. in cap. 16. Leuitici.*

*Sors in Scriptura quid significet.*

*Et infrà, post nonnulla de extremo iudicio & fidei defectu è Scripturis grauiter dicta, ita subijcit:* Sed vnde possumus hæc, vel sentire, vel credere, vel intelligere, cùm ne ad hæc ipsa quidem audienda conueniamus? Quis enim vestrûm, dum recitantur Scripturæ, præbet auditum? Deus per Prophetam comminatur, & quidem in ira magna: *Et mittam famem super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei.* Habemus enim panem viuum qui de cælo descendit: habemus aquam viuam salientem in vitam æternam.

*Verba Origenis.*

*Amos 8. v. 11.*

*Fames verbi Dei.*

Cur nos igitur ipsos fœcunditatis tempore, & fame necamus & siti. Pigræ ac desidis animæ est, in abundantia, omnium penuriam pati. Non auditis è diuinis Scripturis, quòd certamen sit inter homines, carni aduersus spiritum, & spiritui aduersus carnem; & nescitis, quod si carnem solam nutriatis, & ipsam frequenti mollicie, & iugi deliciarum fluxu foueatis, insolescet necessariò aduersus spiritum, & efficietur illo fortior? Quod si fiat, eum sine dubio in suam ditionem redactum, suis coget legibus ac vitijs obedire. Si verò ad ecclesiam frequenter venias, aurem diuinis litteris admoueas, explicationem mandatorum cælestium capias: sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, & sensibus robustior factus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta enim spiritus, sunt diuina lectio, precationes assiduæ, sermo doctrinæ: his alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis: nolite dicere, quia volumus, sed non possumus: volumus continenter viuere: sed carnis fragilitate decipimur, & stimulis eius impugnamur. Tu es, qui das stimulos carni tuæ, qui eam aduersus spiritum armas, & potentem facis, cùm eam carnibus saties, vino nimio inundas, omni mollicie palpas, & ad illecebras nutris. An nescis, quòd non possit ędificium istud ecclesiæ è lapidibus leprosis construi? *Sic ille.*

*Spiritus & carnis pugna.*

*Spiritus alimenta contra carnem.*

*Carnis arma contra Spiritum.*

*Et post nonnulla ibidem:* Sed in his omnibus, quid de illis dicam, *inquit*, qui nec audiunt auribus hæc, nec corde recipiunt? Quæ in illis compunctionis

punctionis spes? quæ conuersionis suspicio? quæ emendationis exspectatio? Si enim etiam de his, qui audiunt, dubitamus? quid speramus de his, qui omnino, non audiunt? Sed vtamur verbis Domini., & dicamus: *Qui habent aures audiendi, audiant*, & qui audiunt, sciant scriptum esse: quia cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Et si dixeris tu peccata tua prior, ego exaudiam te tanquam populum sanctum. Matt. 13 v. 9.

*Denique eâdem ferè extremâ homilia 3. aduersus eos, qui sacris cœtibus se subtrahunt, sic ait*. Infelix, *inquit*, anima, cuius fidei ignis exstinguitur, & refrigescit charitatis calor; ad quam cùm venerit cælestis Pontifex noster, quærens ab ea ignitos & ardentes carbones, super quos incensum offerat Patri, inuenit in ea aridos cineres, & frigidas fauillas.

Tales sunt omnes, qui se subtrahunt & elongant à Verbo Dei, ne audientes sermones diuinos accendantur ad fidem, incalescant ad charitatem, inflammentur ad misericordiam. Vis tibi ostendam, quomodo de verbis Spiritus sancti, ignis exeat, & accendat corda credentium: audi dicentem Dauid in psalmis: *Eloquia Domini ignita*. Et iterum in Euangelio scriptum est, postquam Dominus locutus est ad Cleopham: *Nonne cor nostrum, inquit, ardens erat in nobis, dum aperiret nobis scripturas*. Tu ergo vnde ardebis? vnde inuenientur in te carbones ignis, qui numquam Domini igniris eloquio? numquam verbis Spiritus sancti inflammaris? Audi & alibi ipsum Dauid dicentem: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Vnde tu concalescis? vnde tibi ignis accenditur, qui numquam in diuinis meditaris eloquiis? immo (quod est infelicius) qui cõcalescis in Circi spectaculis, in equorum contentionibus, in certaminibus athletarum. Atqui iste ignis non est de altari Domini, sed is est, qui dicitur ignis alienus: & audisti paullò superiùs, quod qui obtulerunt ignem alienum coram Domino, exstincti sunt. *Hæc ibi.* Psal. 118. v. 140. Lucæ 24 v. 32. Psal. 38. v. 4.

*Et contra eos, qui in ipsis cœtibus aliud agunt, nec satis intelligentiæ eorum, quæ in Scripturis leguntur, aut explicantur, attendunt locum habet minimè negligendum homilia 12. in caput 34. Exodi, sub initium, vbi post producta Paulli verba, 2. ad Cor. 3. quibus Iudæorum cæcitatem circa vetus testamentum perstringit, dicens*: Sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum: quum autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen, *ita subdit*: *Locus ex homil. 12. in cap. 34. Exodi.* 2. Cor. 3. v. 15. *Origenis verba.*

Igitur caussam, *inquit*, auferendi velaminis, conuersionem nostram dicit ad Dominum. Ex quo colligenda nobis sunt indicia, quòd quamdiu legentes Scripturam diuinam latet nos intellectus, siue quamdiu obscura sunt nobis, & operta quæ scripta sunt, nondum conuersi ad Dominum simus. Si enim conuersi ad Dominum essemus, sine dubio auferretur velamen. Sed & hoc ipsum conuerti ad Dominum, quale sit videamus. Atque vt euidentiùs scire possimus, quis sit conuersus, dicendum nobis priùs est, quis sit auersus. Omnis, qui cùm recitantur verba legis, communibus fabu- *Auersus à Domino quis dicatur?*

lis

lis occupatur, auersus est. Omnis, qui cùm legitur Moyses, de negotiis sæculi, de pecunia, de lucris sollicitudinem gerit, auersus est. Omnis qui possessionum curis stringitur, & diuitiarum cupiditate distenditur, qui gloriæ sæculi & mundi honoribus studet, auersus est. Sed & qui ab his quidem videtur alienus, & assistit, & audit verba legis, & vultu atque oculis intentus, corde tamen & cogitationibus euagatur, auersus est. Quid igitur nunc est conuerti ad Dominum? Si his omnibus terga vertamus, & studio, actibus, mente, sollicitudine verbo Dei operam demus, & in lege eius meditemur die ac nocte, omissisque omnibus Deo vacemus, & exerceamur in testimonijs eius: hoc est, conuersum esse ad Dominum. *Ista Origenes præclarè.*

*Conuerti ad Dominum quid sit.*

*Deinde continenter id probat à simili, & mirè exaggerat Christianorum circa Scripturas socordiam, quâ fit, vt non velamen tantùm habere dicantur super cor, ne intelligant; sed parietem potiùs murúmue intermedium.*

*Verba Origenis.*

*Conquirendarum liberalium artium & diuinarum cura quàm inæqualis.*

Tu ergo, *inquit*, si volueris filium tuum scire litteras, quas liberales vocant; scire, verbi gratiâ, grammaticam aut rhetoricam disciplinam, an non eum ab omnibus vacuum ac liberum reddis? An non omissis ceteris huic vni operam studio dare iubes? An non pædagogos, magistros, libros, impensas, aliaque, vt nihil desit, quoad vsque perfectum propositi studij opus reportet, suppeditas? Quis nostrûm ita se ad diuinæ legis studia conuertit? quis nostrûm tantam illis operam impêdit? Quis tanto labore diuinam quærit scientiam, quanto quæsiuit humanam? Et quid conquerimur, si, quod non didicimus, ignoramus? Aliqui vestrûm vt recitari audierunt quæ leguntur, statim discedunt: nulla de his, quæ dicta sunt, fit inuicem inquisitio, nulla collatio, nusquam memoria mandati illius, quo te diuina lex commonet: *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi: Seniores tuos & dicent tibi.* Alij ne hoc ipsum quidem patienter expectant, vsquequò lectiones in Ecclesia recitentur. Alij verò nec si recitentur sciunt, sed in remotioribus dominicæ domus locis, sæcularibus fabulis occupantur. De quibus ego ausus sum dicere, quòd cùm legitur Moyses, iam non velamen super cor eorum, sed paries quidã & murus sit positus. Si enim ille qui adest, & audit, & intentus est, & ea quæ audit & retractar, & discutit, quæ assequi non potest, percunctatur & discit vix; potest ad libertatem scientiæ peruenire: ille qui obturat aures suas ne audiat, & terga in faciem legentis obuertit, quomodo dicendus est velamen habere superpositum cordi, ad quem ne ipsum quidem velamen litteræ, quo sensus velatur (qui est sonus vocis, accessit? *Hac ibi Origenes, & post aliquanta. sic in eadem hom. 13. prosequitur:*

*Deuteronomy 32. v. 7. è. l. x x x. Int.*

*Dominica domus, id est templum.*

Videamus ergo, ne non solùm cùm Moyses legitur, sed & cùm Paullus legitur, velamen sit positum super cor nostrum. Et manifestè, si negligenter audimus, si nihil studij ad eruditionem & intelligentiam conferimus, non solùm legis & Prophetarum Scriptura, sed & Apostolorum & Euangeliorum, grandi nobis velamine regitur. Ego autem vereor ne, per nimiam negligentiam & stoliditatem cordis non solùm velata sint nobis diuina

volu-

volumina, sed & signata: vt & si detur in manus hominis nescientis litteras liber legendus, dicat, quia nescio litteras: Sin detur in manus hominis scientis litteras, dicat: quia signatus est. Vnde ostenditur, non modò studium ad sacras litteras adhibendum esse, sed & Domino supplicandum, & diebus ac noctibus obsecrandum, vt veniat Agnus ex tribu Iuda, & ipse accipiens librum signatum, dignetur aperire. Ipse est enim, qui Scripturas aperiens, accendit corda Discipulorum, ita vt dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Hactenus ex homilia illa 12. in caput 24. Exodi. Homilia verò sequente in caput 25. ante medium, eos qui tempore diuini sermonis alia mente agitant, ita strictim verberat: Quanti, *inquit*, modò hîc præsentes sunt, dum sermo Dei tractatur. Sunt quidem nonnulli, qui corde concipiunt, quæ lecta sunt: sed sunt & alij, qui omnino non concipiunt quæ dicuntur, sed eorum mens & cor, aut in negotijs versatur & actibus sæculi, aut in lucri supputationibus. Præcipuè autem mulieres, quomodo putas corde concipiunt, quæ tantùm garriunt, quæ tantùm fabulis obstrepunt, vt non sinant esse silentium? Iam, quid de earum mente, quid de corde discutiam, si de infantibus suis aut de lana cogitent, aut de necessarijs domus? Vereor magis, ne sequantur illas, de quibus dicit Apostolus: *Quæ otiosæ discunt circuire domos, non solùm otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet*, &c.

*Ad sacras litteras intelligendas non studio tantùm, sed & precatione multa opus est.*

Iam in homilia 13, ad caput 22. Numerorum, sic inter alia: Altior hîc, *inquit*, exoritur quæstio: & nescio vtrum expediat rem tam profundi mysterij denudare, & proferre ad turbas, & eas turbas, quæ ad auditorium Verbi Dei, non nisi paucis diebus adueniunt, & continuò discedunt: nec in meditatione Verbi Dei, diutiùs immorantur: tamen pro ijs, qui studiosi sunt, & audire norunt, spiritalemque sensum capere possunt, pauca dicemus è multis, &c.

*Lucæ 24 v. 32.*

Et homilia 6. in caput 5. Iudicum, ad illa Debborę verba: *Audite Reges: auribus percipite Principes*, Sic ait: Reges, *inquit*, appellat eos, qui conuocantur ad audiendum Verbum Dei. Exulta igitur popule Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendum Verbum Dei: nec vt plebs, sed vt Rex vocaris. Tibi enim dictum est: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem.* Ideo quia vos Reges estis, meritò Rex noster Christus Dominus dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Sed sicut exultatis de nobilitatis vestræ titulo, ita discere debetis, quid agendo, vnuisquisque vestrûm fiat Rex: quod ita vobis breuiter definiam. Regem te omnium esse facit, si regnet in te Christus. Rex namque à regendo dictus est. Si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat: si concupiscentias carnis sub iugum imperij tui mittas, si vitiorum gentes, sobrietatis tuæ frenis arctioribus premas, meritò Rex diceris, qui te regere noueris. Cùm ergo talis effectus fueris, dignè vt Rex

*1. Petri v. 9.*

ad

ad audienda diuina verba vocaberis. *Sic ibi pulcherrimè Origenes. Iam nos vltra.*

# CAPVT X.

## *ECCLESIÆ PRÆSIDVM VIGILANtia & seueritas, optima Christianæ religionis custos.*

VT primis à Christo sæculis omni virtutum genere Christiana floreret Ecclesia, faciebat Episcoporum & Sacerdotum super populo insignis vigilantia, atque in cunctorum fidelium mores fida inquisitio, & disciplinæ æqua seueritas, cùm iuxta Paulli præceptum & exemplum, delinquentes moderatè corrigerent, grauiora autem, & perniciosiora committentes crimina, grauiùs punirent, adeóque à cœtu interdum excluderent. Et hic Episcoporum rigor, Ecclesiæ vigor erat. Qui vt remitti cœpit, simul & illa paullatim deflorescere. Quod animaduertentes quidam Presbyteri, in quibus Dei honor, & disciplinæ zelus magis feruebat, non reformidarunt, nimiam aliquando Pastorum quorundam erga subditos indulgentiam, data opportunitate acriùs increpare. In quibus, partâ iam apud omnes auctoritate, haud postremus fuit Origenes: qui homilia .7. in *Iesum Naue* agens de furto cuiusdam Israëlitæ, propter quod in omnem populum ira Dei desæuierat, hæc pro concione dixit:

*Verba Origenis.*

Sed illud, *inquit*, non obiter transcurrendum est, quòd vno peccante ira Dei super omnem populum venit. Hoc & nunc accidit, quando Sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquentes benigni videri volunt, & timentes peccantium linguas, ne fortè de ipsis malè loquantur, Sacerdotalis
1. ad Timot. 5. v. 20. seueritatis immemores, nolunt implere quod scriptum est: *Peccantes coram omnibus argue: vt & ceteri timorem habeant.* Et iterum: *Auferte*
1. ad cor. 5. v. 13. *malum ex vobis ipsis.* Nec zelo Dei succensi, imitantur Apostolum dicen-
Ibidem. tem: *Tradidi huiusmodi hominem satanæ, in interitum carnis, vt spiritus*
Mat. 18. v. 17. *saluus fiat in die Domini nostri* IESV CHRISTI. Neque illud Euangelicum implere student: vt si viderint peccantem, primò, admoneant secretò, pòst autem, coram duobus vel tribus arbitris, denique si contempserit, nec fuerit correptione Ecclesię emendatus, de Ecclesia pulsum, tanquam ethnicum habeant ac publicanum. Sed dum vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est autem ista bonitas? quæ est ista misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus: & sicut ex vna oue morbida, grex vniuersus inficitur, ita vno vel forni-

*Increpatio in negligentes & incurios Pastores egregia.*

fornicante, vel quodcumque aliud scelus committente plebs vniuersa polluitur. Atque ideo obseruemus nos inuicem, & vniuscuiusque conuersatio nota sit maximè Sacerdotibus ac Ministris, nec putent illi se rectè dicere: Quid hoc ad me, si alius malè agat? Hoc enim perinde est, ac si caput dicat, Quid ad me, si pedes dolent? Si malè habent pedes mei, non mea interest, dummodò caput sanum permaneat. Aut si oculus dicat manui, tua non indigeo opera: quid mea refert, si doles; & vulnerata es? Nunquid ego oculus conturbabor ex lęsione manus? Tale ergo est, quod agunt ij, qui ecclesijs præsunt, non cogitantes, quòd omnes vnum corpus sumus qui credidimus, vnum habentes Deum, qui nos in vnitate constringit & continet Christus. Cuius corporis tu, qui Ecclesiæ præsides, oculus es: propterea vrique, vt omnia circumspicias, omnia circumlustres, atque etiam ventura præuideas. Pastor es: vides ouiculas Domini, ignaras periculi, ferri in præcipitia, tendere per prærupta, & non succurris? Non reuocas? non saltem voce cohibes? nec clamore correptionis deterres? Sic memor es dominici sacramenti, vt, cum ille derelictis nonaginta nouem in cælestibus, propter vnam ouiculam quæ errauerat, ad terras descenderit, & inuentam humeris suis ad cælum vectauerit; tu in nulla prorsus re, Magistri ac Pastoris in curandis ouiculis sequaris exemplum? Hæc porrò non ea re dicimus, vt pro leui culpa quispiam abscindatur; sed si fortè commonitus & correptus pro delicto semel, & iterum, & tertiò nihil emendationis ostenderit, vtamur Medici disciplina: si oleo perunximus, si emplastris mitigauimus, malagmate molliuimus, nec tamen cedit medicamentis tumoris duritia, solum superest remedium desecandi. Sic enim Dominus dicit: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam & proijce abs te.* An igitur manus corporis nostri aliquando nos scandalizat? an de hac manu corporis dicit Euangelium, *Abscinde eam & proijce abs te?* Nequaquam. Sed hoc est, quod dicit. Si ego, qui videor tibi manus esse dextra, & Presbyter appellor, & Verbum Dei videor prædicare, si ego, inquam, aliquid contra ecclesiasticam disciplinam & Euangelij regulam gessero, ita vt tibi scandalum & ecclesiæ faciam, Ecclesia vniuersa vno consensu conspirans excidat me dextram suam, & proijciat à se. Expedit enim tibi & ecclesiæ absque me manu sua, quę malè agendo scandalum feci, introire in regnum cælorum, quàm mecum ire in gehennam. *Hæc ibi. In quibus manifestum est de excommunicatione agi. De qua & alibi pluribus in locis mentionem facit, ac nominatim homilia 21. in Iesum Naue, initio.*

*Episcopi oculi Ecclesiæ.*

*Matthæi 5. v. 30.*

*Excommunicatio, pœna grauiorum criminum.*

Neque enim, *inquit*, possibile est ad liquidum purgare ecclesiam, dum in terris est, ita vt neque impius in ea quisquam, neque peccator residere videatur, sed sint in illa omnes sancti & beati, & in quibus nulla prorsus peccati macula deprehendatur: sed sicut dicitur de zizanijs, *ne fortè eradicantes zizania; simul cum illis eradicetis & triticum*; ita etiam super ijs dici potest, in quibus vel dubia vel occulta peccata sunt. Neque enim de ijs dicimus

*Matthæi 13. v. 29.*

dicimus, qui manifestè & euidenter criminosi sunt, vt de ecclesia non expellantur. *Et paullo post:* Vides, *inquit*, quia Scriptura dicit, quòd non potuerunt filij Iuda eijcere Iebusæos de Hierusalem. Iebusæus autem interpretatur *conculcatio.* Igitur quia non possumus eijcere eos, qui nos conculcant; eos eijciamus saltem quos possumus, & quorum peccata sunt manifesta. Vbi enim peccatum non est euidens, eijcere de ecclesia neminem possumus. &c.

*Iudicum 1. v. 22.*

*Ad excommunicat[i]o- nem requiritur peccati euidentia.*

*Ista rectè Origenes: qui & de patientia ab ijs retinenda, qui nonnunquam iniustè excommunicantur, præclarè hæc scribit, homilia X. in Ezechielem sub initium:*

Dabo, *inquit*, & aliud exemplum de ecclesiastica consuetudine: Infamia est à populo Dei, & ab ecclesia separari: dedecus est in ecclesia surgere de consessu presbyterij, proijci de Diaconatus gradu: & eorum quidem qui abijciuntur, alij seditiones commouent, alij verò iudicium de se factum omni cum humilitate suscipiunt. Quicumque ergo exiguntur, & dolore depositionis suæ, populos ad faciendum schisma congregant, & multitudinem malignorum sollicitant, non accipiunt quidem suam inhonorationem in præsenti, sed thesaurizant sibi iram in die iræ. Qui verò cum omni humilitate, siue dignè, siue indignè depositi sint, Deo iudicium derelinquunt, & patienter sustinent, quod de se iudicatum est, isti & à Deo misericordiam consequuntur, & frequenter quoque ab hominibus in pristinum gradum, & in eam, quam amiserant, gloriam reuocantur. *Sic ibi. Vide & homiliam eius XI. in Hieremiam post medium, vbi hæc inter alia:* Verùm non præbeamus ijs aurem, qui propter sui excommunicationem, tam Præpositos, quàm omnem ecclesiæ conuentum velano ore dilacerant.

*Humilitatis & patientiæ præmium.*

*Idem Origenes homilia 2. in Iudices sub finem*, Non solùm, *inquit*, per Apostolos suos tradit Deus delinquentes in manus inimicorum; sed & per eos, qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent non solùm soluendi, sed & ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, cùm pro delictis suis à Christi corpore separantur. *Vide ibi plura.*

*In tractatu autem 35. super Matthæum, propius initio quàm medio, indicat per transennam non orandum in eodem loco cum excommunicatis, quia melius sit cum nullo orare, quàm cum malis.* Propter hoc, *inquit*, & in ecclesijs Christi, consuetudo tenuit talis, vt qui manifesti sunt in magnis delictis, eijciantur ab oratione communi: vt ne modicum fermentum non ex mundo corde orantium, totam vnitatis conspersionem & consensum corrumpat. *Hæc ille. Iam ad alia.*

CAPVT XI.

# CAPVT XI.

## MARIA VIRGO DEIPARA.

DICTVM est hactenus de Ecclesia generatim: nunc de membro eius pretiosissimo, hoc est, de beatissima Virgine MARIA, quid Origenes dignum memoratu scripserit, speciatim attendamus. Quæ autem singularia præ cunctis mulieribus illi attribuit, sub nomine priuilegiorum breuiter comprehendemus. MARIÆ Priuilegia.

Primum igitur est, quòd sola in conceptione & partione filij immunda non fuerit, adeòque propter illam vnicam in lege veteri adiunctum sit Leuitici 12. *Si suscepto semine*, cùm lex de parientis immunditie lata est in hæc verba: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit.* Vbi dicit, non ex superfluo adiecta ista duo verba, *Suscepto semine.* Ad discretionem enim, *inquit*, illius, quæ sine semine concepit & peperit, istum sermonem pro ceteris mulieribus legislator adiecit: vt non omnem mulierem quæ peperisset, designaret immundam; sed eam tantùm, quæ suscepto semine peperisset. Addi etiam illud potest, quòd lex ista quæ de immunditia scribitur, ad mulierem pertinet. Ferant ergò legis onera mulieres: virgines verò ab his habeantur immunes. Sed si nobis hîc aliquis occurrat argutus, & dicat, quòd & MARIA in Scripturis mulier nominetur, cùm dicit Apostolus: *Vbi autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant, redimeret*; respondebimus ei, quòd illic Apostolus mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexus indicio nominauit: vt quia dicebat Filium Dei missum; simul & illud, quòd pro communi omnium vita in hunc mundum venisset, exponeret. *Ita Origenes.* 1. Priuilegium. Munda in conceptione & partu. Leuitici 12. v. 2. Ad Galat. 4. v. 4.

*Probat deinde exemplis, nomen mulieris in ea significatione in Scriptura accipi: sicut & nomen viri, pro eo qui adolescentiæ tempus excesserit, etiamsi vxorem nondum habeat: tum ita concludit:*

Hæc ergo nobis, *inquit*, dicta sunt de eo, quòd obseruauimus scriptum à legislatore non ex superfluo, *mulier si suscepto semine, pepererit filium*; sed esse exceptionem mysticam, quæ solam MARIAM à reliquis mulieribus segregaret: cuius partus non ex susceptione seminis, sed ex præsentia S. Spiritûs, & virtute Altissimi fuerit.

Hæc Origenes in honorem Virginis. Qui & paullò pòst ibidem agens de hostijs, quæ offerebantur in purificatione, agnus scilicet anniculus à diuitibus: à pauperibus autem, duo turtures aut duo pulli columbarum,

ita de eadem Virgine : Vnde & mirum videtur , *inquit* , quòd oblatio Mariæ non habuerit hostiam primam, id est, agnum anniculum, sed secundam , tanquam cuius manus non suffecerit ad primam. Sic enim
Lucæ. 2. v. 24. scriptum est de ea : *Venerunt parentes eius, vt offerrent pro eo hostiam, secundùm quod scriptum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Sed & in hoc ostenditur, *inquit*, verum esse quod scriptum est : quia Christus IESVS cùm diues esset, pauper factus est. Ideo igitur & matrem de qua nasceretur , elegit pauperem, & patriam pauperem, &c.

Priuil. 2. Salutatio- ne singulari honorata. Secundum Virginis priuilegium est, quòd salutata sit ab Angelo, salutatione noua & singulari, ac prorsus extraordinaria. Nam ordinaria erat, *Pax tibi*, *Pax vobis*, aliæque huiusmodi. De hac igitur extraordinaria, sic Origenes homilia 6. in caput 1. Lucæ :

Quia verò Angelus, *inquit*, nouo sermone Mariam salutauit, quem in
Lucæ. 1. v. 28. omni Scriptura inuenire non potui , & de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quòd ait : *Aue gratia plena* , vbi in Scripturis alibi legerim, non recordor : sed neque ad virum , istiusmodi sermo vsurpari solet. Salue plena gratia , soli MARIÆ salutatio hæc seruatur. Si enim sciuisset MARIA, & ad alium quempiam, similem factum esse sermonem ( habebat quippe legis scientiam , & erat sancta, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat ) nunquàm ea salutatio quasi peregrina eam terruisset. Propterea quoque dicit ei Angelus : *Ne ti-*
Lucæ 1. v. 30. *meas* MARIA. *Inuenisti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM, *&c.*

Priuil. 3. Enixa filium absque viro. Tertium priuilegium est, quòd ad productionem Filij sola & absque viro , concurrerit : contrà quàm in omnibus alijs productionibus feminarum accidit, in quibus vir principalis caussa est, mulier minùs principalis. Vnde fit, vt dicatur mulier esse ex viro, vir autem non ex muliere, sed per mulierem, vno excepto Christo, qui non per mulierem, sed ex muliere. Qua de re ita Origenes libro 3. in epistolam Paulli ad
1. Cor. 11. v. 12. Romanos, cap 3. sub finem, ad illud Paulli : *Nam sicut mulier ex viro, ita & vir per mulierem : omnia autem ex Deo.* Primo etenim loco vir est, *inquit*, ex quo descendere mulier dicitur, & non per virum : secundo autem loco per mulierem vir : quia mulier ministrare quodammodo videtur auctori viro : & ideo per mulierem vir dicitur nasci, & non ex muliere. Sed fortassis occurrat aliquis huic de muliere & viro expositioni nostræ, & obijciat illud, quod dicit Apostolus de Chri-
Gal. 4. v. 4. sto : *Factum ex muliere , factum sub lege* , & non dicit *factum per mulierem* : Cui hoc modo respondendum puto: De omni quidem homine conuenit dici, quòd per mulierem factus sit : quoniam priùs quàm nasceretur, ex viro accepit exordium : Christus verò, qui non ex semine viri,

viri, carnis suæ sumpsit originem, meritò ex muliere factus dicitur. Ipsi namque, id est, mulieri & principalis origo carnis eius adscribitur, & rectè non per mulierem, sed ex muliere factus ab Apostolo memoratur. *Sic ibi Origenes.*

Quartum priuilegium est, quòd ad Mariæ vocem & Salutationem, Elisabeth cognata prophetauit, & Ioannes Baptista in vtero exilijt & exultauit. Qua de re ita Origenes homilia 7. in caput 1. Lucæ: *Priuil. 4. Ad Mariæ præsentiā, benedictio communis Elisabethæ.*

Denique, *inquit*, antequam veniret Maria, & salutaret Elisabetham, non exultauit infans in vtero: sed statim vt Maria locuta est verbum, quod Filius DEI in ventre matris suggesserat, exultauit infans in gaudio: & tum primùm præcursorem suum, Prophetam fecit IESVS. Oportebat quoque MARIAM cum DEI prole dignissima, post alloquium DEI ad montana conscendere, &c. in sublimioribus commorari. Vnde & scriptum est: *Exsurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione, &c.* *Ioannes Baptista Propheta factus in vtero.*

Deinde in proxima homilia, quæ est octaua in idem caput 1. Lucæ, ita vtriusque prophetantis tam Elisabeth, quàm Mariæ, cum feminarum laude & adhortatione commeminit: *Lucæ 1. v. 39.*

Ante Ioannem, *inquit*, prophetat Elisabetha, ante ortum Domini Saluatoris prophetat Maria. Et quo modo peccatum cœpit à muliere, & deinceps ad virum vsque peruenit: sic & principium salutis à mulieribus habuit exordium: vt ceteræ quoque mulieres, sexus fragilitate deposita, imitarentur vitam conuersationemque earum sanctarum, quæ nunc vel maximè in Euangelio describuntur. Videamus ergo, *inquit*, vaticinium virginale: *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo* &c. *Feminarum laus.* *Lucæ. 1. v. 46.*

Cuius seu vaticinij seu cantici virginalis explicationem, quam subijcit Origenes, illic videndam hîc prætermitto.

Quintum priuilegium, quòd *Mater Domini* appelletur, & vt talis prædicetur, antequam illum pepererit, & hoc voce prophetica sanctę Elisabethæ, quæ repleta Spiritu sancto exclamauit magna voce, & dixit: *Priuil. 5. Mater Domini appellata ante partum.*

*Benedicta tu inter mulieres, & Benedictus fructus ventris tui! Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* *Lucæ 1. v. 42.*

Ad quæ verba sic Origenes homilia 7. in Lucam. Quod ait: *Vnde hoc mihi?* non ignorans dicit, & maximè Spiritu sancto plena, quasi nesciat quòd iuxta DEI voluntatem mater Domini venerit ad eam: sed isto sensu loquitur: Quidnā boni feci? quænam opera mea tanta sunt, vt mater Domini mei ad me veniat? per quam iustitiam, vel ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, vt mater Domini mei veniat ad me? *Sic ibi.* *Elisabethæ humilitas.*

Sextum priuilegium, quòd ad beatæ Virginis pręsentiā Ioannes needum

*Priuil. 6. Maria præsente mirè Ioannes necdum natus profecit.*

natus, necdum eam, nec eius filium oculis intuens, sed tantùm acie mentis sentiens, in spiritu & gratia profecerit. Si enim (verba sunt Origenis homilia 9. in cap. 1. Lucæ) si enim, *inquit*, ex eo tantùm, quòd venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam; exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto plena Elisabeth prophetauit ea, quæ in Euangelio scripta sunt, & in vna hora tantos profectus habuit; nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus, assistente Maria Elisabethæ Ioannes profecerit. Valde quippe indignum est, in puncto horæ atque momento exultasse infantem, & quasi gaudio lasciuisse, repletamque esse Spiritu sancto Elisabetham: per tres verò menses, nec Ioannem, nec Elisabetham è viciniâ matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergo, & quasi in ascetico sanctæ matris, per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus, educaretur mirabiliùs. *Sic ibi.*

*Defensio virginitatis Mariæ.*

Præterea Virginitatem MARIÆ, & contra hæreticos defendit Origenes, & contra Ethnicos. Contra hæreticos quidem homilia 7. in caput 1 Lucæ, ad illa verba: *Benedicta tu inter mulieres* ] Debemus in hoc loco, *inquit*, ne simplices quique decipiantur, ea, quæ solent opponere hæretici, confutare. In tantam nempe nescio quis prorupit insaniam, vt assereret negatam fuisse Mariam à Saluatore; quia post natiuitatem illius, iuncta fuisset Ioseph o: & locutus est ea, quæ, quali mente dixerit, nouerit ipse qui locutus est. Si quando igitur hæretici tale quid vobis obiecerint, respondete eis, & dicite: Certè Spiritu sancto plena Elisabeth dixit: *Benedicta tu inter mulieres*. Si ergo, sancto Spiritu benedicta canitur Maria, quomodo eam Saluator negauit? Porrò quòd asserunt eam nupsisse post partum, vnde approbent non habent: Hi enim filij, qui Iosephi dicebantur, non erant orti ex Maria, neque est vlla Scriptura, quæ id commemorat. *Sic ibi.*

*Iosephi filij qui dicebantur, non fuerunt ex Maria nati.*

Contra Ethnicos autem, siue Gentiles, eandem Deiparæ virginitatem tuetur Origenes, lib. 1. *Contra Celsum*, sub medium. Qui Celsus partim Platonicus secta, partim Epicureus vita, introduxerat in suo libro inscripto, *Verus Sermo*, Iudæum fidem Christianorum impugnantem. Contra quem proinde sic scribit:

*Origenis verba.*

Iam reuertamur, *inquit*, ad fictam Iudæi personam, quæ narrat IESV matrem grauidam, extrusam à sponso, fabro lignario; propter temeratam fidem coniugalem & pudicitiam: videamusque, an non cæci fuerint auctores huius fabulę, de virgine deprehensâ cum panthera in adulterio, & à fabro repudiatâ. Quæ omnia finxerunt, vt conuellerent miraculosum conceptum de Spiritusancto: quamuis poterant propter nouitatem rei, mendacium obijcere, & non vel inuiti assentiri, IESVM non esse vulgari more natum ex coniugio, atque ita falsam fabulam supponere: nunc autem, quia id non satis credibiliter fecerunt, concesso Virginem non concepisse

cepisse ex Iosepho; ipsorum mendacium iis, qui audire & redarguere figmenta norunt, factum est manifestum.

Nam quomodo probabile sit eum, qui pro genere humano tanta aggressus sit, vt qui pro virili sua laborauerit, vt omnes tam Græci, quàm Barbari expectatione diuini iudicij à vitijs desisterent, atque omnia, quæ vniuersorum gratia sunt conditori facienda, susciperent? non admirandam inhabuisse natiuitatem, sed omnium iniquissimam atque turpissimam? &c. *IESV noua & admirāda natiuitas defenditur.*

Refutat deinde argumentis è Philosophia desumptis, & ad hominem, quod aiunt, valentibus, postremoque à Prophetis aduersus Iudæos, quorum personam Celsus induebat: & ex vtrisque validissimè vibratis totum illius hominis conatum subuertit ac pessumdat. Quæ argumenta illic videri possunt. Hæc autem sunt, quæ in paucis, qui supersunt, Origenis Adamantij libris, ad beatissimæ Virginis laudem ac defensionem præcipua reperi, plura haud dudiè reperturus, si maxima ac potissima librorum eius pars per malorum temporum & peiorum hominum iniurias non periisset. Nunc ad ea, quæ de fide, præcipuo religionis simul & ceterarum virtutum fundamento, nobis reliquit documenta, accedamus.

---

# CAPVT XII.

## *FIDES VIRTVTVM THEOlogicarum prima ordine & necessitate.*

QVOMODO hæc Fides initio tradatur, vnà cum institutione morum, attingit Origenes homilia V. in librum Iudicum, sub finem, his verbis:

Lactis cibus, *inquit*, esse dicitur ea prima moralis institutio, quæ incipientibus velut paruulis traditur. Non enim discipulis statim initio profunda & secretiora Sacramenta tradenda sunt: sed morum correctio, emendatio disciplinæ, religiosæ conuersationis, ac simplicis fidei prima elementa. Istud est Ecclesiæ lac: hæc incipientium paruulorum prima sunt elementa. Verùm iste cibus iis quidem, qui ad bona proficiendi propositum gerunt, vitam tribuit & salutem: iis verò, quibus contraria placent, quibus luxuria, & libido, & auaritia, & omnis impietas cordi est, huiusmodi doctrina necem & interitum præstat. Sic ergo fit, vt ex iisdem cibis, quibus aluntur boni, suffocentur mali: & in quo piis vita est, in eo mors fit impiis. *Ita Origenes.* *Lac, cibus paruulorum sunt initia simplicis Fidei & educationis Christianæ.*



Et

Et libro 4. in caput 4. epistolæ ad Romanos sub medium: Et puto, *inquit*, quòd prima salutis initia & ipsa fundamenta fides sit: profectus verò & augmenta ædificij Spes est: perfectio autem & culmen totius operis Charitas: & ideo maior omnium dicitur Charitas. Igitur Abraham contra spem in spem credidit, quòd Pater futurus esset multarum gentium, quæ futuræ essent, sicut stellæ cæli, non solùm multitudine, sed & claritate.

*Fides Abrahæ.*

Iam autem, quænam fidei puncta venientibus ad Ecclesiam primò proponi ab Apostolis solita sint, docet in proœmio librorum *De principiis*, sub initium.

Species, *inquit*, eorum, quæ per prædicationem Apostolicam manifestè traduntur, istę sunt: Primò, quòd vnus Deus sit, qui omnia creauit atque composuit, quique ex nihilo fecit vniuersa, Deus à prima creatione & conditione mundi, omnium iustorum, Deus Adam, Abel, Seth, Enos, &c. Et quòd hic DEVS in nouissimis diebus, sicut per Prophetas suos antè promiserat, misit Dominum nostrum IESVM CHRISTVM primò quidem vocaturum Israël, secundò verò etiam gentes post perfidiam populi Israël, &c.

*Fidei prima elementa.*

Docet præterea aliquos esse infirmos in fide, aliquos firmiores, aliquos firmissimos: siue paruam in aliquibus fidem esse, in aliis magnam, in nonnullis maximam, siue omnem fidem. Nam in laudato priùs lib. 4. ad Romanos, cap. 4. agens de fide Abraham, de qua ibi dicitur: *Et non infirmatus est fide*, sic scribit.

*Ad Rom. 4. v. 19.*

Quod dicit, *Non infirmatus est fide*, ostendere mihi videtur esse quandam infirmitatem in fide: quòd si est infirmitas, est sine dubio & sanitas: sicut & in aliis ostendit cùm dicit: *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* Beatus ergo est, qui non infirmatur fide: si quis verò infirmetur, curam eius describit Apostolus, cùm dicit: *Infirmum autem in fide assumite non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.* Per quod si vtique designat verbi olera præbenda esse ei, qui infirmatur fide: ne plena fidei doctrina cunctantibus in ea, & quodammodo ægrotantibus, ingeratur.

*Ad Titum 1. v. 13.*

*Ad Rom. 14. v. 1.*

Sana autem fides dicitur, quæ perfecta est, & cui nihil deest: & ipsa est quę credit manducare omnia, id est, quæ capere potest omnia: quam qui habet, spiritualis appellatur, & diiudicat omnia, & in nullo sermone scandalizari potest. Vnde euidenter apparet esse augmenta quædam & profectus in fide, & aliquos habere partem fidei exiguam, alios magnam, alios verò habere omnem fidem. Vnde Apostolus dicebat: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Sed & in Euangelio, *Discipuli dixerunt Domino: Adauge nobis fidem*: quasi quibus nondum inesset plena fides. *Sic ibi.*

*Fidei augmenta sæpe à Domino postulanda.*

*1 ad Cor. 13 v. 2.*

*Lucæ 17. v. 5.*

O quàm necessarium est hodie, vt & in nobis adaugeatur fides! vt firmiter

ter credamus, & frequenter prospiciamus, & continenter cogitemus nostra nouissima! Horum enim incogitantiâ, & defectu fidei, nec amor ad æterna bona allicit, nec metus ab infinitis & intolerabilibus malis abstrahit. Inde fit, vt vtique & passim peccata inundent: & bibatur, sicut aqua, iniquitas.

Hunc fidei defectum vidit ætate sua, & dignè deplorauit Origenes, cùm homilia IX. in cap. XVI. Leuitici, ex occasione purgationis labiorum Isaiæ, sic in grauem inualescentium peccatorum reprehensionem exarsit.

Et Propheta quidem ille, *inquit*, quoniam ab omnibus aliis mundus erat, idcirco meruit, vt vnus de Seraphim ad eum mitteretur, qui sola eius labia perpurgaret. Nos verò vereor, ne ignem non membris singulis, sed toto corpore mereamur. Cùm lasciuiunt oculi; vel per illicitas concupiscentias, vel per diabolica spectacula, quid aliud nisi ignem congregant? Cùm aures non auertuntur ab auditu vano ac detractionibus proximorum, cùm nec manus à cæde, à rapinis, à deprędationibus continetur: cùm pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem, & corpus non Domino, sed fornicationi tradimus, quid aliud nisi totum corpus tradimus in gehennam? At hæc cùm dicuntur, contemptui habentur. *Origenis verba.*

Quare? quia fides deest. Alioquin si tibi hodie diceretur, quòd Iudex seculi huius vult te luce crastina viuum exurere, & his auditis esset tibi vnius diei spatium liberum, quanta faceres! quomodo, & per quos discurreres! quàm humilis, quàm lugens & sordidus oberrares! nonne effunderes omnem pecuniam tuam in eos, quorum intercessione euadere posse te crederes? Nonne omnia quæ possides, redemptionem faceres animæ tuæ? quòd si etiam aliquis te retardare aut impedire tentaret, nonne diceres? Pereant omnia pro salute mea, nec quicquam remaneat. Tantùm, vt ego viuam. Hoc quare faceres? quia scilicet inde non dubitares, hinc autem dubitas. Et ideo bene Dominus dicit: *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Et quid ego dico de certis indubitatísque periculis? Tantummodò si caussa dicenda sit apud Iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur, nonne omnibus vigiliis excubatur? aduocato patrono munera præparantur? etiam si anceps periculum sit, aut etiam solius notæ metus, vel damni ratio. Nos igitur quare non credimus, quòd *omnes adstabimus ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bona, siue mala?* Hæc si integrè crederemus, esset nobis secundùm id, quod scriptum est: *Redemptio animæ viri, diuitiæ eius.* Ita Origenes. Qui extrema illa sententia indicat eum, qui vera & firma fide præditus sit, libenter diuitias suas omnes profusurum in sinus pauperum, vt animam suâ ab extremi iudicij metu, & à pœnis æternis redimat. *Fidei defectus quantum malum! Comparatio tribunalium mundi & Dei efficax. Luc. 18. v. 8. 2. Cor. 5. v. 10. Prouerb. 13. v. 8. Diuitiarũ fructus optimus redemptio æternitatis.*

Est & illud egregiè dictum ab Origene libro 4. *De principiis*, cap. 1. Quæ diuina, sunt ad homines paullò latentiùs deferuntur, & eo magis latent, quò quis vel incredulus magis est vel indignus. Quod Origenis breue dictum, S. Augustinus libro 1. Contra aduersarium legis & Prophetarum

cap. 7. figurâ quidem contrariâ, sed eodem sensu, tam piè quàm verè expressit, cùm dixit:

*Tanto quisque facilius aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit.* Hinc ergo, post magnos illos viros, mihi & amicis meis sic præscribo:

*Crede, & cede Deo, si vis cognoscere verum.*

Fidem porrò sine operibus ad salutem non sufficere, multis in locis docet ac probat Origenes: nonnullos hic proferam.

*Tractatu 16. in Matt.* Primò igitur, vt hinc ordiar, tractatu 16. in Matthæum, vbi de ficu agit à Christo arefactâ, sic scribit: Quando non venit Iesus ad aliquam ficum, nec quærit fructum eius, sed patienter agit & sustinet, si fortè proferat fructum, non exsiccatur: Si autem venerit esuriens, & fructum requirens; & inuentus fuerit aliquis nihil iustitiæ habens, nisi professionem fidei tantummodò, (quod est folia, sine fructu) mox exsiccatur, etiam hoc ipsum, quòd videtur fidelis, amittens. Et est multos in Ecclesia videre tales, qui sat multo tempore portauerunt nomen fidei, ostendentes solùm quòd viuant, omnino autem sunt sicci: quos, quia non fructificabant, videmus recedentes à Verbo Dei ad plenum, & siccos.

Quibus postremis verbis innuit eos, qui exciderint à charitate & bonis operibus, non ratò & à fide cùm admiratione multorum excidere.

Secundò, in libro 3. ad caput 3. epistolæ ad Romanos, sub finem, super *Rom. 3. v. 31.* istis Paulli verbis: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus:* sic scribit inter alia:

Ego etiam illud conuenienter adijciam, quòd omnis, qui credens Christo bene agit, & continet se ab omni macula peccati; hic legem Dei rectè viuendo confirmat. Qui vero præceps peccatorum vitiis agitur, & sine vllo pœnitendi retinaculo, assiduitate scelerum maculatur, hic etiamsi credere Christo videatur, per fidem suam non statuit, sed destruit legem. *Sic ibi.*

*Tractatu 29. in Matt.* Tertiò egregiè commendat opera bona, tractatu 29. in Matthæum, sine quibus, eos tempore persecutionis non permansuros in fide, qui tentati ab inimicis fuerint, sic tradit:

Quidam, *inquit*, ab operibus malis sabbatizant, non autem exercent opera bona: cùm oporteat, non solùm mala fugere, sed etiam bona exercere. In tali ergo sabbato operum bonorum, quando bona opera non facit Christianus, iubet nos Christus orare, ne fuga nostra fiat in illo. Cessante enim te ab operibus bonis, si quidem steteris ante faciem abominationis, & vltro te subdideris ei voluntariè, mortuus es gladio verbi mendacis. Si autem volueris fugere, & te abominatio desolationis secuta fuerit, te sine persecutionibus suis franget: quia non operantur in te virtutem patientiæ opera tua bona: sine seductionibus suis capiet te: quoniam intelligentiæ lumen non operantur in te opera tua bona. Non enim in tali periculo dogmatis falsi facilè superatur & fallitur, nisi qui nudus est ab operibus bonis. Propterea

*Opera bona christiano quàm necessaria.*

preterea & Apostolus dicit de hoc periculo: *Eò quòd autem charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Hæc ille. 2. Thess. 2. v. 10.

Quartò clarè ac distinctè docet, lib. 2. in epistolam ad Romanos cap. 2. vtrumque ad salutem esse necessarium, Fidem, & opera bona. Allato enim in medium illo præcepto Domini, ex Ezechiele, cap. 44. *Omnis alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non ingredietur in Sanctuarium meum,* post quædam alia, Ezech. ielis 44. v. 9.

Videamus, *inquit*, ne fortè referri queat ad duo generalia præcepta, in quibus incircumcisum esse non expedit, id est, in fide & in operibus vt sit circumcisus corde, qui habet fidem, & circumcisus carne, qui opera habet. Alterum enim sine altero reprobatur: quia & Fides sine operibus mortua dicitur: & ex operibus sine Fide nemo apud Deum iustificatur. *Et paulò post:* Hoc est nimirum, quod & Dominus in Euangelio dicit: *Qui credit in me, mandata mea custodit:* & iterum: *Qui audit verba mea, & facit ea,* &c. & iterum: *Quid dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Vides ergo, *inquit*, vbique Fidem cum operibus iungi, & opera sociari cum Fide? Cordis autem circumcisio est, nihil sordidum, nihil indignum sentire de Fide. Carnis circumcisio est, nihil immundum, nihil contaminatum, in opere gestisque, committere. Qui enim in altero horum incircũcisus fuerit, & immundus, Dei vocibus prohibetur ingredi in Sancta. *Sic ibi.* Circumcisio spiritualis gemina, cordis & carnis. Cordis circumcisio quid sit. Carnis circumcisio quid sit.

De fide, bonorum operum inani atque mortua, egregium locum habet Origenes, homilia X in caput IX. Iosue, siue Iesu Naue, vbi eam fidem comparat cum fide Gabaonitarum, qui ad dictum Iesum venerunt, petentes cum eo fœdus & societatem, & fingentes se è longinqua venire patria, & dicentes se audiuisse, quanta eorum Deus fecisset in Ægypto &c. cùm tamen aliud nihil quærerent, quàm excidium & mortem euadere, non autem eandem vitam amplecti. Quos proinde deceptus Iosue deputauit lignis cædendis, & aquis portandis, hoc est, seruos fecit, non liberos, tantùm concessa illis vita, quam iureiurando daturum promiserat. *De quibus, ita Origenes:*

Vides, *inquit*, quomodo ligni cæsores, & aquæ gestatores fieri condemnantur, ad obsequium populi, & ad altaris Dei ministerium? quoniam cum dolo & calliditate accesserunt ad filios Israël, pannis calceamentisque veteribus induti, & cibum vetusti panis ferentes. Isti ergo veniunt ad Iesum, & orant hoc tantùm, vt saluentur. In quorum figura, tale mihi aliquid videtur ostendi. Sunt quidam in Ecclesia, credentes quidem, & habentes fidem in Deum, & acquiescentes in omnibus diuinis præceptis: quique etiam erga Dei seruos religiosi sunt, & seruire eis cupiunt, sed & ad ornatum Ecclesiæ vel ministerium satis propti sunt; in actibus verò suis, & propria cõuersatione, non omnino deponentes veterem hominem cum actibus suis; sed in- Mali Christiani Gabaonitis comparati.

uoluti

uoluti vetustis vitiis & obscœnitatibus suis, sicut & isti pannis & calceamentis veteribus obtecti, præter hoc, quod in Deum credunt, & erga seruos Dei & ecclesiæ cultum videntur esse deuoti, nihil adhibent emendationis in moribus.

Istis ergo Dominus Iesus noster salutem quidem concedit, sed quodammodo salus ipsa eorum, notam non euadit infamiæ.

*Hæreticorum obiectio contra factū Iosue.* Cùm autem hac historia Gabaonitarum Iosue 9. capite contentà, quidam hæretici vetus testamentum non recipientes (quales sunt Marcionitę) abuterentur, & dicerent: Vide, quomodo nihil humanitatis habuit Iesus, filius Naue: qui illis hominibus, qui ad se supplices venerant, ita salutem concessit, vt notam eis infamiæ, & iugum seruitutis infligeret. His, inquam, *Origenis verba.* ita respondet continenter Origenes: Hæc si anima audiat, *inquit*, minùs instructa Scripturis diuinis, infirmari continuò, & periclitari potest, ita vt refugiat catholicam fidem. Non enim intelligunt eorum subreptiones Iesus enim secundū mensuram fidei ipsorum, competens circa eos iudicium te- *Raab meretricis fides.* nuit. Porrò autem Raab meretrix, quæ fide integra credidit cum omni domo sua, & exploratores Israëliticos plenissima deuotione suscepit, ex integro in consortium populi, societatemque suscepta est: & scriptum est de ea: quia apposita est ad filios Israël vsque ad hodiernum diem. Isti verò, quia non tam Israëliticæ gentis consortia dilexerunt, quàm suæ perditionis metu perterriti, cum calliditate & fraude accesserunt ad Iesum, quomodo poterant libertatem vitæ, & regni consortium dolis seruilibus promereri? Denique vis nosse, quòd digna erga eos, ab Iesu, mentis eorum ignobilitate conditio dispensata est? Ipsi dicunt: Quia audiuimus, quanta fecit Dominus vobis per mare rubrum, & in deserto: & cùm hæc dicerent, & audisse se, & scire se de diuinis mirabilibus faterentur, nihil tamen fide dignum, nihil tantarum virtutum admiratione gesserunt. Et ideo videns Iesus angustum eorum, exiguumque in fide propositum, moderationem erga eos iustissimam seruauit, vt salutem mererentur, qui, licet parum, fidei detulerant, nec tamen summam regni vel libertatis acciperent: pro eo, quòd fides eorum nullo operum nobilitaretur accessu: quoniam fidem sine operibus mortuā *Iacobi 2. v. 20.* haberi pronuntiauit Iacobus Apostolus.

Denique adijcit disertissimè, quid præter fidem à Christiano volente libertatem adipisci filiorum Dei requiratur, & hæc sunt eius verba:

Verumtamen sciendum est, *inquit*, quantum ex huiuscemodi figurarum adumbrationibus edocemur: quòd si qui tales sint in nobis, quorum fides hoc tantummodo habeat, vt ad ecclesiam veniant, & inclinent caput suum Sacerdotibus, officia exhibeant, seruos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris vel ecclesiæ aliquid conferant; studium tamen non adhibeant, vt etiam mores suos excolant, actus emendent, vitia deponant, castitatem colant, iracundiam mitigent, auaritiam reprimant, rapacitatem refrenent, maleloquia & stultiloquia & obtrectationum venena ex ore suo non adimant

mant: sciant sibi, qui tales sunt, & qui emendare se nolunt, sed in his vsque in senectutem vltimam perseuerant, partem sortemque à Domino Iesu cum Gabaonitis esse tribuendam. *Hæc ibi.*

Neque hoc prætermittendum, quòd veræ fidei agnitionem, vnguento comparet pretioso, quo vngitur caput Christi, Deus. Nam tractatu 35. in Matthæum sub initium, agens de vnguento, quod Magdalena in Christi caput effudit, disputat de duplici vnctione, & de duplici vnguento, vno scilicet, quo Domini pedes vncti sunt, & altero quo caput, & vtrumque spiritualiter interpretans de bonis operibus, sic scribit:

*Verba Origenis.*

Quod fideles, *inquit*, faciunt propter Deum, hoc est vnguentum boni odoris. Hoc autem ipsum opus propter Deum, quod est vnguentum boni odoris, aliud fit ad vtilitatem hominum, vt puta eleemosynæ, infirmorum visitationes, peregrinorum susceptiones, humilitas, mansuetudo, indulgentia, & cetera huiusmodi, quæ hominibus prosunt. Hæc qui facit in Christianos, pedes Domini vngit vnguento: quia ipsi sunt Domini pedes, cum quibus ambulat semper. Quod præcipuè solent facere pœnitentes pro remissione peccatorum suorum: & illud est opus, quod dicitur vnguentum odoriferum quidem, non autem summum, sed mediocre scilicet. Dum autem quisquam castitati studet, in ieiuniis & orationibus permanet, in aduersis patientiam habet, sicut Iob, in tentationibus veritatem Dei non timet confiteri, (quæ omnia ceteris hominibus nihil prosunt, sed tantùm ad gloriam Dei fiunt) hæc sunt vnguentum, quod vngit caput Domini Christi, & exinde per totum corpus Christi, id est, per totam decurrit Ecclesiam. Et hoc est vnguentum valde pretiosum, ex cuius odore tota repletur domus, hoc est, Ecclesia Christi: & hoc opus est proprium non pœnitentium, sed perfectorum sanctorum. Atque hæc est vna diuisio & interpretatio duplicis vnguenti, bonis operibus partim pœnitentium & imperfectorum, partim sanctorum & perfectorum applicata.

*Intentio optima quæ? Vnguentum boni odoris duplex. Prius, quod præcipuè fit in vtilitatē fratrum. Posterius, quod tantùm ad gloriam Dei.*

Addit & secundam explicationem duplicis vnguenti, per illud intelligens doctrinam duplicem, vnam rudiorum, alteram sapientiorum, his verbis:

Aut certè, *inquit*, doctrina, quæ est necessaria hominibus, per quam nutriuntur animæ pauperes in spiritalibus bonis, aut fortè & debiles in peccatis, hoc est vnguentum mediocre, quo pedes Domini vnguntur. Agnitio autem fidei veræ, quæ ad solum pertinet Deum, vnguentum est pretiosum quo vngitur caput Christi, Deus. Hæc Origenes in commendationem tam fidei, quam bonorum operum.

Fidei porrò symbolum Apostolicum, etsi non enarrauit, tamen pulchrè, & pressè descripsit lib. 7. in epistolæ ad Romanos caput 9. super illis verbis: *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Vbi post alias interpretationes *Rom. 9. v. 18.*

*Symbolum Apostolorum.* tiones addit & hanc: Poteſt verbum breuiarum dici fides ſymboli, quæ credentibus traditur, in qua totius myſterii ſumma paucis nexa ſermonibus continetur.

∴ Intelligit Origenes vulgatum ſymbolum Apoſtolorum, articulis duodecim comprehenſum, quod pueri poſt precationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ſolent condiſcere.

Nunc, poſtquam dictum eſt de Eccleſia, & de fide, nonnulla de Baptiſmo, qui eſt Eccleſiæ ianua, & fidei ſignaculum, proferemus.

---

# CAPVT XIII.

## *BAPTISMVS ET CATECHVMENI.*

De illis iunctim dicam: quia & Origenes de illis iunctim ſcripſit: quippe & natura & ſtudio coniunctis. Et quia tranſitus *1. Cor. 10. v. 2.* maris rubri à populo fideli, ſubmerſis Ægyptijs, figura fuit baptiſmatis, Exodi cap. 14. ver. 17. teſte Paullo, 1. ad Cor. 10. *Et omnes* *Tertull. l. de baptiſmo.* *mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari*: & explicante Tertulliano in libro de baptiſmo: Quùm populus, *inquit*, de Ægypto expeditus, vim Regis Ægypti per aquam tranſgreſſus euadit, ipſum Regem cum totis copiis aqua exſtinxit: quæ figura manifeſtior in baptiſmi ſacramento? liberantur de ſæculo nationes, per aquam ſcilicet, & diabolum *Origenes homilia 22. in cap. 27. Num.* dominatorem priſtinum, in aqua oppreſſum derelinquunt: hinc, inquam, Origenes, homilia 22. in caput 27. Numerorum, ſub finem: Et ſicut de prioribus, *inquit*, dictum eſt, quia omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari; ita & de Ieſu dicitur: quia omnes in Ieſu baptizati ſunt in Spiritu ſan- *Hom. 4. in cap. 3. Ioſue.* cto & aqua. Ieſus namque eſt, qui tranſit aquas Iordanis, & in ipſo quodammodo iam tum populum baptizat, &c. Et homilia 4 in caput 3. Ieſu Naue, ſiue Ioſue, ſub initium, eandem figuram ac miraculum transfert ad Baptiſmum, docetque non minora in lege noua præſtari Chriſtianis, quàm in vetere Iſraëlitis.

*Verba Origenis*:

Mare rubrum, *inquit*, iuſtus quaſi per aridam tranſit: Ægyptius verò, ſi tranſire voluerit, ſubmergetur: nec fiet ei aqua murus dextrâ lęuâque. Iuſtus etiamſi eremum horribilem ingrediatur & vaſtam, cibus ei miniſtratur è cælis. Iſta ergo, & in Iordanem Arca teſtamenti Dux erat populi Dei. Conſiſtit ordo Sacerdotalis & Leuiticus, & aquæ velut reuerentiam quandam *Sacerdotij dignitas.* Dei miniſtris exhibentes, curſum ſuum refrenant, coacervantur in cumulum, iter Dei populo innoxium concedentes. At ne mireris, cùm hæc geſta erga priorem populum referuntur; tibi Chriſtiane (qui per Baptiſmi ſacramentum,

mentum, Iordanis fluenta transgressus es) diuinus sermo maiora multò & celsiora promittit: iter tibi per aëra ipsum, & transitum pollicetur. Audi enim Paullum dicentem de iustis: *Rapiemur*, inquit, *obuiam Christo in aëra: & ita semper cum Domino erimus.* Nihil omnino est, quod metuat iustus: omnis ei creatura famulatur. Audi etiam quomodo per Prophetam repromittit Deus dicens: *Si transeas per ignem, flamma non aduret te: quoniam ego Dominus* DEVS *tuus.* Omnis igitur locus suscipit iustum: & omnis creatura exhibet ei famulatum. Et ne existimes, quòd hæc in prioribus quidem gesta sunt; in te verò, qui nunc auditor horum es, nihil tale geratur; omnia complentur in te secundùm mysticam rationem. Et tu enim, qui nuper cupis, idololatriæ tenebris derelictis, ad audientiam diuinæ legis accedere, nunc primò Ægyptum derelinquis. Cùm autem Catechumenorum aggregatus es numero, & præceptis Ecclesiæ parere cœpisti, transgressus es mare rubrum, & in deserti stationibus positus ad audiendam Dei legem, & ad intuendum Moysis vultum per gloriam Domini reuelatum, quotidie vacas.

*1 Thessal. 4. v. 16.*

*Isaia 43. v. 2.*

*Catechumenorum locus.*

Si verò ad mysticum baptismi fontem veneris, & consistente Sacerdotali & Leuitico ordine initiatus fueris venerandis illis, magnificisque Sacramentis, quæ norunt illi, quibus nôsse fas est, tunc etiam Sacerdotum ministerijs, Iordane transgresso, terram repromissionis intrabis: in qua te post Moysem suscipit IESVS, & ipse tibi efficitur noui itineris Dux, &c.

*Baptizatorum locus.*

*Eucharistia Sacramentū.*

Deinde paullò pòst, ad illa verba Iosue 3. *Hodie incipiam exaltare te in conspectu populi*: Quanta, *inquit*, gesta sunt? Mare rubrum pedibus transitum est: manna de cælo datum est: fontes in eremo disrupti sunt: Lex per Moysem data est: signa & prodigia multa in eremo gesta sunt: & nusquam dicitur exaltatus esse IESVS: vbi verò Iordanes transitur, ibi dicitur ad Iesum: *In hac die incipiam exaltare te in conspectu populi.*

*Iosue. 3. v. 7.*

Neque enim ante Baptismi mysteriū exaltatus est Iesus, sed exaltatio eius, & exaltatio in conspectu populi inde sumit exordium. Si enim omnes qui baptizantur, in morte ipsius baptizantur, mors autem IESV in Crucis exaltatione completur, meritò vnicuique fidelium, tunc primùm IESVS exaltatur, cùm ad mysterium baptismi peruenerit. Quia & sic scriptum est: quòd *exaltauit eum* DEVS, *& donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum.*

*IESVS à nobis exaltatur in baptismo.*

*Philipp. 2. v. 9.*

*Et infrà*: Nec hoc ipsum, *inquit*, absque mysterij ratione arbitror esse scriptum: quòd pars aquarum Iordanis mergatur in mare, atque in amaritudinem profluat, pars verò in dulcedine perseueret. Si enim omnes qui baptizantur, acceptæ cælestis gratiæ dulcedinem custodirent, & nullus in peccatorum amaritudinem verteretur, non vtique esset scriptum, quòd pars fluminis falsi, maris gurgitibus fuisset immersa:

 &

*iustificati estis in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI. Ita Origenes.

Tractatu autem VII. in Matthæum, Et forsitan, *inquit*, ideo de turbis sequentibus Dominum ad baptisma Iordanis, dicitur: *Et sanauit eos ibi.* Verè enim omnes ab infirmitatibus suis spiritalibus saluantur in Baptismo. Hæc ibi.

Iam autem baptismum antiquitus dari solitum etiam paruulis indicat Origenes, homilia VIII. in Leuiticum: Addi his etiam, *inquit*, illud potest, vt requiratur quid caussæ sit, cùm baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, quamobrem secundùm Ecclesiæ obseruantiam paruulis quoque cernamus dari: cùm vtique, si nihil esset in paruulis, quod ad remissionem & indulgentiam deberet pertinere, gratia baptismi superflua videretur. *Sic ille, innuens peccati originalis per baptismum ablutionem: de quo peccato sententias aliquot è Scriptura proximè adduxerat.*

*Meminit quoque eiusdem baptismi paruulorum, ex Traditione Apostolica, libro quinto ad epistolam ad Romanos, post medium his verbis*: Pro hoc, *inquit*, & Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diuinorum, quod essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & spiritum ablui deberent. *Hæc ibi.*

Admonet Catechumenos debitæ ad baptismum præparationis, homilia 6. in Ezechielem, sub medium, ad ea Prophetæ verba: *Aquâ non es lota in salutem.* vbi sic inter alia: *Ezechielis 16. v. 4.*

Non lauantur, *inquit*, omnes in salutem. Qui accepimus gratiam baptismi in nomine Christi, loti sumus; sed nescio quis lotus sit in salutem. Simon [ magus ] lotus est, & baptisma consecutus perseuerabat in Philippi societate; verùm quia non erat lotus in salutem, condemnatus est ab eo, qui in Spiritu sancto dixit ad eum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Ingentis est difficultatis eum, qui lauatur, lauari in salutem. Attendite Catechumeni & audite, & ex his quæ dicuntur præparate vosmet ipsos, dum Catechumeni estis, dum necdum estis baptizati, vt veniatis ad lauacrum, & lauemini in salutem: nec sic lauemini, vt quidam qui loti sunt, sed non in salutem: vt qui accipit aquam, nec accipit Spiritum sanctum. Qui lauatur in salutem, & aquam accipit, & Spiritum sanctum. Quia non fuit Simon lotus in salutem, accepit aquam, & non accepit Spiritum sanctum, putans quia posset donum Spiritus pecunia comparari. &c. *Simonis magi baptismus in salutem nõ fuit.* *Act. 8. v. 20.* *Adhortatio ad Catechumenos.*

*Et paullo pòst*: Si post regenerationẽ lauacri, si post sermonẽ Dei rursum peccauerimus, in die qua nascimur, proijcimur. Tales sæpissimè reperiuntur lauati lauacro secũdę regenerationis, & nõ faciẽtes fructus dignos pœnitentię, neque exhilarantes mysterium baptismi timore maiore, quàm eo quem habue- *In eadem hom. 16. Ezech.*

habuerunt, dum Catechumeni essent, & charitate ampliori, quàm illa fuerit, quam exercuerunt, dum auditores sermonis essent, & sanctioribus gestis, quàm antè gesserunt. Sequitur istiusmodi homines hoc, quod dicitur: *Proiecta es in faciem campi, prauitate animæ tuæ, in die qua natus es.* Sic ibi.

*Ezechielis 16. v. 5.* Nota in editione latina vsitata haberi. *Proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die quâ nata es.*

De Catechumenis agit etiam in commentario ad cap. 15 Matthæi, titulo De turbis sanatis, ostenditque, quomodo ex mutis, cæcis, surdis, claudis, sanati sint per Verbum Dei.

*Hom. 7. in Lucam.* *Et homilia VII. in Lucam, sub finem*: Quis vos, *inquit*, ô Catechumeni, in Ecclesia congregauit? quis stimulus impulit, vt relictis domibus in hunc cœtum coïretis? Neque enim nos domus vestras singillatim circuiuimus: sed omnipotens Pater virtute inuisibili subijcit cordibus vestris, quos scit esse dignos, hunc ardorem, vt quasi inuiti & reluctantes veniatis ad fidem, maximè in exordio religionis, cùm veluti trepidi & pauentes salutis, fidem cum timore suscipitis. Obsecro vos, ô Catechumeni, nolite retractare: nemo vestrûm formidet & paueat, sed sequimini præeuntem IESVM. Ille vos trahit ad salutem, congregat in Ecclesiam; nunc quidem super terram; si autem fructus dignos feceritis, *in Ecclesiam primitiuorum qui scripti sunt in cælis.* Hæc ibi.

*Heb. 12. v. 23.* *Hom. 21. in Lucam.* Et homilia 21. in eundem, vbi agit de Ioanne, ad Iordanem fluuium baptizante.

Porrò Iordanis, *inquit*, interpretatur Descendens. Descendens autem, & largo impetu currens Fluuius DEI, Saluator noster Dominus est, in quo baptizamur. Quem veram aquam & salutarem, in remissionem quoque peccatorum in baptismo prædicat. Venite Catechumeni, agite

*Cohortatio ad catechumenos.* pœnitentiam, vt in remissionem peccatorum baptisma consequamini. Ille in remissionem peccatorum baptisma accipit, qui peccare desistit. Si quis enim peccans ad lauacrum venit, ei non fit remissio peccatorum. Propterea obsecro vos, ne absque cautela & diligenti circumspectione, veniatis ad baptismum; sed ostendatis primò fructus dignos pœnitentiæ. Ponite aliquid temporis in conuersatione bona: mundos vos à cunctis sordibus vitijsque seruate; & tunc vobis fiet remissio peccatorum; quando cœperitis & vos ipsi propria peccata condemnare. *Ita Origenes.*

Præparationem ad baptismum docet quoque, libro quinto in epistolam ad Romanos, capite sexto, non procul ab initio, vbi & aliquot circa baptismum quæstiones soluit. De præparatione quidem hæc eius sunt verba:

*Lib. 5. in epistolam ad Rom. cap. 6.* Propterea cure fuit Spiritui sancto, tradere per Scripturas, quòd & sepulchrum nouum fuerit, in quo sepultus est Iesus, & quòd in sindone munda

da obuolutus sit: vt sciat omnis, qui consepeliri vult Christo per baptismum, nihil vetustatis ad sepulchrum nouum, nihil immunditię ad mundam sindonem deferendum. *Sic ibi.*

Et infrà clariùs, explicans illa Apostoli verba ad Romanos 6. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus?* Hæc, inquam, verba singillatim explicans, post quædam alia sic scribit: Verumtamen hoc est, quod colligitur ex his Apostoli dictis per altiorem intelligentiam: quòd sicut nemo viuus potest sepeliri cum mortuo: ita nemo qui adhuc viuit peccato, potest in baptismo consepeliri Christo, qui mortuus est peccato: & ideo qui festinant ad baptismum, hoc priùs curare debent, vt moriantur antè peccato, & sic possint consepeliri Christo per baptismum: vt & ipsi dicant: *Semper mortem Domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu Christi manifestetur in carne vestra mortali.* Rom. 6. v. 3. Origenis verba. 2. Cor. 4. v. 10.

Quæstiones autem circa baptismum sic ibidem proponit:

Requires fortassis, *inquit*, cùm ipse Dominus dixerit ad Discipulos, *vt baptizarent omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: cur hîc Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumpsit, dicens: *Quicumque baptizati sumus in Christo*, cùm vtique non habeatur legitimum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis? Sed intuere, *inquit*, prudentiam Paulli, quoniam in præsenti loco, nō tam baptismatis rationem, quàm mortis Christi discutere cupiebat, vt ad eius similitudinem, suaderet nos etiam mori debere peccato, & consepeliri Christo; non erat vtique conueniens, vt vbi de morte agebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum sanctum. *Verbum enim caro factum est*, & meritò vbi caro est, ibi & de morte tractatur: neque conueniebat vt diceret: Quicumque baptizati sumus in nomine Patris, vel in nomine Spiritus sancti, in morte ipsius baptizati sumus. Vnde obseruanda est in hoc loco, & in ceteris, consuetudo Apostoli, quòd non semper, cùm aliquid ex Scripturis assumit, integrum textum verborum, vt in suo loco positus est, assumat, sed ea tantùm quæ præsentis caussæ requirit assertio; sicut in præsenti sermone diximus: quia de morte Christi docere cupiebat, sufficit ei dicere: *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Quæstio de baptismo in nomine Christi. Ioan. 1. v. 14. Obseruatio necessaria in citationibus Scripturæ verbis.

Subijcit deinde consequenter aliquid dignum obseruatu de baptismo, nimirum priscis Apostolorum temporibus, non modò typos ac ritus baptismi ijs qui baptizabantur tradi solitos, sed etiam rituum ipsorum, ac mysteriorum rationem, quam S. Dionysius Areopagita * contemplationem appellat. * Θεωρίαν.

*Verba Origenis rem hanc obseruantis, sunt ista:*

Mihi verò, *inquit*, ne illud quidem otiosè præmisisse videtur Apo-

 stolus

Rom.6.v.3. stolus, quod dicit: *An ignoratis?* per quod ostendit, quia tunc, hoc est, Apostolorum temporibus, non (vt nunc fieri videmus) typus tantummodò mysteriorum his qui baptizabantur, sed etiam eorum virtus & ratio tradebatur, & tanquam scientibus atque edoctis, quòd qui baptizantur, in morte Christi baptizantur, & consepeliuntur ei per baptismum in mortem; & quòd, sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita in nouitate vitæ ambulare debeant hi, qui baptizati sunt; ideo hæc scripsit Apostolus.

*Post hæc affert 2. quæstionem, quinam possunt reperiri tres dies, quibus baptizati consepeliantur Christo?* Adhuc fortassis, *inquit*, etiam hoc in præsenti capitulo requiratur: Si mortui sumus peccato, & consepulti sumus Christo, & consurreximus cum eo; necessarium videtur secundùm hanc formam ostendi, quomodo etiam cum ipso tres dies, & tres noctes in corde terræ sepulti fuerimus. Et vide, si possumus tres dies consepulti Christo facere, cùm plenam scientiam Trinitatis capimus. Lux enim Pater, & in lumine eius qui est Filius, lumen videmus Spiritum sanctum, facimus autem & tres noctes; cùm destruimus tenebrarum & ignorantiæ patrem, vnà cum mendacio, quod ex eo natum est, & mendax est, sicut & pater eius, & tùm loquitur mendacium, de propriis loquitur: sed & tertio loco spiritum erroris destruimus, qui inspirat pseudoprophetas, vt dicant: Hæc dicit Dominus, quos Dominus non misit. Destruimus hæc, & conculcamus, si consepulti sumus Christo, etiam secundùm illud quod ipse dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Quæ singula ita sunt contraria veritati, & Trinitati, vt nox diei, tenebræ luci, & mendacium veritati.

*Trinitas, tria sunt lumina.*

*Lucæ 10. v. 19.*

His dictis suis subiicit Origenes, vt sæpe solet, cautelam & suæ specimen submissionis, cùm dicit: *Hæc interim sunt, quæ nobis in præsenti loco occurrere potuerunt: Si quis autem melius aliquid senserit, non pigeat illis omissis, illa recipere.* Sic ille. Cuius vtinam omnes in scriptis suis imitari audeant modestiam, ac minimè superbam æquitatem!

Hæretici autem ij, qui vnam fidem, & solam absque vllis bonis operibus deprædicant, atque ad salutem, & regnum per se sufficere, contentiosè disputant; propterea quòd à Christo nonnunquam enuntiatum sit: *fides tua te saluam fecit*, & similia; audiant quid Origenes in eodem loco iam citato, ad illud 1. Ioannis 4. v. 2. *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est*; audiant, inquam, quid dicat, & quàm bene explicet. In quo vtique, *inquit*, non is, qui syllabas istas pronuntiauerit, & communi confessione protulerit, Dei Spiritu agi videbitur, sed qui vitam suam ita formauerit, & ita fructus operis attulerit, vt Christum in carne venisse, & mortuum esse peccato, ac viuere Deo, ipsâ operum suorum & sensuum religione monstrauerit. *Ita lib. V. in caput 6. ad Romanos.* Sic igitur alii omnes loci, qui de fide aut confessione fidei agunt, intelligendi sunt.

*Matth. 9. v. 22.*

*1. Ioan. 4 v. 2.*

*Origenis verba de necessitate bonorum operum.*

sunt. Quod è sexcentis Scripturæ locis conuinci potest, vbi bona opera nominatim exiguntur, fide alioqui nihil profuturâ.

## CAPVT XIV.

### CRVCIS ET MORTIS CHRISTI VIRTVS.

POSTQVAM Origenes lib. 5. in caput 6. epistolæ ad Romanos sub finem, multis explicuit illa Pauli verba: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur*, tandem subdit quorundam obiectionem, & soluit; his vtens verbis. *Rom. 6. v. 9.*

*Verba Origenis.*

Vnde miror quosdam, *inquit*, hanc euidentissimam Paulli sententiam velle asserere, quòd in futuris iterum sæculis, vel eadem, vel similia pati necesse sit Christum: vt liberari possint etiam hi, quos in præsenti vita dispensationis eius medicina sanare non potuit. Aiunt enim: Nunquid potest esse sæculum aliquod in futuro, vbi neque boni aliquid, neque mali agatur, sed stupeant res, & maneant profunda silentia? absurdum hoc videri asserunt. Dabimus ergò agi aliquid, & vbi agatur aliquid, necesse est, (aiunt) vt aliquid rectè, aliquid etiam minùs rectè agatur, & in ipso actu aliqui proficiant & meliores fiant, alij deteriores. Libertas enim arbitrij semper naturæ rationabili permanebit, & sicut possibile fuit etiam illum, qui ob splendorem gloriæ Lucifer dicebatur, & ob lumen scientiæ mane oriebatur, commutari è gloria sua, & effici tenebras propter malitiam, quam recepit: & illum qui fuit immaculatus à natiuitate sua, & habitauit cum Cherubim, *& in medio lapidum ignitorum conuersatus est*, & indutus omne ornamentum virtutum: nec fuit vlla arbor in paradiso Dei virtutum, quæ ei posset comparari: & post hæc tamen inuentæ sunt in eo iniquitates, & de cælo in terram proiectus est: Ita potest fieri, vt aliquis in quocumque fuerit statu, & in quacumque perfectione virtutum (quoniam virtus mutabilis est) lapsum possit incurrere: vt sicut à vitijs ad virtutem, ita & à virtutibus inclinetur ad vitia. Quod si est, consequens videbitur requiri medicum, vbi lāguor est: quia secundùm Saluatoris vocem, *opus est medicus his, qui malè habent.* Hæc ergo & his similia proponentes, easdem in futuris sæculis dispensationes à Christo repetendas esse arbitrantur. *Hæresis asserentium rursus Christum in futuris sæculis passurum, refutatur. Obiectio hæreticorū. Ezechiel. 28. v. 14. Matth. 9. v. 12.*

Hactenus obiectio: sequitur Origenis responsio.

Sed ad hæc nos, *inquit*, breuiter, prout poterimus, respondebimus. Manere quidem semper naturæ rationabili liberum arbitrium non negamus: sed tantam esse vim Crucis Christi, & mortis eius, quam in sæculorum fine suscepit, asserimus, vt ad sanitatem & remedium non solùm præsentis & *Responsio Origen. Crucis Christi vis & efficacia.*

 futuri,

futuri, sed etiam præteritorum sæculorum, nec solùm humano huic nostro ordini, sed etiam cælestibus Virtutibus sufficiat. Nam secundùm ipsius Paulli Apostoli sententiam, Christus pacificauit per sanguinem Crucis suę, non solum quæ in terra sunt, sed & quæ in cælis. Quid autem sit, quod in futuris sæculis teneat arbitrij libertatem, ne rursum corruat in peccatum, breui nos sermone Apostolus docet, dicens: *Charitas numquam excidit.* Idcirco enim, & fide, & spe maior charitas dicitur: quia sola erit, per quam delinqui vltrà non poterit. Si enim anima in id perfectionis ascenderit, vt ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis, diligat Deum, & proximum suum tanquam seipsum; vbi erit peccati locus? Idcirco denique & in lege hoc dicitur primum mandatum esse: & in Euangelijs, supra cetera omnia, de Charitate mandatur, & Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi Charitatis exigitur: & Ioannes cùm multa de Charitate, tum etiam hoc dicit: *Qui manet in Charitate, in Deo manet.* Hinc meritò Charitas, quæ sola omnium maxima est, omnem creaturam continebit à lapsu, tunc cùm Deus erit omnia in omnibus.

*Charitatis laus eximia.*

1. Cor. 3. v. 8.

1. Ioan. 4. v. 16.

Deinde cùm protulisset illud Paulli dictum de Charitate: *Quis nos separabit à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an gladius* &c. *sic infert:* Si nihil horum, quæ enumerauit Paullus, separare nos poterit à Dei charitate; quanto minùs libertas arbitrij? Quamuis enim sit etiam virtus, & maneat in natura, tamen tanta vis est Charitatis, vt ad se omnia trahat, omnesque sibi societ, vindicetque virtutes, &c.

Rom 8. v. 35.

Hæc è libro 5. in caput 6. epistolæ ad Romanos. Iam autem initio libri 6. post longam ex eodem Apostolo peccatorum recensionem, quæ opera carnis appellauit, sic de vi crucis & passionis Christi subijcit:

Certum est, *inquit*, quòd vbi mors Christi circumfertur, non possit regnare peccatum. Est enim tanta vis Crucis, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia: sed continuò ad eius præsentiam totus ille, quem suprà enumerauimus, peccati & carnis fugetur exercitus. *Sic ibi.*

*Crucis Christi vis.*

De Crucis triumpho & gloriatione Christianorum in Cruce, ita scribit Origenes tractatu 1. in Mattheum.

*Verba Origenis:*

Si quis, *inquit*, confunditur in Cruce, confunditur in dispensatione, per quam triumphati sunt in ligno Principatus & Potestates, qui genus hominum debellabant; cùm deberet potiùs gloriari, quasi fidelis, & sciens hęc dispensata esse in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem crucifixo mũdo traducti sunt, & triumphati Principatus ijs solis, qui credunt. In quibus Principatibus

Principatibus arbitror etiam fuisse Principem huius mundi. Proptereà enim vicinus Passioni dicebat: *Nunc Princeps huius mundi iudicatus est. Nunc Princeps huius mundi expelletur foras.* Quo expulso, inquit, *si fuero exaltatus à terra, omnia traham ad meipsum*, videlicet non tantùm iam potente Principe, quantum priùs, qui vetabat venire ad Christum eos, qui ab ipso trahebantur. Necessaria ergo res est, prædicari Christum Iesum crucifixum: inutile autem est ipsum quidem prædicare, Crucem autem eius tacere. Nec sic inutilis mihi videtur, qui Iesum quidem Christum dicit, tacet autem natiuitatem eius ex Virgine, aut stellam eius natiuitatis indicem, aut Angelos in natiuitate eius gloriantes atque dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & pax super terram hominibus bonæ voluntatis*; aut alia miracula vel signa quæ fecit; sicut inutilis est ille, qui Christum quidem dicit, fuisse autem crucifixum abscondit. *Sic ibi.*

Ioan. 12. v. 31.

Lucæ 2. v. 14.

Et tractatu 2. in caput 16. Matthæi, sub initium:

Adhuc autem & hoc vide, *inquit*, quòd cùm multi essent modi mortis, in ligno suspensus crucifixus est filius Dei: vt omnes qui moriuntur peccato, non alio modo illi moriantur, nisi secundùm crucem, vt dicere possint: *Christo confixus sum cruci.* Item: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quamuis ergo videatur quis abstinere se à peccato, & sit mortuus quantum ad peccatum, tamen nisi in crucem Christi crediderit, & in fide eius, qui crucifixus est, abstinuerit se à peccato, non potest dicere. *Ego autem Christo confixus sum cruci.* Hæc ibi.

Galat. 2. v. 19. ibid. 6. v. 14.

Crucis autẽ mors, & tam infamis & cruenta nex, cur à Christo electa sit, præter alias caussas ab aliis Scriptoribus afferri solitas, nõ est illa improbabilis nec minima, quã Origenes cõtra Celsum Epicureum, l. 2. attulit, nempe vt post tam manifestam in cruce mortem; magis testata esset eius Resurrectio, præsertim contra eos, qui cauillabantur ita eum descendisse ad inferos ac redijsse, sicut fabulæ referunt de Zamolxi seruo Pythagoræ apud Scythas, & de ipso Pythagora in Italia, & de Rampsinito in Ægypto qui etiam apud inferos cum Cerere tesseris lusisse dicitur, & donum ab ea retulisse mantile aureum) & de Orpheo apud Odrysos, & de Protesilao apud Thessalos, & de Hercule & Theseo in Tænaro; qui cùm se ad tempus subduxissent, ac postea rediuissent, se ab inferis rediisse confinxerunt. Quò igitur magis testata esset suæ veritas resurrectionis, mortem Crucis ignominiosam & publicam elegit, vt accedente totius populi Iudaici de illa testimonio, nullus relinqueretur locus illis suspicionibus, quæ habentur de Gentilium heroibus. Nam cuique heroum modò dictorum (inquit Origenes) liberum erat subducere se è mortalium conspectu, ac rursum arbitratu suo ad eos reuerti. At verò, Iesus crucifixus inspectantibus Iudæis omnibus, & post mortem coram eodem populo de cruce demptus, quomodo potest insimulari tale quippiam fecisse, qualia iactantur de heroum, ad inferos descensu ac reditu?

*Cur à Christo electa sit Crux potiùs quàm aliud mortis genus.*

*Qui Ethnicorum rediisse se ab inferis confinxerint.*

Ac

Ac fortasse id quoque ad defensionem Iesu crucifixi afferri potest, occasione arrepta ex istis narrationibus de heroibus, qui per vim ad inferos irrupisse dicuntur, voluisse illum mori ignominiosa morte, vt post tam compertam mortem, totius populi Iudaici testimonio, locus non relinqueretur suspicionibus quæ habentur de heroibus. Fieri enim potest, vt præter ceteras, hac quoque de caussa publicè affectus sit supplicio: ne aliquis caussaretur, eum data opera secessisse è conspectu hominum, vt falsò habitus pro mortuo, quando ipsi videretur, proferret se quasi prodigiosè reuersum in vitam à mortuis. *Sic ibi.*

# CAPVT XV.

## *SCRIPTVRA SACRA.*

PERMAGNI Scripturam sacram, si quis alius, fecit Origenes, neque vllus mortalium adhuc fuit, nec futurus videtur, qui tantùm studij ac laboris in ea requirenda, emendanda, explicanda, aduersus Iudæos, Gentiles, Hæreticos propugnanda posuerit, quàm ille vnus: fidem scilicet certissimam facientibus, tum eius tetraplis, hexaplis, octaplis, tum etiam diuersi generis plurimis tractatibus, commentarijs, homilijs. Ex quibus ego in præsenti, aliqua hîc proponam legendi studiosis haud parùm vtilia.

### *SCRIPTVRÆ SACRÆ DIGNITAS & æstimatio.*

§. 1. *Scriptura sacra plena mysterijs.* HOmilia 1. in Exodum, ita sub mediũ scribit: Ego, *inquit*, credẽs verbis Domini mei Iesu Christi, in lege & Prophetis, iota quidem vnũ, aut vnum apicem non puto esse mysterijs vacuum: nec puto aliquid horum transire posse, donec omnia fiant. Verùm quoniam exiguę capacitatis sumus, ea nunc tantùm pulsemus, quibus tutiùs incedamus. *Sic ibi.*

Et libro 5. in caput 5. epistolæ ad Romanos, post enucleatos aliquot Paulli sensus, Vnde apparet, *inquit*, in litteris Paulli ne vnam quidem syllabam vacuam sentiri debere mysterijs.

§. 2. *Scriptura mannæ comparata.* Iam autem homilia 7. in caput 15. Exodi, sub medium, Scripturam, sacram, & Verbum Dei mannæ comparat. In nostra, *inquit*, Dominica die semper pluit Dominus manna de cælo. Cælestia namque sunt eloquia ista, quæ nobis lecta sunt, & à Deo descenderunt verba, quæ nobis recitata sunt: & ideo nos felices, qui tale manna suscepimus. Semper nobis manna datur de cælo: illi infelices dolent ac suspirant, & se miseros dicunt: quia manna, sicut acceperunt olim patres ipsorum, non merentur ipsi

ipsi accipere. Illi nunquam manna manducant. Non enim possunt illud manducare, quod est minutum, sicut semen coriandri, & candidum, sicut pruina. Nihil enim in verbo Dei minutum, nihil subtile, nihil sentiunt spiritale, sed totum pingue, totum crassum. *Incrassatum est enim cor populi illius*. Sed & interpretatio nominis idem sonat. Manna enim interpretatur, *quid est hoc?* Vide igitur, si non ipsa vis nominis ad discendum te prouocat: vt cùm Dei legem audis recitari, requiras semper, & interroges, & dicas doctoribus: *Quid est hoc*. Nam hoc est, quod indicat *manna*. Tu ergo si vis manducare manna, id est, si cupis suscipere verbum Dei, scito illud esse minutum & valde subtile, sicut semen coriandri. Habet enim aliquid in se oleris, quo nutrire & recreare possit infirmos: quia, qui infirmus est, olera manducat: habet & aliquid rigoris, ideoque & pruina est: candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius, quid splendidius eruditione diuina? quid dulcius, quidue suauius eloquijs Domini, quæ sunt super mel & fauum? *Sic ibi*. Matth. 13. v. 15.

*Et infrà ibidem*: Nunc ergo festinemus cæleste manna suscipere. Istud enim manna prout vult vnusquisque, talem in eius ore reddit saporem. Nam audi Dominum dicentem, ijs, qui accedunt ad se: *fiat tibi secundum fidem tuam*. Et tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras: verbi gratia si tribularis, consolatur te dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudia, dicens: *Lætamini in Domino, & exultate iusti*. Si iracundus es, mitigat te dicens: *Desine ab ira, & derelinque furorem*. Si in doloribus es, sanat te dicens: *Dominus sanat omnes languores tuos*. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: *Dominus eleuat de terra inopem & de stercore erigit pauperem*. Si ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcumque volueris, hoc tamen si quis infideliter suscipiat, & non comedat, sed abscondat, vermes ex eo ebulliunt. *Sic ibi*. In ead. hom. 7. Manna sapor. Matt. 9. v. 29. Psal. 50. v. 19. Psal. 31. v. 11. Psal. 36. v. 8. Matt. 4. v. 23. Psal. 112. v. 7.

Post hæc obiectionem ponit contra hæc verba extrema. *Putásne*, inquit, *eò vsque deducendum est verbum Dei, vt etiam vermis fieri putetur?* Deinde sic respondet: Non te hîc turbet, quod audisti. Audi Prophetam ex persona Domini dicentem: *Ego autem sum vermis, & non homo*. Sicut enim ipse est, qui fit aliis in ruinam, aliis autem in resurrectionem; ita & ipse est, qui nunc in manna fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus autem vermis efficitur. Ipse est enim sermo Dei, qui iniquorum mẽtes arguit, & correptionum spiculis peccatorum conscientias terebrat. Psal. 21. v. 7.

Ipse est, qui & ignis efficitur in cordibus illorum, quibus aperit scripturas, qui dicunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas!* & qui aliis est ignis, & spinas de terra mala concremans, id est, qui malignas cogitationes in corde consumit.

2i *Aliam*

ad insidiandum coluber latet; si patienter feras, si non tædio fatigatus auditum auertas, Scripturæ sermonibus & diuini sermonis assiduitate depellitur. Si quando igitur vides, ô auditor, legi in auribus tuis Scripturam, quam non intelligis, & cuius sensus tibi videtur obscurus, hanc interim primam suscipe vtilitatem, quòd solo auditu velut præcantatione quadam, noxiarum Virtutum, quæ te obsident, & quę tibi insidiantur, virus depellitur & fugatur.

*Et paullò inferiùs*: Hæc autem idcirco diximus, ne capiamus fastidium audientes Scripturas, tametsi non intelligamus: sed fiat nobis secundùm fidem nostram, credentibus *quòd omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est.* Si ergo diuinitus inspirata & vtilis est, quamuis vtilitatem non sentiamus, credere tamen debemus, quòd vtilis sit. Solent medici interdum aliquem cibum præbere, interdum & potum aliquem ad discutiendam, verbi gratia, visus caliginem: nec tamen in ipso cibi esu, neque in sumptione potus, sentitur oculis prodesse, sed postquàm illius cibi poculiue virtus in visum penetrarit, aspectumque purgauerit, tunc demum sentiri incipit cibus ille aut potus profuisse oculis. Idemque accidit, in reliquis partibus corporis. Quare pari modo & de Scriptura sancta credendum est, eam animæ conducibilem esse, quamuis in præsens non percipiat sensus noster intelligentiam, quandoquidem, vt diximus, & bonæ Virtutes, quæ nobis adsunt, his reficiantur, pascanturque sermonibus, & contrariæ torpescant & effugentur. *Sic ibi.*

*2. Timot. 3. v. 16. Scripturæ vtilitas non protinus sentitur.*

§. 5. *Scriptura est templum gloriæ Dei.*

Idem tractatu 25. in Matthęum, docet Scripturam sacram esse templum gloriæ Dei: Vt sit quidem, *inquit*, templum gloriæ Dei, Scriptura diuinitus inspirata: aurum autem, sensus in ea contentus. Debemus ergo ad omne testimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, vt confirmantem, quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum, quodcumque fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra diuinam Scripturam, quàuis videatur quibusdam admirabilis, non est sanctus, quia non continetur in Scriptura, quę solet eum solum sensum sanctificare, quem in se habet, sicut templum habet proprium aurum. Non ergo debemus ad nostram doctrinam confirmandam, nostros proprios, & quos vnusquisque format intellectus iurare, & quasi testimonia assumere, nisi ostendamus eos sanctos esse ex eo, quòd in diuinis continentur Scripturis, quasi in templis quibusdam Dei. *Ita Origenes.*

# CAPVT XVI.

## SCRIPTVRÆ SACRÆ DIFFICVLTAS.

NON est tam facilis Scriptura sacra, quàm ab hæreticis quibusdam (qui promiscuè eam ab omnibus legi volunt) confingitur, cùm & maximi in ecclesia viri plurimùm in ea intelligenda laborarint, nec omnia assecuti sint; sed multa Deo relinquenda professi sint. E quibus fuit S. Irenæus Lugdunensis Episcopus & martyr, libro 2. aduersus hæreses, cap. 47. vnde pulchra annotaui ad eiusdem vitam, tomo 2. Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum. Post Irenæum idem professus hic noster Origenes maximi æuo suo ingenij vir, homilia 5. in Leuiticum, cuius hæc sunt verba:

*Irenæus lib. 2. aduersus hæreses, cap. 47.*

*Hom. 5. in Leuiticum.*

Verumtamen sciendum est, *inquit*, quòd ex hostiis quæ offeruntur, licet quædam concedantur Sacerdotibus ad edendum, non tamen omnia, sed pars ipsarum aliqua Deo offertur, & altera ignibus traditur: vt sciamus & nos, quòd, tam etsi concedatur nobis aliqua è diuinis Scripturis apprehendere & cognoscere, sint tamen aliqua, quæ Deo reseruanda sint: quæ cùm intelligentiam nostram superent, sensusque eorum supra nos sit (ne fortè aliter à nobis, quam se habeat veritas, proferantur) meliùs igni ista seruemus.

*Qui Scripturæ libri ingenijs mediocribus conueniant: qui maioribus.*

Et homilia 27. in Numeros, egregiè ostendit è sacræ Scripturæ libris aliquos esse faciles, & ingenijs simplicibus accommodatos, vt sunt in vetere testamento, libri Ester, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, & similes: aliquos autem difficiles, vt Geneseos, Exodi, Leuitici, & his affines, maioribus tantùm ingenijs aptos: non secus ac diuersitas est ciborum, quorum aliqui iunioribus, alij grandioribus congruant, omnes autem generatim boni sint & vtiles, neutrique superuacanei. Quod ipse pulchris amplificat exemplis, à leone, & à diuersa aliorum animalium turba desumptis.

*Similitudo elegans.*

Sicut si Leoni, *inquit*, detur intellectus, non is continuò culpabit creatam à Deo herbarum abundantiam, propterea quòd ipse crudis vescatur carnibus, nec dicet illas superfluè à creatore esse conditas, quia ipse eorum cibo non vtatur: Sic & homo, non ideo quia pane & aliis sibi conuenientibus vtitur alimonijs; culpare Deum debet, quòd serpentes crearit, cùm eos videat escam fieri ceruorum. Neque item ouis, neque bos, eo quòd ipsi graminibus contenti sint, in culpa ponere debent alijs animalibus, quòd carnibus pascantur. Ita ergo & in cibis rationalibus, diuinorum dico voluminum, non continuò culpanda aut refutanda est Scriptura, quæ intellectu difficilior aut obscurior videtur, aut quæ ea continet, quibus incipiens

& paruulus, siue homo infirmior, & ad omnia percipienda inualidior vti non potest, & vnde sibi nihil vtilitatis conferri aut salutis existimat: sed considerare debet, quòd sicut serpens, & ouis, & homo, & fœnum à Deo creata sunt, & diuersitas ista ad laudem & gloriam spectat conditoris, quòd competentem & tempestiuum vnicuique eorum, pro quibus creata sunt, vel præbeant cibum vel capiant: ita & hæc omnia, quæ Dei verba sunt, & in quibus pro animarũ captu diuersus est cibus, debet vnusquisque, prout se sanum sentit & validum, id assumere quod sibi est commodum. Quamuis etiam, si diligentiùs aliquantò requiramus, verbi caussa, in Euangelij lectione, vel in apostolica doctrina, quibus delectari videris, & in quibus tibi aptissimum & suauissimum deputas cibum, quanta sunt, quæ te latent, si discutias & perscruteris mandata Domini? Quòd si ea, quæ obscura videntur & difficilia, refugienda sint protinus, & vitanda; inuenies etiam in illis, in quibus valde confidis, tam multa obscura & difficilia; vt si hanc sententiam teneas, sit tibi etiam inde recedendum. *Sic ibi.*

*Idem homilia 9. in Ieremiam, sub medium*, Neque verò, *inquit*, solùm hoc in loco, sed in omni Scriptura, sunt quædam facilia & prompta ad intelligendum, quæ statim vt lecta fuerint, vtilitatem legentibus tribuant: sunt & alia secretiora & ineffabilia, & quibusdam, vt sic loquar, obscuritatibus inuoluta. *Sic ibi.*

Et libro 4. de principiis, cap. 2. sub initium, docet non modò libros Prophetarum esse difficiles, sed alios quoque, etiam Euangelistarum, sed maximè Apocalypsin Ioannis. *Apocalypsis Ioannis omnium difficillima.*

Sed ne fortassis, *inquit*, tantummodò in Propheticis hæc difficultas inesse putetur sermonibus, (quandoquidem certum est, quod nemo non videt, stilum Propheticum figuris & ænigmatibus esse confertum) quid, cùm ad Euangelia venimus? An non etiam ibi sensus interior, vt pote diuinus, latet? Qui per illam tantummodò gratiam reuelatur, quam acceperat ille, qui dicebat: *Nos autem Spiritum Christi habemus: vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.* *1. Cor. 2. v. 12.* Iam verò illa quę Ioanni reuelata sunt, si quis legat, quomodo non obstupescet tantam inesse occultationem ineffabilium sacramentorum? in quibus manifestè ab eis etiam, qui intelligere quid in eis lateat, non possunt, intelligitur tamen quòd aliquid lateat. *Ioannis Euangel. reuelationes quam admirabiles?* At verò epistolæ Apostolorum, quæ videntur aliquibus esse planiores, nonne tam profundis replete sunt sensibus, vt per eas, hisqui possunt intelligere diuinæ sapientię sensum, quasi per breue quoddam receptaculum, immensæ lucis claritas videatur infundi? *Epistolarum Apostolicarũ laus.*

Et libro 1. Contra Celsum, sub initium, vbi refutat arrogans eius dictum, quo dixerat se nosse omnia Christianorum, dogmata, scilicet, Scripturas, ritus, consuetudines, &c. *Ita scribit:*

*Verba Origenis.*

Dictũ Celsi philosophi arrogans exagitatur.

Respondendum est, *inquit*, primum illud, *Noui enim omnia*, dictum ab eo arroganter. Quia si legisset nostra, & maximè Prophetas cõfessis refertos obscuritatibus, & sermonibus non cuiuis perspicuis, euoluissetque parabolas euangelicas, cum reliquis Scripturis legis & historiæ Iudaicę, Apostolorumque verba, & eorum, quæ legisset, sententiam grato perquisiuisset animo; non tantâ confidentiâ rem gereret, nec diceret, *Noui enim omnia*, quod ne nos quidem in his versati diceremus. Amica enim est veritas. Nemo nostrûm dicet: Noui enim Epicuri omnia, nec audebit profiteri se nôsse Platonis omnia, cùm tantopere inter se discrepent etiam librorum eius interpretes. Quis item est tam audax, vt dicat se nouisse Stoicorum, Peripateticorúmue omnia? Nisi fortè verbum hoc, *Noui enim omnia*, ab idiotis aliquibus imperitiam suam ignorantibus audierit, putans se ab huiusmodi præceptoribus perdidicisse omnia. Videtur sanè mihi ita facere, ac si quis in Ægypto peregrinatus (vbi sapientes Ægyptiorum domestica litteratura eruditi, multa de Dijs patrijs philosophantur, plebeij verò homines fabulas quasdam audientes, quarum rationem non tenent, vehementer sibi placent earum cognitione) putet se pernôsse omnem Ægyptiorum sapientiam ex vulgaribus ipsorum colloquijs, cum nemine interim sacerdotum conuersatus, nec à quoquam eorum de mysterijs Ægyptiacis edoctus. *Sic ibi.*

Celsus comparatur cum peregrino idiota, vana eruditionis

Et libro 7. contra eundem Celsum: Alij quoque cordati viri, *inquit*, scrutando Scripturam, intellectum eius inuenire poterunt, licet re vera sit multis locis obscura; sed non sic, vt intelligatur à nemine, quantumuis Celsus id asseueret. *Hæc ille.*

Agit autem hîc potissimè Origenes de libris Prophetarum, quos Celsus philosophus tam obscuros dicebat esse & abstrusos, vt nullus intelligeret; in hoc quidem valde diuersus ab hodiernis hæreticis, qui tam claram affirmant esse Scripturam, vt capi & intelligi ab omnibus possit.

Vide eundem Origenem libro 3. in epistolam ad Romanos cap. 3 vbi innuit aliqua in Apostolo esse tam difficilia, vt videantur inter se contraria, ac proinde à nonnullis hæreticis ad sua confirmanda dogmata arripiantur.

CAPVT XVII.

# CAPVT XVII.

## *SCRIPTVRÆ SACRÆ STILVS AB Origene defensus.*

SCRIPTVRÆ sacræ stilum, quasi nimis rudem ac simplicem, cauillati sunt, cùm alij Gentiles, tùm præcipuè Celsus Philosophus: quem Origenes in libris contra eum scriptis egregiè cōfutat. In sexto quidem sic inter alia: Celsus, *inquit*, aliique criminantur Scripturarum nostrarum in loquendo simplicitatem, quam cultioris orationis splendor ad se collatam videtur obscurare: cùm Prophetę nostri, & Iesus ipse, eiúsque Apostoli potissimùm, attenti fuerint ad genus orationis, non modò veracissimum, sed etiam ad multitudinem attrahendam accommodatissimum: vt singuli tandem ad Deum conuersi, arcana sub sermonis simplicitate latentia, pro virili percipiant. Immo, si verum fateri licet, paucis profuit (si tamen profuit) Platonis & similium exculta & accurata oratio: longè pluribus autem ista simplicitas hominum, tam stilo, quàm doctrina ad captum vulgi se attemperantium. Itaque videre licet Platonem doctorum duntaxat teri manibus: Epictetum autem vulgo quoque lectorum admirabilem esse vtilitatis nomine: quòd se nimirum illius præceptis admonitos proficere sentiant. Id quod nolim ita accipi, quasi dictum, in Platonis contumeliam (est enim & hic perutilis doctioribus) sed quò melius intelligatur mens illius, qui dixit: *Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: Vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Ita Origenes.

*Sermonis simplicitas veritati & suadelæ accommodatior.*

*Epictetus quàm Plato vtilior.*

*Et infrà.* Vide differentiam, *inquit*, inter pulchrum illud Platonis dictum, & dicta Prophetarum de beatorum lumine: & quòd Platonis de hoc veritas nihil ad sinceram pietatem lectoribus profuit, ac ne ipsi quidem, qui de primo bono sic philosophatus est. Sacræ autem Scripturæ simplex oratio germanum lectorem numine quodam afflatum corripit: quippe quæ habet penes se lumen illud, quod in parabola quinque prudentes virgines in lampadibus suis alunt oleo. *Sic ibi.*

*Scripturæ sacræ efficacia præ Platonis eloquio.*

*Et libro 7. contra eundem Celsum, qui iactabat eadem vitæ præcepta, quæ in sacris continentur litteris, etiam à Socrate, Platone, Epicteto, aliisque philosophis tradita esse, & quidem elegantius, ita respondet:*

Si quod est placitum, sanum, & vtile, quod idem sit apud Græcorum aliquem, seu Platonē, seu quemuis alium; & idem apud Iudęos in Mosis voluminibus, aut alicuius Prophetarū, & apud Christianos in Iesu sermonibus, aut Apostoli cuiuspiā scriptis reperiatur, nō ideo debere accusari ea, quę apud Iudęos sunt, aut apud Christianos, quòd eadē sint in Gręcis litteris, cū constet

*Origenis verba.*

*Hebraicæ litteræ antiquiores sunt Græcis.*

Hebraicas antiquiores esse quàm Græcas. Et rursum, si eadem Græci eloquuntur venustiùs, non statim existimandum est ea dici & meliùs: quandoquidem Prophetæ simplici stilo vsi, libros Hebraicè scriptos nobis reliquerunt, non tamen inornatâ secundùm suam linguam compositione.

*Dogmata cõmunia meliùs ab Hebræis & Christianis tradita sunt, quàm à Græcis.*

*Similitudines aptissimæ, pro vtilitate stili Scripturæ, præ elegantiori Gentilium.*

Quòd si dicendum est aliquid penè incredibile, dicimus hæc ipsa communia dogmata meliùs ab Hebræis & Christianis, quàm à Græcis tradi: remque exemplo à cibis sumpto comprobabimus. Sit aliquis cibus salutaris, & robur vescentibus conferens: hunc bene paratum & aromatibus conditum sumant non homines insuetì, agrestes, ruri frugaliter educati; sed soli diuites & delicati: eundem quoque non lautiorum more, sed suo modo paratum edant pauperes & vulgus rusticum, multa hominum millia: fac deinde illos diuites benè valere solos, fruentes suis condimentis, attingente alio nemine, vulgus item suo paratu contentum valere prosperè? vtrisnam gratias magis habebimus ob cibum communicatum? ijsne qui cibum ita parauerint, vt optimatibus tantùm esset vtilis? an ijs qui sic condierunt, vt etiam vulgo prodesset? dato quòd vtrisque par accederet valetudo, & æqualis constitutio. Dari enim potest. Atqui manifestum est eum medicum humaniorem & publico vtiliorem esse, qui multorum quàm qui paucorum sanitatis rationem habeat. Hoc exemplum si intellectum est, transeamus à cibis corporis ad cibos animalium rationalium proprios, & videamus, an non Plato & Græcorum sapientes sint ijs similes medicis, qui solis hominibus lautioribus prospiciunt, neglecta plebeiorum multitudine: Iudæorum verò Prophetæ, & IESV discipuli, qui valere iusserunt verborum ornamenta, totamque humanam sapientiam, quam Scriptura carnalem vocare solet, sua lingua vulgari, similes sunt ijs, qui cibos curant quàm saluberrimos, ea compositione verborum, eoque apparatu, qui sit accomodatissimus ad captum multitudinis, consuetam linguam desiderantis, & offendi solitæ sermonum nouitatibus, inauditisque antea disputationibus. Nam si propterea factus est cibus rationalis, vt eum, qui se gustauit, mitem ac tolerantem faciat; an non meliùs is sermo erit paratus, qui totas plebes mites ac patientes reddet? aut certè efficiet, vt in ijs virtutibus proficiant; quàm is, qui paucos numero tales efficiet, si tamen vllos, efficiat? *Subdit & aliam similitudinem.*

Quemadmodum, *inquit*, si quis Græcus Ægyptios, aut Syros, sana velit doctrina instruere, is linguas ipsorum perdiscere curabit, malletque verbis eorum barbaris, sicut Græci vocant, vti; dummodo illis prodesse possit, quàm sua vtendo lingua, ipsis esse inutilis: ita Dominus Deus non solùm ijs, qui græcè eruditi existimantur, prospiciens; sed alijs quoque Græcis ineruditis, imperitæ multitudinis captui se accommodauit: vt consueto ipsis sermone vtens ad audiendum prouocaret: præsertim cùm facta semel introductione, ad percipiendos rerum in Scripturis absconditarum profundiores sensus, facile sit eos extimulari. Cuiuis enim, qui has leget, manifestum,

festum est eos, qui diligéter examinent, multò profundiora inuenire quàm quæ prima appareant specie, tantoque ampliùs, quantò plus impensum fuerit studij. *Sic ibi.*

# CAPVT XVIII.

## *TRADITIONVM ECCLESIASTIcarum auctoritas.*

IN magna, secundùm Scripturam sacram, auctoritate sunt Traditiones Ecclesiasticæ. Has Origenes & in precio habuit, & crebrò vsurpauit, & totis contra aduersarios viribus propugnauit. Cùm de Susannæ ageretur historia, quam Iulius Africanus vir egregiè doctus, & antiquorum temporum scriptor haud ignobilis, indignam Sacræ Scripturæ nomine iudicaret, ad Origenem (vt in eius vita meminimus) litteras dedit, quibus illi persuadere multis argumentis conatus est, non veram esse illam historiam sed lepidam fabellam prophetiæ Danielis assutam. Cui contrà Origenes pro firmissimo munimento veritatis, opposuit Ecclesiæ Traditionem, quæ Ecclesia ab Apostolorum temporibus, ad illam vsque ætatem pro vera & canonica Scriptura eam habuerit, habeatque. Quin & peruicit, vt etiamnum pro tali, sicut reuera est, ab omnibus Catholicis Doctoribus sine controuersia habeatur: tametsi vnus aliquando in Africani sententiam inclinarit Hieronymus. De hac controuersia, vide, si lubet, Notationes nostras ad caput XVI. vitæ, infrà.

*Iulij Africani, Scriptoris Ecclesiastici laus.*

Pro reperienda itidem dogmatum inter Catholicos & Hæreticos controuersorum veritate, nusquam aliò post Scripturã quàm ad Ecclesiasticam Traditionẽ, docuit recurrendũ. Cuius hæc sunt præclara verba in proœmio ad librum primum De principijs, sub initium: *Quoniam ergo*, inquit, *multi ex his, qui in Christo credere se profitentur, non solùm in paruis & minimis discordant, verùm etiam in magnis & maximis, id est, de Deo vel de Domino nostro* IESV *Christo, vel de Spiritu sancto: nec solùm de his, sed & de creaturis, id est, vel de Dominationibus, vel de Virtutibus sanctis; proptereà necessarium videtur priùs de his singulis certam lineam, manifestámque regulam ponere, tum deinde etiam de ceteris quærere. Sicut enim multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus eam apud illos omnes quærere, qui falsis eam opinionibus asserebant, posteaquam credidimus Christum esse Filium Dei, & veritatem ab ipso addiscendam nobis persuasimus: ita cùm multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur autem ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem, ab Apostolis*

*Verba Origenis.*

*tradita, & vſque ad præſens in Eccleſijs permanens: illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſtica diſcordat Traditione.* Iſta ibi Origenes. Qui & homilia 7. in Leuiticum, poſt medium, tam breuiter quàm ingenuè profitetur, ſe Scripturarum intelligentiam capere velle ſecundùm Traditionem Apoſtolorum, non autem, vt hæretici quidam dicta ſpernentes Apoſtolica, ex ingenio proprio. *Ad Chriſtianos*, inquit, *ſermo eſt, quibus Apoſtolicorùm dictorum cara debet eſſe auctoritas: ſi quis verò arrogantia tumidus Apoſtolica dicta contemnit, aut ſpernit, ipſe viderit. Mihi autem, ſicut Deo & Domino noſtro* IESV CHRISTO, *ita & Apoſtolis eius adhærere bonum eſt, & ex diuinis ſcripturis ſecundùm ipſorum TRADITIONEM intelligentiam capere.* Sic ibi.

Idem homilia 5. in caput 4. Numerorum, ante medium, refert nonnulla, quæ ab eccleſijs ex ſola maiorum Traditione, ſine vllo ſeu Chriſti Domini, ſeu Apoſtolorum & Euangeliſtarum mandato ſcriptis expreſſo, paſſim obſeruantur, & obſeruari debent. Cuius hæc ſunt verba: *Sed & in Eccleſiaſticis obſeruationibus*, inquit, *ſunt nonnulla huiuſmodi, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd, verbi gratia, genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis, ad ſolis Orientis partem conuerſi orationem fundimus, non facilè cuiquam puto ratione compertum. Sed & Euchariſtiæ, ſiue percipiendæ, ſiue eo ritu, quo geritur explicandæ, vel eorum, quæ in baptiſmo ſunt verborum, geſtuúmque, & ordinum, & interrogationum ac reſponſionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta, & velata portamus ſuper humeros noſtros, cùm ita implemus ea & exequimur, ſicut à magno Pontifice atque eius filijs tradita & commendata ſuſcepimus.* Sic ipſe alludens ad Aaronem veteris teſtamenti Pontificem, & ad Leuitas tabernaculi fœderis miniſtros, qui, cùm mouenda eſſent caſtra, cunctam ſacram ſupellectilem eiuſdem tabernaculi, opertam priùs ac benè inuolutam, iuxta Aaronis præceptum ac diſpoſitionem, humeris deportare iubebantur, ſicut capite 4. Numerorum deſcribitur.

Hoc eodem, quo Origenes, ſæculo, paribus armis depugnabat Tertullianus in Africa aduerſus eoſdem hæreticos, & Traditiones ſuas vt oſtenderent, perurgebat. Et his ambobus antiquior S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, (quem alij fere omnes tanquam ducem in hoc argumento ſecuti ſunt) eximiè hanc de Traditionibus materiam pertractauit: quemadmodum ad eius vitam, in noſtro ſecundò Illuſtrium Eccleſiæ Orientalis Scriptorum tomo oſtendimus.

CAPVT XIX.

# CAPVT XIX.

## LIBERVM ARBITRIVM DEFENSVM.

De libero arbitrio paria ceteris SS. Patribus tenuit, docuit, contra hæreticos defendit Origenes. Quin & inter præcipua fidei Catholicæ puncta illud dinumerauit, in suo ad primum librum de principijs proœmio, *his verbis*:

Est & illud, *inquit*, definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationalem liberi esse arbitrij & voluntatis: esse quoque ei certamen aduersus Diabolum & Angelos eius, contrariásque Virtutes; ex eo quòd illi peccatis eam onerare contendant: nos verò, si rectè consultéque viuamus; ab huiusmodi nos exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere, nos non necessitati esse subiectos, vt omni modo, etiamsi nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ Virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem; non tamen necessitate cogimur, vel agere rectè, vel malè. Quod fieri arbitrantur ij qui stellarum cursum & motum, caussam esse dicunt humanorum actuum, non eorum quæ extra arbitrij accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra posita sunt potestate. *Sic ibi.* *Lib. 1. de princ pijs in proœmio.*

Idem porrò Origenes, libro 3. de principijs, totum caput primum, quod solum fere reliquis capitibus quinque est æquale (constat enim liber ille sex tantum capitibus) totum, inquam, caput primum in hac de libero arbitrio materia impendit. Ac primò quidem, quid sit liberum arbitrium, clarè ostendit; & exemplis confirmat: deinde multarum auctoritate sacrarum litterarum, idem corroborat: postremò omnia sacræ Scripturæ difficilia explicatu testimonia, tam noui, quàm veteris testamenti, quę videntur concludere nullum in hominibus esse liberum arbitrium, summatim colligit, quibus postea omnibus singulatim distinctéque respondet. Vnde & litterarum sacrarum Interpretes, tametsi dissimulent, suas desumpserunt earundem difficultatum enodationes. Testimonia autem difficilia ibi allata sunt hæc: *Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum.* Exodi 4. versu 21. Item. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent.* &c. Ezechielis 11. ver. 19. Item Esaiæ 6. ver. 9. *Vade & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Ad quem Esaiæ locum respiciens IESVS, Disci- *Lib. 3. de principijs cap. 1.* *Exodi 4. v. 21.* *Ezechiel. 11. v. 19.* *Esaia 6. v. 9. & 16.*

Matt. 13. v. 11. Ibidem v. 13. Discipulis suis ab ipso petentibus, cur ad turbas loqueretur in parabolis, respondit Matthæi 13. versu 11. *Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.* Et paullo pòst: *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Esaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis*, &c. Esaiæ 6. v. 9.

Et illa Paulli ad Romanos 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rom. 9. v. 16.

Et ad Philippenses 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Philipp. 2. v. 13.

Et rursus ad Rom. 9. v. 18. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Rom. 9. v. 18.

Ex quibus & ex alijs similibus locis soliti sunt hæretici concludere, omnia Deum in nobis sine nostro arbitrio operari, tam mala, quàm bona.

His autem omnibus Origenes pulchrè & ordinatè respondit, ita exorsus:

Verba Origenis. Incipiamus igitur, *inquit*, ab his, quæ ad Pharaonem dicta sunt. Qui à Deo dicitur induratus, ne dimitteret populum. Cum quo etiam pariter ille Apostoli sermo tractabitur, quo ait: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.* His enim præcipuè nituntur hæretici, dicentes non esse in nostra potestate, vt saluemur; sed naturas animarum esse tales, quæ in omni genere, vel pereant, vel saluentur: nec vllo modo possit anima, quæ mala facta est, bona fieri; aut quæ bona fuerit, mala effici. Vnde aiunt & Pharaonem, quia naturæ erat perditæ, dici indurari à Deo, qui indurat eos, qui terrenæ naturæ sunt: miseretur autem eorum, qui spiritalis naturæ sunt. Videamus ergo quale sit, quod asserunt, & interrogemus eos primò, vt respondeant nobis, an terrenæ naturę, quam perditam vocant, fuisse asserant Pharaonem? respondebunt sine dubio, terrenæ. Si ergo terrenæ naturę erat; credere Deo, vel obedire ei, resistente naturâ, omnino non potuit. Quòd si hoc autem ei inerat per naturam, quid opus erat cor eius ad illud indurari? & hoc non semel, sed sępius? nisi vtique, quia possibile erat illi aliud persuaderi? Deinde non dicitur ab alio indurari, nisi is, qui antè non erat durus. Et si antè non erat ex se durus, consequens est, vt nec terrenę naturę fuerit; sed talis, qui posset obstupefactus signis & virtutibus cedere. Quamobrem necessarium fuit, vt Deus pro salute multorum, in ipso virtutem suam ostenderet, dum resistit plurimùm, & obluctatur voluntati Dei, & per hoc dicitur cor eius indurari. *Hæc Origenes.* Rom 9. v. 18. Valentini hæresis impugnata.

Quę postquam duabus egregijs confirmauit similitudinibus (quas vt nimis prolixas hîc omitto) tum verò ipsum loquendi modum Scripturę, quo dicitur Deus indurasse Pharaonem, suâ erga illum patientiâ, & expectatione emendationis, ostendit non alienum esse à communi hominum vsu, & loquendi consuetudine.

Frequen-

Frequenter enim, *inquit*, benigniores quique Domini ad eos seruos, qui per multam patientiam, & mansuetudinem dominorum insolentiores atque improbiores fiunt, ita dicere solent: *Ego te talem feci: ego te perdidi: mea patientia te pessimum fecit: ego tibi caussa fui huius tam duræ & pessimæ insolentiæ, qui non statim post singulas culpas, pro merito delictorum te punivi.* Hęc ibi Origenes.

Plurima ibidem & pulcherrima continenter sequuntur lectu relectúque Doctoribus & Concionatoribus multò dignissima, seu ad deuictionem hæreticorum, seu ad conuersionem peccatorum, seu ad consolationem afflictorum, horum scilicet afflictorum, quorum diu differtur sanitas, & liberatio à malis. Quod sæpe, vt à medicis corporis, sic à curatoribus animorum prouidè fit, & in maius bonum infirmorum, vt ibidem explicat Origenes tam eleganter, quàm fusè.

Alium pro libero arbitrio insignem locum aduersus eos, qui omnia fato & necessitate quadam fieri ab astris contendunt, ex eiusdem Origenis in Genesim commentarijs refert Eusebius Pamphili, libro 6. de præparatione euangelica, cap 9. Nam magna ex parte perierunt illi commentarij Origenis: quorum aliqua fragmenta accepta debemus Eusebio, & hoc in primis, in quo Astrologos & genethliacos, caussas rerum mundanarū astris adstruentes, & arbitrij destruentes libertatem, ex ipsorummet principijs peracutè, pérque solidè refutat: quippe & in astrologia, vti & in ceteris artibus, apprimè versatus. Aptissimis verò ibidem exemplis peruincit, Dei rerum futurarum certam ab æterno præscientiam nihil obstare, quo minùs ea, quę in tēpore, ab hominibus ratione vtentibus fiunt, liberrimè fiant. Quod relinquo in præsentia videndum dicto loco Eusebij. Sed de præscientia Dei non pugnante cum libero arbitrio, afferam breuiter & hæreticorum argumentationem; & Origenis responsionem. Sic igitur illi: Si Deus ab æterno aliquem præuidit fore iniustum, & diuina eius præscientia falli non possit, ille necessariò erit iniustus, nec possibile est, vt non sit iniustus, cùm non possit aliter agere, quàm Deus præuiderit. Vnde sequitur hominis voluntatem non esse liberam, si Deus futura præuideat. Aduersus quos dicendum est, *inquit*, *Origenes*, quòd Deus ab æterno omnia videat, antecedentia, consequentia, caussas, effectúsque rerum, nec tamen ipse illorum sit caussa. Quemadmodum enim, si quis temeritatem hominis cuiuspiam probè perspectam habeat, per quam videt illum periculosa aggressurum itinera, & in illis periturum, non est ipse caussa perditionis illius, sed sola eius temeritas, qui se in illa coniecit pericula, nec credidit dicentibus, *Qui amat periculum, in illo peribit.* Ita Deus, qui vniuscuiusque prænoscit voluntatem, & qui hunc rectè, & illum improbè acturum præuidet, hoc præuidendo non est caussa eius, quod futurum est: cùm nullo modo hoc præuidendo ad peccandū impellat, aut moueat: sed potiùs è contrario, illud quod futurum est; caussa est, cur Deus illud futurum

*Astrologi fato tribuentes omnia, confutantur.*

*Præscientia Dei nihil officit libertati.*

*Eccles. 3. v. 27.*

futurum præuideat. Non enim ideo fit, quia præscitur; sed ideo præscitur, quia futurum est. *Hæc ille.* Qui & proditoris Iudæ exemplum producit ac dilatat: in quo ostendit illum ex arbitrij libertate potuisse prodere Dominum, vel non prodere, ac suapte voluntate elegisse, quod erat deterius. Quod ipsemet Iudas testatus est, cùm dixit: *Peccaui, tradens sanguinem iustum.*

Multis quoque alijs in locis, liberi arbitrij facultatem data opportunitate asserit. Vide suprà in Documentis cap. 3. vbi de Spiritus sancti efficacia agitur.

Sed ille locus nequaquam nobis omittendus est, in quo nos à desidia & somnolentia ad opus salutis nostræ, exemplo Patris æterni exsuscitat. Is habetur homilia 1. in caput 1. Ezechielis, sub medium his verbis: DEVS,

*Origenis Verba.* *inquit*, mortem non fecit, nec malitiam operatus est. Liberum arbitrium & homini, & Angelo ad vniuersa permisit. Hîc iam intelligendum est, quomodò per arbitrij libertatem alij, ad bonorum conscenderint summitatem, alij in profundum malitiæ corruerint. Tu verò, ô homo, quare non

*Hortatio efficax ad bona opera.* vis tuo te arbitrio derelictum? Quare ægrè fers, niti, laborare, contendere, & per bona opera te ipsum caussam tuæ salutis fieri? An magis te delectat dormientem & in otio constitutum perire, quàm æterna prosperitate requiescere? *Pater meus*, (inquit Dominus IESVS CHRISTVS) *vsque*

*Ioan. 5. v. 17.* *modò operatur, & ego operor*: & tibi displicet operari, qui ad opera natus es? Non vis opus tuum esse iustitiam, sapientiam, castitatem? Non vis tuum opus esse fortitudinem, aliásque virtutes? Igitur in captiuitatem ducuntur, qui propter peccata sua, seruitutis meruere supplicia. *Sic ibi.*

*Lucæ 3. v. 17.* Et infrà ibidem, post medium, citans Christi parabolam de area, frumento, & paleis, Lucæ 3. vers. 17. Quomodo, *inquit*, vnaquæque area circumscribitur, & est plena frumento vel paleis, nec totum frumentum est, nec totum itidem palea: sic in Ecclesijs terrestribus, alius est frumentum, & alius est palea, verùm ibi non sua caussa, nec per voluntatem suam paleæ sunt, neque item ex proprio arbitrio frumentum est: hîc autem in tua potestate positum est, vt sis vel frumentum, vel palea. *Hæc ille.*

Simillima quædam, & alia plurima ac pulcherrima collegi è S. Irenæo Lugdunensi Episcopo & Martyre, contra Abrahamum Scultetum æui nostri hæreticum, qui illius de libero arbitrio sanctissimam doctrinam pro stipula censere ac recensere non est veritus. Vide, si lubet, in nostris ad S. Irenæum Documentis, eundem Scultetum à nobis tractatum pro meritis. Exstat eius refutatio. cap. XXIX. vitæ Irenęi, quam ante annos aliquot Duaci in lucem emisimus.

CAPVT XX.

# CAPVT XX.

## *CASTIMONIA ECCLESIÆ, eiúsque gradus.*

NVSQVAM verior & purior reperitur castimoniæ sanctitas quàm in Ecclesia catholica. Illam Christus Dominus, illam Apostoli, illam SS. Patres Apostolorum successores, seu Græci, seu Latini mirè commendarunt. Quod ego in duobus tomis Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, è pluribus ipsorum testimonijs antehac ostendi: nunc autem & ex Origene, viro sui sæculi facilè primo accingor ostendere.

Is igitur, cùm eam à prima infantia mirè adamârit (quemadmodum in eius vita conscripsimus) tum etiam natu grandior, & iudicio maturior, multis in locis scriptorum suorum illam dilaudauit. Ac primas quidem partes in castimonia præbuit Virginitati, secundas viduitati, tertias matrimonio, sed pudico & vnis vinculis, aut duobus saltem vicissim contento. Nam ad plurimas, amissis coniugibus, prouolare nuptias, non Christianæ disciplinæ, sed impuri impudentisque animi argumentum esse reputauit.

Verba Origenis in homilia 17. in Lucam, sub finem, sunt hęc: Bonum est, & primum, si quis potest Virginitatis gratiam possidere. Quod si non potuerit, & euenerit ei, vt perdat virum, tunc vidua perseueret. Quod quidem non solùm post mortem viri, sed etiam dum ille viuit, debet habere in animo, ad hoc nimirum, vt quamuis hoc non euenerit, voluntas tamen eius, & propositum à Domino coronetur. Sic ergo dicat: *Hoc voueo atque promitto: si mihi humanum aliquid (quod non opto) contigerit* [vt perdam virum scilicet] *nihil aliud faciam, quàm vt incontaminata, viduáque perseuerem.* Sic ibi. Quæ valde aduersantur hæreticis vota castitatis scripto, vt plurimùm, calumniantibus, & facto reprobantibus. *Hom. 17. in Lucam. Origenis verba.* *Viduitatis votum.*

Eosdem castimoniæ gradus, & eundem in ipsis ordinem assignant ceteri Patres, tam Latini, quàm Græci, vt Virginitas scilicet obtineat primas, & Viduitas secundas, & Matrimonium tertias.

Virgines & viduas, tanquam monilia Ecclesiæ, & gemmas principales ordinis feminei, celebrat pulchris versibus, Aurelius Prudentius in libro, De coronis, hymno 2. sub persona S. Laurentij; ita scribens: *Prudentius in περὶ στεφάνων.*

*Cernis sacratas Virgines?*
*Miraris intactas anus?*
*Primique post damnum tori,*
*Ignis secundi nescias?*

 Hoc

*Hoc est monile ecclesiæ:*
*His illa gemmis comitur:*
*Dotata sic Christo placet:*
*Sic ornat altum verticem.*

Ad dignitatem porrò & commendationem Virginitatis atque omnimodæ puritatis facit, quod affert Origenes in caput 13. Matthæi versus finem, nimirum eius primitias esse IESVM & MARIAM, his verbis: *Arbitror equidem*, inquit, *rationi esse consentaneum, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse* IESVM, *muliebris verò* MARIAM. *Non enim plausibile est alij, præter hanc, Virginitatis primitias adscribere.* Sic ibi.

Insignem locum de castimonia Christianorum notaui suprà, cap. 8. ad titulum, *Ecclesia Dei*. §. 7.

Virginum consecratarum meminit idem Origenes, sed strictim, lib. 8. in epistolam ad Romanos, sub medium, docens quomodo quis condecoret aut dedecoret ministerium suum, siue Episcopus sit, siue Sacerdos, siue Diaconus, siue vidua, siue virgo consecrata.

Eximius autem in primis, in castimoniæ ac pudicitiæ laudem, est locus ille Origenis, in homilia 20. in caput 25. Numerorum initio, vbi docet inuictos fuisse Israëlitas per castimoniam & pietatem in Deum, impugnante illos Balaco Rege Moabitarum, sed postea ex consilio Balaami suadentis Israëlitas primò subigendos per libidinem, deinde & per libidinis, pedissequá impietatem atque idololatriam, ita demum victos fuisse. Cuius consilij, & in posterioribus libris Numerorum, & in Apocalypsi Ioannis, cap. 2. fit mentio.

*Origenis verba.* Ex hoc ergo apparet, *inquit Origenes*, qua nequitia vsus sit Balaam, & quale consilium dederit Regi, talia quædam ei dicens: Populus hic non propriis viribus, sed Deum colendo vincit, & pudicitiam conseruando. Quare, si vis eum vincere, primò eorum pudicitiã prosterne, & sponte vincentur. *Ars debellandi populi Dei præcauenda.* Proinde aduersus illos, non virtute militum, sed mulierum decôre pugnandum est: nec armatorum vigore, sed mollitie feminarum. Procul igitur amoue armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum. Illæ autem ludentes pedibus eant, & plaudentes manibus. Vincit forma armatos, pulchritudo ferrum captiuat. Vincentur specie, qui non vincuntur prælio. Sed hoc quoque, *inquit*, obseruandum est, vt cùm *Libido in idolatriam præceps.* mulieres Moabitides aut Madianitides eos senserint manus dedisse libidini, & ceruices inclinasse peccato, non priùs semetipsas cupientibus præbeant, quàm de sacrificiis idolorum consenserint degustare: vt cogente libidine consilijs obtemperent feminarum, & consecrentur priùs *Exercitus muliebris Israëlitas aliter inuictos perdomat.* Beelphegor, quod turpitudinis est simulachrum. Hæc fuerunt consilia Balaam, quibus acceptis, Rex Balac præparat continuò exercitum non armis virilibus sed femineo nitore conspicuum, non furore bellico, sed libidinis flamma succensum. Nullam refrenat pudor, nullam

nullam cohibet verecundia. Amor patriæ, & vitium gentis conspirant pariter in lasciuiam, & ad decipiendum proba existit improbitas. Prô nefas! Vix prohibetur libido legum minis: vix gladij terrore reprimitur: quid sceleris non perpetret, vbi facinore suo placituram se Regi mulier credit, & salutem patriæ quæsituram? Captiuatur ergo Israëlitæ, non ferro, sed luxu; nec virtute, sed libidine: & fornicantur in mulieres Madianitidas: & ira Dei super eos insurgit. *Hæc ibi, & plura Origenes in commendationem castitatis, & in abominationem libidinis.* Cuius caussa libidinis occisi sunt Israëlitarum viginti quatuor millia hominum, ex Dei mandato, vt scribitur cap. 25. Numerorum, his verbis: *Morabatur autem eo tempore Israël in Settim & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum. Initiatúsque est Israël Beelphegor: & iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Dixitque Moyses ad Iudices Israël: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israël: & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Sic ibi.

*Numer. 25 v. 1. & seqq.*

*Zelus Phinees in scortatores.*

Notandum autem Israëlitas, non à Moabitis, neque à Madianitis hostibus occisos esse, sed à suismet popularibus & Israëlitis, qui se castos conseruauerant, & Dei legem æmulati fuerant. E quibus veris Israëlitis, mandato Domini electa duodecim tantùm millia expeditorum ad pugnam, iussi sunt proficisci ad vltionem de Madianitis, & profecti vicerunt, atque omnes mares occiderunt, deinde & omnes feminas, quæ fornicatæ fuerant, solis puellis & virginibus reseruatis. De quibus vide caput 31. Numerorum. Vbi admirabilis recognoscitur Dei opt. max. in eos, qui se castos ac pios tali in tentatione conseruarunt, benignitas & munificentia. Quippe, qui paucis numero ingentem aduersus multos Reges, qui eo in prælio ceciderunt, victoriam concesserit, ne vno è suis desiderato, & prædam ex animabus, & ex animalibus, & ex auro, & ex argento copiosissimam. Cuius recensionis hoc est in dicto Scripturæ loco principium, versu 32: *Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ouium sexcenta septuaginta quinque millia, boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia, & mille. Animæ hominum sexus feminei, quæ non cognouerunt viros triginta duo millia.* &c.

*Numer. 31. v. 3.*

*Victoria admirabilis.*

*Præda ingens.*

Castitatis porrò violationẽ in noua lege, multò maioris opprobrij esse, quã in veteri, rectè docet & explicat hom. 5. in Iesum Naue, sub finẽ, his verbis:

Multò, *inquit*, maioris opprobrij est is, qui post Euangelium fornicatur, quàm ille qui sub lege. Quia is nimirum tollens membra Christi, facit membra meretricis. Vides ergo, ait, quanto grauiora & cumulatiora in te opprobria, si neglexeris, teuoluantur? Denique iam nemo te reum stupri redarguit, sed scelere condemnat sacrilegij. Quia illud Paulli ad te dirigitur:
1. ad Cor. 3. v. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Hæc etiamsi prius
Animæ castæ dignitas. ignorabas, nunc tamen ex quo in auribus tuis verba ista sonuerunt, & in cor tuum doctrina huiuscemodi transfusa est, scito te his auditis templum Dei, & membrum Christi iam esse factum. Vide modò, quantum profeceris: ex homunculo terreno in templum Dei prouectus es, in quo sine dubio habitare debet Deus. Et qui caro & sanguis eras, vsque eò profecisti, vt membrum Christi sis. Verùm, vt magnus est iste profectus, ita recessus est terribilis, & lapsus propè irremediabilis. Iam enim tibi non
Remedia aduersus libidinem. licet vti templo Dei, nisi in sanctitate, nec membra Christi ad indignum traducere flagitium. Quocirca si quando te malæ concupiscentiæ pulset illecebra, memor horum, quæ nunc audis, occurre illi hosti, qui de te ipso, hoc est, de corde tuo procedit, & ei resiste talibus vtens verbis: *Ego iam non sum meus. Emptus enim sum precio sanguinis Christi, & membrum ipsius effectus sum. Non licet mihi tollere membrum Christi, & facere membrum meretricis.* Dic illi: *templum Dei effectus sum: non licet mihi immundum quicquam illuc introducere: nec fas est mihi violare templum Dei.* Sed & illud adde: quòd qui fornicatur, in corpus suum peccat: non in illud solum corpus, quod templum Dei effectum est, sed in illud quoque, de quo dicitur, quòd tota Ecclesia corpus Christi est, & in totam Ecclesiam videtur delinquere, qui corpus suum maculauerit. Quia per vnum membrum, macula in totum corpus diffunditur.

Hactenus Origenes, qui & castitatis dignitatem pro merito extulit, & efficacissima ad eius tutelam munimenta ex Apostolo protulit. Nunc ad alia.

## CAPVT XXI.

### CONFESSIO PECCATORVM SALVTARIS.

TRIPLEX reperitur in Scripturis Adamantij confessio peccatorum, & vnaquæque in suo genere bona & salutaris.

Vna, quæ priuatim & in secreto fit coram Deo solo.

Altera, quæ fit coram aliquo Sacerdote mederi valente.

Tertia quæ publicè fit in Ecclesia coram omni populo.

Ad primã quod attinet, cùm ea sit facillima atque expeditissima, & quouis in loco

loco quouis tépore fieri possit, vtinã hodiéque, vt olim Dauidi esset vsitatissima! Quoties ipse, & quàm è profundo cordis cum fletu & gemitu peccata sua coram Deo confessus est, & quàm mox & sine strepitu absolutus? Nam omni peccatori peccatum ex animo confitenti cælestis ille medicus semper proximus est, immo & intimus, qui & in puncto sanare potest, quia potentissimus est, & sanare vult, quia misericordissimus. Quin & promptior est ad sanandum, quàm peccator ad vulnus aperiendum. Propterea dicebat Propheta Regius, Psalmo 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Tanta nimirum est illius supremi medici celeritas, vt non modò confitẽtem, & plagam ostendentem illicò sanet, sed vel proponẽtem dumtaxat confiteri perinde sanet atque confessum. Atque hic sanandi modus soli isti medico proprius est, qui corda scrutatur & renes, immo qui semper omnia in aperto habet, & cui nihil est absconditum, vt nulla sit scrutatione opus. *Psal. 31. v. 5.*

Ista autem prima confessio, quę fit Domino, semper alias antecedit, aut antecedere debet. Hæc est enim, quæ virtutem & efficaciam alijs præbet, atque ad eas mouet. Quas idcirco per Ecclesiam suam constituit Dominus & Deus noster IESVS, magno omnium Christianorum & publico & priuato bono. Docet enim longa plurimorum experientia, vbi non sit vel priuatæ confessionis coram Sacerdote vsus, vel publicæ in peccatis enormibus & publicis coram populo; ibi timorem Dei sensim defluere, peccata in dies augescere; frigere virtutes, calere vitia; castimoniam deflorari, faces libidinis accendi, denique omnem Ecclesię disciplinam susque déque haberi: nihil vt placeat animis, nisi quod arriserit sensibus, & verbo vt absoluam, nihil admittat voluntas, nisi quod submittat voluptas. Hinc Origenes infirmitatis humanę non ignarus, semper in deteriora, nisi freno cohibeatur, proclinãtis; persępe de illis confessionibus egit, quę non soli Deo, sed etiam Sacerdotibus soluendi ac ligandi potestatem à Deo habentibus faciendę sunt. Ad quas, vt bene fiant, & pœnitentibus prosint, rectè admonet vnicuique elaborãdum, vt priùs peccata sua cognoscat, deinde & proprio ore prodat. Hac autem à medicis corporum tracta vtitur similitudine, lib. 3. De principijs cap. 1. sub medium: *Qui enim*, inquit, *non priùs intellexerit infirmitatem vel ægritudinem suam, nescit quærere Medicum, aut certè cùm receperit sanitatẽ, non aget medico gratias, quoniam non priùs sui languoris periculum cognouit: ita etiã si quis non priùs animæ suæ vitia, & peccatorum suorũ mala cognouerit, ac proprij oris confessione prodiderit, purgari absoluique non poterit: ne ignoret sibi per gratiam concessum esse quod possidet, & diuinam liberalitatem proprium bonum putet. Quæ res, sine dubio arrogantiam generat & elationem, & nouæ caussa est ruinæ.* Sic ibi. *Origenis verba. L. 3. de principijs. cap. 1.*

Iam autem è contrario, qui suorum enormitatem peccatorum, post serium conscientiæ examen pernoscit, non elationis & arrogantiæ, sed humilitatis potiùs atque depressionis sui caussam & occasionem reperit non modi-

cam: quæ itidem efficit, vt de requirendo medico, & de animæ sanitate procuranda sit sollicitus: præsertim dum agnoscit hanc esse Dei opt. max. voluntatem, vt à Sacerdote ad hoc instituto medelam accipiat. Qua in re cùm non exigua interdum verecundia se interserat, maximum sanè est à peccando retinaculum, necessitas confitendi. Quæ confessio sicut initio difficilis est insuetis, ita postmodum non facilis tantùm, sed & suauis vsu redditur: & pristinum angorem languoremque confitendi, abunde postea compensat liberatæ à peccatis torquentibus, conscientiæ incredibilis consolatio. Quam subinde sentiunt & experiuntur peccatores & proficientes magnam; sancti autem & perfecti maximam.

Origenes homilia X. in caput XVIII. sub medium, postquam discrimen explicuit inter peccatores & sanctos, quòd illi, quamuis semel iterumque purgati, non tamen peccandi consuetudinem penitus abiecerint: hi verò abiecta consuetudine peccandi, & cadant rarius, & resurgant velociùs, tum ita subdit:

Homilia X. in cap. 18. Numerorū. *Ego autem*, inquit, *& amplius addo aliquid, quòd nisi sanctum propositum quis habeat, & sanctitatis studium gerat, cùm peccauerit, nescit habere pœnitudinem, nescit delicti remedium quærere. Qui non sunt sancti, in peccatis suis moriuntur. Qui sunt sancti, pro peccatis pœnitudinem gerunt, vulnera sua sentiunt, intelligunt lapsus, requirunt Sacerdotem, sanitatem deposcunt, purificationem per Pontificem quærunt.* Hæc ibi Origenes, more suo, quæ veteris testamenti sunt, ad nouum accōmodans, & salutarem Christianorum instructionem vndique colligens.

De confessione item coram Sacerdotibus facienda, intelligi quoque debet ille Origenis locus, homilia XVII. in Lucam, ad illa verba: *Vt reuelētur ex multorum cordibus cogitationes*, vbi sic scribit: Quamdiu enim abscondita erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Vnde & nos, si peccauerimus, debemus dicere: *Peccatum meū cognitum tibi feci: & iniustitias meas non abscondi*, &c. Si enim hoc fecerimus, inquit, & reuelauerimus peccata nostra, non solùm Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra

Esa. 44. v. 25. ab eo, qui ait: *Ecce deleui, vt nubem, iniquitates tuas, & sicut caliginem, peccata tua.* Ita Origenes secutus LXX. Nam in Latinis vulgatis habetur: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor.*

Illustris verò locus ab eodem affertur Origene, homilia 2. in Leuiticum, post medium, cuius initium fauere quidem videtur iis, qui Confessionem repudiant; sed finis, qui respondet eorum obiectioni contra illos facit, & qualis fieri debeat à bonis Christianis peccatorum suorum pœnitentia & confessio, præclarè docet. Obiectio nomine Christianorum, per comparationem cum Iudæis, apud quos varia erant pro peccatis suis sacrificia, est talis: *Sed fortasse, inquit, dicant auditores Ecclesiæ: Meliùs fere agebatur*

Hom. 2. in Leuiticum. Origenis verba.

*agebatur cum antiquis, quàm nobiscum. Ibi oblatis diuerso ritu sacrificijs, venia peccantibus præbebatur: apud nos vna tantummodò venia est peccatorum, quæ per lauacri gratiam in initijs datur. Nulla post hæc peccanti misericordia, nec venia vlla conceditur.*

Huic obiectioni poterat statim Origenes respondere, non vnicam illam esse baptismi remissionem, sed etiam pœnitentiæ & confessionis Sacerdoti factæ: sed maluit multas alias rationes, & modos remissionis peccatorum post baptisma commissorum præmittere, ac demum fusiùs optimam rationem, formámque pœnitendi submittere. Sic igitur respondit:

*Decet quidem districtioris esse disciplinæ Christianum, pro quo Christus oblatus est. Pro illis oues, hirci, boues iugulabantur, & aues; & simila conspergebatur: pro te Filius Dei iugulatus est: & iterum te peccare delectat?*

Quasi dicat: meritò plus exigit à Christianis ille, qui pro ipsis in cruce oblatus est Christus, & strictiorem vitę disciplinam, quàm olim à Iudæis, pro quibus necdũ mortuus erat: adeo vt condonatis semel & simul omnibus peccatis per baptismum, meritissimò deberent omnes Christiani vitam deinceps suam à mortiferis saltem peccatis puram conseruare & illibatam: quemadmodum & plurimi benè nati in hac noua & gratiæ fecunda lege fecerunt, & nunc faciunt. Est enim permultos inuenire, qui licet magno natu, peccatum tamen mortiferum in omni vita admiserunt nullum. Et sanè mirum est, quemquam semel à peccato, & à morte, & ab inferno liberatum, velle rursus eum, à quo liberatus sit, grauiter offendere, & hoc quidem in Dominum & Deum patrare; quod homo nullus in hominem alium. Sed ad verba Origenis vt reuertamur, sic inceptum sermonem prosequitur:

*Et tamen*, inquit, *ne tibi hæc non tam erigant animos pro virtute, quàm pro desperatione deijciant; audisti quanta sint in lege sacrificia pro peccatis; audi nunc quanta sint remissiones peccatorum in Euangelijs. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum.* Origenis verba.

*Secunda remissio est in passione martyrij.*

*Tertia est, quæ pro eleemosyna datur. Dicit enim Saluator: Verumtamen date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Lucæ 11. v. 41.

*Quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quòd & nos remittimus peccata fratribus nostris*, &c. vide ibi testimonia Scripturæ.

*Quinta remissio peccatorum est, cùm conuerterit quis peccatorem ab errore viæ suæ. Ita enim dicit Scriptura diuina: Qui conuerti fecerit peccatorem ab erore viæ suæ, saluat animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum.* Iacobi 5. v. 20.

*Sexta quoque remissio peccatorum fit per abundantiam charitatis, sicut & ipse Dominus dicit: Amen dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et Apostolus dicit: Ante omnia autem mutuam* Lucæ 7. v. 47.

1. Petri 4. v. 8. *vobiſmet ipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Denique volens impenſiùs commendare veram & perfectam cum contritione & confeſſione pœnitentiam, ita ſubdit.

*Eſt & ſeptima*, inquit, *licet dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundùm eum, qui ait: Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur. & illud quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hæc omnia Origenes, cuius poſtrema verba ex ſenſu Eccleſiæ, atque Doctorum conſenſu, ad extremam vnctionem referuntur, ita vt potuerint pro octaua remiſſione peccatorum accipi, & prioribus accenſeri.

Pſalmo 31. v. 5

Iacobi 5. v. 14.

Extrema vnctio.

Notandum porrò aliqua peccata eſſe tam grauia, támque pernicioſa & publica, vt difficillimè remittantur; alia verò minora, & remiſſu facilia. De quibus vtriſque ita Origenes, homilia XV. in Leuiticum, ſub medium:

Hom. 15. in Leuiticum

Origenis verba.

*In grauioribus*, inquit, *criminibus ſemel tantùm vel rarò pœnitentiæ conceditur locus. Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.* Sic Origenes. Id autem hodiéque eſt in vſu. Habent enim Sacerdotes non ſoluendi tantùm, ſed & ligandi poteſtatem. Nonnunquam enim accidit, vt piè & ſalutariter ligetur, qui impiè & perniciabiliter ſolueretur. Hinc & magnis atque exitialibus contaminati flagitijs, à cœtu eccleſię, cui erant dedecori atque offenſioni, per excommunicationem excludebantur. Et ſi tales fortaſſe reſipiſcerent, ac redire in communionem percuperent, non priùs ad eam admittebantur, quàm peractâ publicè inter pœnitentes, vt vocabant, pœnitentiâ, & dato ſufficienti doloris & emendationis ſigno atque propoſito, plenè ſatisfeciſſent. De iſtiuſmodi excommunicationibus actum à nobis eſt ſuprà, cap. 10.

Ecce & alium Origenis locum, de duplici confeſſione tractantem, vnâ quidem priuatim coram vnico Sacerdote, altera autem publicè coram eccleſia. Igitur homilia 2. in pſalmum 37. verſus finem, per ſimilitudinem morbi corporalis contracti ex indigeſto cibo, qui per vomitum & egeſtionem curatur, docet periculoſum eſſe peccata retinere intrinſecus, quę confeſſione poſſent curari.

Hom. 2. In pſal. 37.

Origenis verba.

*Sicut illi*, inquit, *qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam vel humores & phlegmata ſtomacho grauiter ac moleſtè incumbentia, ſi euomuerint, releuantur: ita & hi qui peccarunt ſi quidem occultent atque*

intra

*intra se peccatum retineant, intrinsecus urgentur, & propemodùm ab humore & phlegmate peccati suffocantur. Si quis autem sui accusator fit, dum accusat semetipsum & confitetur; ipse simul & delictum euomit, & omnem morbi caussam egerit. Tantùm circumspice diligenter, cui debeas peccatum tuum confiteri. Proba priùs medicum, cui debeas caussam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se priùs & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, & si quid consilij dederit, facias & sequaris. Ac si is quidem intellexerit ac præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius ecclesiæ exponi debeat & curari (ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari) multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.* Ita Origenes. *Confessarij electio* *Confessio publica quando facienda sit.*

Et paullò pòst ibidem ad verba: *Cogitabo pro peccato meo*: aduersus eos *Psal. 37. v. 19.* qui de peccatis suis parum sunt solliciti, hac vtitur similitudine: Si in corpore tuo, *inquit*, macula aliqua aut vulnus oriatur, aut, ex collisione aliqua intumescat, sollicitus es, & perquiris, quid curæ debeat adhiberi, quo pristina sanitas corporis recuperetur. Si circa oculos etiam aliquis se acerbus humor infuderit, sollicitus es & perquiris, quomodo succurras & præuenias cæcitatem. Cùm autem anima tua ægrotet, & peccatorum languoribus vrgeatur, securus es, & contemnis gehennam? & æterni ignis supplicia despicis & irrides? Iudicium Dei paruipendis, & commonentem te Ecclesiam despicis? Communicare non times corpus Christi, accedens ad Eucharistiam quasi mundus & purus, & quasi nihil in te sit indignum? Et in his omnibus putas quod effugies iudicium Dei? Non recordaris eius quod scriptum est? *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Quare multi infirmi? quoniam seipsos non diiudicant, neque seipsos examinant, neque intelligunt quid sit communicare Ecclesiæ, vel quid sit accedere ad tanta & tam eximia sacramenta. Hinc patiuntur quod febricitantes solent, qui dum cibos sanorum sumere præsumunt, sibimetipsis exitium afferunt. Sic Origenes. *Similitudo egregia.* *Eucharistiæ Sacramentū.* *1. Cor. 11. v. 30.*

Ex his autem omnibus facile est intelligere, quanti fecerit eam peccatorum confessionem, quæ cum digna præparatione, & cum sollicito examine fit sacerdoti, cuius etiam stare iudicio debeat, tam pro suæ securitate conscientiæ, quàm pro totius bona ædificatione populi.

*Iam verò longè optimum Origenis consilium, quod nos vsque huc seruauimus, est illud*: Quandoquidem in illo horrendo Dei iudicio accusator noster Diabolus omnia peccata nostra, seu opere, seu verbo, seu cogitatione perpetrata, in perditionem nostram prolaturus sit, nihil esse consultiùs, quàm vt quisque istum accusatorem præueniat, & sua ipse peccata, dum viuit, vltro Sacerdoti confiteatur, nihilque omittat, neque in opere, neque in verbo, neque in cogitatione, quod non confiteatur, & de *verba Origenis.*

quo non doleat. Ita enim omnia remissum iri, & Diabolum, si illa iam confessa opponere audeat, similiter confusum iri. Hoc enim è verbis colligitur Origenis, homilia 3. in Leuiticum sub medium, vbi sic scribit: Audi, quid legis ordo præcipiat: Si peccauerit, *inquit*, vnum aliquid de istis, pronuntiet peccatum quod peccauit. Est aliquid in hoc mirabile secretum, quod iubet pronuntiare peccatum. Etenim in omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quę egerimus, si quid in occulto gesserimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commiserimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferre: proferri autem ab illo, qui & accusator peccati est & incentor. Ipse enim nunc instigat nos vt peccemus: ipse etiam cùm peccauerimus, accusat. Si ergo in vita præueniamus eum, & ipsimet nostri accusatores simus, nequitiam Diaboli inimici nostri & accusatoris effugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris.* Nonne enim euidenter mysterium de quo tractamus ostendit, cùm dicit: *Dic tu prior?* vt ostendat tibi, quod illum præuenire debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo, *inquit*, dic prior, ne te ille præueniat. Quia si prior dixeris, & sacrificium pœnitentiæ obtuleris, secundùm ea, quæ in superioribus diximus offerenda, & tradideris carnem tuam in interitum, vt spiritus saluus fiat in die Domini, dicetur & tibi: *Quia percepisti & tu mala in vita tua, nunc hic requiesce.* Sed & Dauid eodem spiritu loquitur in psalmis & dicit: ***Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.*** Vide ergo, quia confiteri peccatum, remissionem peccati meretur. Præuentus enim Diabolus in accusatione, vltrà nos accusare non poterit: & si nos ipsi simus nostri accusatores, proficiet nobis ad salutem: sin exspectemus, dum à Diabolo accusemur, accusatio illa cedet nobis ad pœnam. Habebit enim ipse socios in gehenna, quos conuicerit fuisse socios in culpa. *Hæc Origenes pulcherrimè & verissimè.* Quæ, si sapimus, sequemur, & modica confusione & labore præsentis temporis æternam futuri sæculi confusionem & pœnam redimemus, sublato inimicis dęmonibus de perditione nostra gaudio, & procreata bonis & amicis Angelis de nostra salute lætitia. Tum enim nobis licebit saluis & incolumibus canere: ***Laqueus contritus est: & nos liberati sumus.***

*Hom. 3. in Leuiticum. Verba Origenis.*

*Esaiæ 43.*

*Lucæ 16.*

*Psal. 31. v. 5. & 6.*

# CAPVT XXII.

# CAPVT XXII.

## *DE PVRGATORIO, SIVE, DE ANIMARVM perpurgatione post hanc vitam.*

QVEMADMODVM aduersus salutarem peccatorum coram Sacerdote confessionem quidam olim pugnauerunt, hodieque pugnant hæretici, quam tamen Origenes (vt proximè vidimus) admodùm approbauit & commendauit: ita purgatorium post hanc vitam à nonnullis hæreticorum irrisui habitum, non paucis in locis asseruit, & in sacra fundatum Scriptura commonstrauit. Et hanc in rem, illum potissimè Paulli locum in 1. ad Corinthios epistola, cap. 3. assumpsit, & cuncti, ferè post illum Doctores: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, preter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam; vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quorum occasione verborum, & habito item respectu ad illud, quod idem Apostolus ibidem paullò superius dixit: *Dei ædificatio estis.* Per fidem in Christum scilicet, quæ fides fundamentum est, super quod ædificari possint bona vel mala opera, virtutes aut vitia, hac, inquam, occasione hortatur fideles, vt supra fidem suam à Deo acceptam, non peccata quæ in purgatorio punienda sint, & igni purganda, superædificentur; sed bona & optima opera, quæ per aurum, argentum, lapides pretiosos significantur.

*1. Cor. 3. v. 11.*

*Ibid v. 6.*

Possumus & illud, *inquit*, addere, quòd natura peccati sit similis ei materiæ, quæ igni consumitur, quam Paullus Apostolus dicit à peccatoribus superædificari, qui peccatores supra fundamentum Christi ædificant ligna, fœnum, stipulam. In quo manifestè, *inquit*, ostenditur, quædam peccata ita esse leuia, vt stipulæ comparentur, in qua vtique ignis illatus, diu non potest immorari. Alia autem fœno esse similia, quæ non difficulter quidem ignis absumit, sed tamen aliquanto tardiùs, quàm stipulas. Alia denique, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum ignis inueniat diuturnum & grande pabulum. Ita ergo vnumquodque peccatum pro sui vel qualitate, vel quantitate, pœnarum iusta persoluit. Verùm quid opus est fidelibus, & ijs qui cognouerunt Deum, de pœnarum qualitatibus cogitare? Quid opus est ligna, quid fœnum, quid vel ipsam stipulam fundamento

*Verba Origenis.*

Christi

Christi superponere? Cur non magis aurum, vel argentum, vel pretiosos lapides pretioso superponimus fundamento? vbi, cùm ignis accesserit, nihil inueniat, quod absumat. Nam si accesserit ad stipulam, ex stipula fauillas reddet & cineres: si vero ad aurum accesserit, aurum purius reddet. Sic ibi.

Ad eundem Paulli locum de purgatione per ignem, habuit quoque respectum Origenes, homilia 6. in Exodum, ante medium, vbi sic inter alia: Idcirco igitur, *inquit*, qui saluus fit, per ignem saluus fit: vt si quid fortè de

Verba Origenis. specie plumbi habuerit admistum, id ignis decoquat, & resoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum. Quia aurum terræ illius, quam habituri sunt sancti, bonum esse dicitur: & sicut fornax probat aurum; sic homines iustos, tentatio. Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad

Malachiæ 3. v. 3. conflatorium. Sedet enim Dominus & conflat, & purgat filios Iuda. Sed & illuc cùm venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum. tanquam plumbum, igni resoluitur, ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt ampliùs decoquatur, vt & si parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quòd si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc

Exodi 5. v. 10. quod scriptum est: *Demergetur in profundum, tanquam plumbum, in aqua validißima.* Hæc ille.

NOTA latinam lectionem communem & visitatam habere: *Submersi sunt, quasi plumbum, in aquis vehementibus.*

Istum autem Paulli locum, & vnà Origenis de purgatorio interpretationem, valde approbat noster Franciscus Suarez, tomo 4. in 3. partem, disput. 45. de purgatorio, sect. 1. num. 17. vbi productis simpliciter pro eadem re Tertulliani, Cypriani, & Hieronymi sententiis, ita subdit:

Verba Francisci Suarez. *Et optimè Origenes homilia 6. in Exodum: Idcirco qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid plumbi habuerit admistum: id ignis decoquat & resoluat: vt efficiantur omnes aurum bonum. Et eandem expositionem eleganter prosequitur, homilia 12. in Ieremiam.* Ita Suarez. Non producit autem illum Origenis locum in Ieremiam. Quem ego, quia iudico pulcherrimum, hîc producam. Est ergo iste in medio duodecimæ illius homi-

Verba Origenis hom. 12. in Ieremiam. liæ: *Si post lauacrum*, inquit, *& veniam delictorum, rursus ad sordes pristinas reuersi fuerimus, & adhuc imperfecto sensu ab Apostolorum vestigijs recedentes, aut iniusta gesserimus aliqua, aut certè in ipsa iustitia sint aliqua nata peccata, quid nobis fiat, consideremus. Vtrúmne, egredientes de præsenti sæculo, si habuerimus vitia vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, & dimittentur nobis ea, quæ scientes peccauimus? an plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus? Sed neutrum horum verum est: quia, & pro peccatis torquebimur, & pro iustitia recipiemus præmia quæ meremur. Si enim post fundamentum Iesu Christi non solùm in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem pretiosum (si tamen habet aliquid auri, vel argenti) superædificaueris, verùm & ligna & fænum,*

*&*

*& stipulam; quid tibi vis fieri, cùm anima seiuncta fuerit à corpore? Vtrùmnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula, vt polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum & stipulam foris residere, & pro auro, argento & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi, vt primùm propter ligna, ignis tibi detur, qui consumat lignum, fœnum, stipulam? Deus quippe noster apud eos, qui intelligere diuina possunt, dicitur esse ignis consumens. Et cùm dicat Propheta: Deus noster ignis consumens est, non apposuit, quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque enim id consumet, quod ad imaginem & similitudinem eius permanet, neque proprias creaturas, sed superædificata ligna, fœnum, stipulam.* Hæc ibi.

Et post pauca: *Primùm*, inquit, *propter iniustitias tormenta perpetimur: deinde propter iustitiam coronamur. Neque enim è contrario antè tribuenda sunt iusta, & sic reddenda peccata, vt cessantibus bonis, vitia æterna permaneant: sed antè recipiemus mala, & deinde bona: vt sublatis vitijs, virtutes permaneant in æternum.*

Hæc omnia Origenes: Quibus quid clarius & verius de purgatorio, & de consequente post purgatorium vita æterna dici potest? Quo magis miror Franciscum Suarez, virum tam doctum & consideratum, quàm omnes sciunt, tametsi verba Origenis viderit & laudauerit, tamen hanc subiecisse contra illum animaduersionem, non sanè bonam, nec vllatenùs admittendam, his verbis: *Sed oportet*, inquit, *aduertere, licet hæc loca Origenis, & similia dictam expositionem rectè confirment; non tamen veritatem Purgatorij.* Quamobrem amabo? *Quia ille*, inquit, ( *vt notauit Augustinus 21. de Ciuitate, cap. 15. & 17.*) *omnem ignem vitæ futuræ, Purgatorij facit. Quia nullas agnoscit æternas pœnas.* Credidit igitur Suarez Augustino, Origenem nullas agnoscere pœnas æternas. Atqui, si ipsummet Origenem perlustrasset, profectò reperisset Origenem non vno in loco, nec duobus, nec tribus, sed in longè plurimis tam pœnas æternas asseruisse, quàm vitam æternam. Nullum autem locum Origenis citat Augustinus, quia eum non legit, sed falsæ opinioni, ab Origenis & S. Ioannis Chrysostomi aduersarijs euulgatæ, credidit. Quam opinionem potissimè diuulgauit Theophilus Alexandrinus, homo in quosdam SS. Patres mirè nimis iniurius ac contumeliosus: quemadmodum in nostra disquisitione, ex suismet ipsius verbis ostendimus. Vide ibi quæstionem quintam. *Verba Francisci Suarez.*

Verba Augustini non citauit Suarez. Sunt autem hæc inibi cap. 17. *Qua in re*, inquit, *misericordior fuit Origenes, qui & ipsum Diabolum, atque Angelos eius, post grauiora pro meritis, & diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos sanctis Angelis, credidit.* *Verba Augustini.*

Quæ verba (pace Augustini dixerim) sunt falsissima. Tantum enim abest, vt hoc Origenes crediderit, vt potiùs contraria docuerit; & dixerit, ne mente quidem motum, & manifestè insanientem, hoc dicturum esse, Diabolum

bolum scilicet esse saluandum. Verba ipsa Origenis notaui in disquisitione nostra, quæst. 4. in responsione ad quintam obiectionem Hieronymi, vbi de hac re latiùs.

Quod autem Origenes pœnas dari æternas agnouerit, integra quæstione, quæ est quinta numero, fusè & clarè probaui, & locos Origenis octonos eam in rem produxi, cùm ne vnum quidē pro sua assertione produxerint aduersarij, nimium suę dignitati confidentes, & plus antiquiorum auctoritati, quàm rationum, quas non exquisierunt, soliditati tribuentes. De hoc igitur in præsenti satis.

---

# CAPVT XXIII.

## DE HÆRETICIS AB ORIGENE OPPVGNATIS.

CONDVCET hoc Caput non mediocriter, partim ad dignoscēdum, vter meliùs de Origine senserit; S. Pamphilus Martyr, qui Origenem, omnium Hæreseon Debellatorem prædicauit: an Theophilus Alexandrinus, qui illum, Hydram omnium Hæreseon, ex animi impotentia pronuntiauit? partim etiam ad zelum eiusdē Origenis, aduersus omnes Hæreses, earumque propugnatores, è scintillis variè dispersis, respectandum: partim denique ad ostendendum, quid eius aduersarios aliter scripta ipsius, quàm oportebat, interpretantes, in errorem induxerit. Quippe qui non considerarint, de quibus, & aduersus quos, & quo modo, absolutène, an conditionatè, ageret ac loqueretur: ac proinde ea, quæ plurimùm valebant aduersus Valentinianos, Basilidianos, Marcionistas, quos passim impetit, atque impugnat, acceperint tanquam absolutè dicta, & tanquam eius dogmata.

### LOCVS ORIGENIS EX HOM. XII. IN Caput 21. Numerorum.

AD illa verba dicti Capitis, versu 16. *Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam*, &c. postquam dixit Origenes mystico sensu, per puteum intelligi fidem in Christum, ad quam lex per Moysen lata deducat; tum digressione aduersus Hæreticos, ex ea occasione, assumpta,

*Verba Origenis:*

*Potest*, inquit, *fieri, vt aliquis venire ad istum puteum videatur; sed nisi per Moysen congregetur, non est acceptus Deo. Marcion venisse sibi videtur ad istum puteum, & Basilides, & Valentinus; sed quia non venerunt per Moysen, nec receperunt legem & Prophetas, non possunt laudare Dominum de fontibus Israël. Non ergo veniunt, qui huiusmodi sunt, ad puteum, quem foderunt Principes, & excuderunt Reges; sed*

*Hæresiarchæ, Marcion. Basilides. Valentinus.*

*vultis*

*vultis ostendã vobis de Scripturis, ad quos isti puteos veniunt? Est vallis quædam salsa, in qua valle sunt putei bituminis. Omnis ergo Hæresis, & omne peccatum in valle est; & in valle salsa. Peccatum enim & iniquitas non ascendit sursum, sed semper ad ima, & inferna descendit. Est ergo in valle positus, & salsus atque amarus, omnis hæreticus sensus, & omnis actus peccati. Quid enim dulce, quid suaue potest habere peccatum? sed & aliquid amplius habet. Si enim veneris ad hæreticam sententiam, si veneris ad amaritudinem peccati, venisti ad puteos bituminis; bitumen esca & nutrimentum ignis est. Si ergo & tu gustaueris de istis puteis, si sumpseris hæreticum sensum, si peccati amaritudinem ceperis, fomenta in te ignis, & gehennæ incendia præparabis.* Sic ibi.

Hæresis falsa & amara.

Peccati amaritudo.

## LOCUS II. EX HOMILIA VII. IN CAPUT VII. *Iesu Naue, siue Iosue, vers. 21.*

§. 2.

AGENS Origenes de furto Achan, viri Israëlitæ, qui contra præceptum Iosue rulerat aliquid de anathemare, & inter alia furatus quoque erat *linguam auream* (pro quo latina editio vulgata haber *Regulam auream*) eam linguam sensu Allegorico interpretatur fallacem Hæreticorum eloquentiam, & dicit:

*Si ergo inuenias apud Philosophos peruersa dogmata, luculenti sermonis assertionibus decorata, ista sunt lingua aurea. Sed vide, ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo; verùm memento, quod Iosue anathema iussit esse omne aurum, quod in Iericho fuerit inuentum. Si Poëtam legeris modulatis versibus, & præfulgido carmine Deos Deasque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate: lingua aurea est. Si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo; si introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus, & Basilides, & Marcion, Hæretici: furati sunt isti linguas aureas de Iericho, & Philosophorum nobis non rectas in Ecclesiam introducere conati sunt sectas, & polluere omnem Ecclesiam Domini.* Ita illic.

Poetarum Gentilium Libri periculosi.

Valentinus, Basilides, Marcion.

## LOCUS III. EX HOMILIA IV. IN CAPUT XVII. Ieremiæ.

§. 3.

QUOD in latina editione vulgata habemus, cap. 17. Ieremiæ, vers. 11. *Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens.* paullò alirer iuxta lxx. Interpretes legit Origenes, & Hæresiarchis ita accómodat.

Ieremiæ cap. 17. v. 11.

*Clamauit perdix*, inquit, *congregauit, quæ non peperit.* Non proprias creaturas congregauit Zabulus; non ea colligit, quæ ipse generauit; sed cùm clamauerit, alienas congregans creaturas, eas facit suas. Clamauit per-

*Valentinus. Basilides. Marcion.* dix per Valentinum; clamauit per Basilidem, per Marcionem, per omnes qui alienę à Deo gloriæ cupiditate rapti sunt.

Nullus enim eorum sonare poterat vocem Domini Iesu: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Sed vox Christi erat in Paulo, erat in Petro, propter quod Paulus dicebat:

*An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christus?* Vox autem congregantis, quæ non peperit, perdicis in illis est, qui simplices quosque fidelium laqueo hæreticæ factionis impediunt. Clamauit itaque perdix: congregauit, quæ non peperit: fecit diuitias suas nō cum iudicio, &c. Meus autem IESVS facit diuitias suas cum iudicio, &c.

*Pietas Origenis.* Hæc solito more, & pietate Origenes. Vide eundem Hom. 7. & Hom. 8. in Ieremiam.

## §. 4. *LOCVS IV. EX HOMIL. VII. IN EZECHIELEM, sub initium.*

*Hypocrisis Hæreticorum.* VIDE mihi, *inquit*, aliquem Marcionistam, aut discipulum Valentini, aut cuiuslibet alterius Hæreseos defensorem; & considera, quomodo idola sua, id est, figmenta, quę ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat, vt in aures audientium, faciliùs ex vitę bonitate, ornatus sermo subrepat: & cùm hoc fecerit, intellige eum assumpsisse vestem variam morum, & conuersationis optimæ, & idolis subiecisse, quę construxit. Ac iuxta mei quidem animi sensum, multò nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet auctoritatis eo, qui doctrinam conuersatione maculat. &c.

*Et infrà ibidem*: Cùm pro dogmatibus falsis volentes assumere defensionem, dixerimus: scriptum est in Propheta, testatur Moyses, loquitur Apostolus: quid aliud facimus, quàm accipientes panes veritatis, proponimus eos simulachris, quæ ipsi finximus? Marcion fecit idolum, & proposuit ei panes Scripturarum. Valentinus, Basilides, cęterique Hæretici fecerunt similiter. *Hæc ibi.*

*Marcion. Basilides. Valentinus.*

## §. 5. *LOCVS V. EX HOM. VIII. IN EVNDEM EZECHIELEM, vbi Cap. 16. Hierusalem comparatur mulieri meretrici, & procaci.*

*Hom. 8. in Ezechielem, cap. 16.* QVI à Religione, *inquit*, non penitùs recesserunt, sed vincuntur à peccato, & peccantes latêre desiderant, similia faciunt meretrici erubescenti: qui vero Religionem penitùs auersantur, ita vt non curent, nec Episcopum, nec Presbyteros, nec Diaconos, nec fratres, sed cum omni procacitate delinquant, similes fiunt meretrici cū fiducia prostitutę. *Et paullo post*

*Ibid. v. 31.* *ibidem, ad illa verba*, vers. 31. *Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ.*

Si

Si consideraueris, *inquit*, omnes hæreticos, alienos à veritate, ædificantes domum ex ijs sermonibus, qui in Moyse leguntur, & ex his, qui in Esaia, & Ieremia, & Prophetis reliquis inuenerunt, intelliges nouas doctrinas, fornicationem esse Hierusalem, quæ ædificat lupanar suum in omni via, seu in capite omnis viæ. Nam si quis post principium Moysis, post exordia Prophetarum, ad profundam illorum scientiam pertingere potuerit, non poterit aduersus eum præualere ista meretrix, ædificans lupanar in capite omnis viæ: propterea eum quærit, qui recenter ad Ecclesiam accedit, qui prima fidei elementa suscepit, qui rudis est in sacramentis, qui in exordio fidei constitutus est, hunc vult introducere in lupanar suum, ædificans meretriciam domum. Et quia fornicationis frequens est in Scripturis mētio, istiusmodi locutionis volo rationem exponere. Ecclesiastici, qui in Ecclesia sunt magistri, mores tam suos, quàm aliorum purgant, & ex tali diligentia ędificant domum Dei, Ecclesiam, & opus eorum, ædificatio Dei est. Hæretici autem ædificant lupanar in omni via; vt puta magister de officina Valentini, magister de cœtu Basilidis, magister de tabernaculo Marcionis, & ceterorum itidem Hæreticorum, ædificant meretriciam domum. Congregatio enim omnium malignorum, lupanar est. *Hæc & plura ibi Origenes: quibus edocet, à fide ad hæreses declinare, idem esse, ac fornicari, & à Iesu, vero animæ sponso, ad Diabolum amatorem adulterum deficere, eiq́; accepta à Deo dona tradere. Nam ita idem Origenes paullò pòst subijcit:*

*Neophyti descriptio.*

*Valentinus Basilides Marcion.*

*Anima Christi sponsa lapsus miserabilis.*

Vir animæ, *inquit*, est Verbum Dei, sponsus idem, & amator verus. Is animæ dedit castitatem, dedit iustitiam, dedit cetera bona. Quando ergo ipsa voluerit alios sequi amatores, viro ac sponso suo contrarios, seu, vt planiùs dicam, quando ipsa post vitam decem annis pudicè transactam, fuerit ad extremum fornicata, tum accipit bona viri sui, quę multo tempore, & magno labore quæsierat, & dat ea impuris amatoribus suis. Qui sanguinarij amatores rapiunt ad se omnes miseræ animę dotes, & incedunt iactabundi super diuitias eius, & dicūnt: *Abstuli ei decennalem castitatem, eripui ab ea quinquenniem iustitiam, vindicaui mihi omnes eius virtutes. Iam Deus omnium bonorum, quæ ipsa aliquando fecerat, oblitus est: quia in peccato comprehensa est: planè eius abiecit memoriam, quia nobis amica nostra confessa est secreta, quæ ab eo audierat, & nobis amatoribus suis bona omnia sua tradidit.* Quibus edocti, *inquit idem Origenes*, omni custodia seruemus cor nostrum, atque attendamus, ne quando ea, quæ viri sunt, tradamus alienis amatoribus: quin potiùs sponsum nostrum, Sermonem ac veritatem inuitemus, vt ornamenta nobis paret aurea, varijs expressa signis, per præceptorum eius obseruationem, quibus adornati, præparemur viro nostro Iesu Christo; cui est gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen. *Ita ille finit, & vt sic finiamus, optat ac deprecatur.* Quis ei non acquiescet? Acquiescemus sanè omnes.

*Perseuerantia amissio.*

§. 6. *LOCVS VI. E LIBRO V. IN EPIST. ad Romanos.*

Rom. 7. v. 9. ORIGENES ad illud Pauli ad Romanos, Cap. 7. verſ. 9. *Ego autem viuebam ſine lege aliquando; ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit*: ita contra Baſilidem perperam interpretantem:

Μετεμψύχωσις Pythagoræ refutatur. Baſilidis verba. Sed hæc, *inquit*, Baſilides non aduertens de lege naturali debere intelligi, ad ineptas & impias fabulas ſermonem Apoſtolicum trahit & Pythagoricum dogma, id eſt, quòd animæ in alia atque alia corpora trãſfundantur, ex hoc Apoſtoli dicto conatur adſtruere. *Dixit enim Apoſtolus*, inquit, *quia ego viuebam ſine lege aliquando, hoc eſt, antequam in iſtud corpus venirem, in ea ſpecie corporis vixi, quæ ſub lege non eſſet, pecudis ſcilicet, vel auis.* Verùm non reſpexit ad id quod ſequitur:

*Sed vbi mandatum venit, peccatum reuixit.* Non enim dixit, ſe veniſſe ad mandatum, ſed mandatum aduenisse: & non dixit, peccatum non fuiſſe in ſe, ſed mortuum fuiſſe, & reuixiſſe. In quo vtique oſtendit, ſe de vna eademque natura in vtroque loqui.

*Hæc Origenes: ex quibus liquidò cognoſcitur, quàm falsò aliqui μετεμψύχωσιν ei obiecerint. De qua falſa obiectione fuſiùs infrà, in Veritatis exacta diſquiſitione agimus.*

§. 7. *LOCVS VII. E LIB. VIII. IN EANDEM Epiſtol. Cap. 11.*

IDEM Origenes ad illa Pauli verba: *Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam* &c. ſic ſcribit:

*Verba Origenis*:

Natura Valentini, vna ſalua, vna perdita, refelluntur. Neſcio quo modo, ij qui de ſchola Valentini, & Baſilidis veniunt, hæc, ita à Paulo dicta non audientes, putent eſſe naturam animarum, quæ ſemper ſalua ſit, & nunquam pereat, & rurſus aliam, quæ ſemper pereat, & nunquam ſaluetur; cùm Paulus apertè dicat, fractos eſſe ramos bonę oliuæ, propter incredulitatem ſuam, & ibi ſeueritatis indiguiſſe vindictâ: & rurſus oleaſtri ramos, (quæ apud illos natura perdita ponitur) inſertos eſſe radici pinguis oliuæ. Sed illis per hęc facilis reſponſio. Nam nobis quoque, qui vnam eſſe naturam omnium rationabilium dicimus, & ad ſalutem æquè habilem, atque ad perditionem, occurri poteſt, & dici: *Quomodo ergo Paulus oliuam bonam ponit, & oleaſtrum? Nam ſi nôſſet vnam naturam eſſe omnium animarum: diuerſi generis arborum non introduxiſſet exemplum.* Ad hoc igitur reſpondendum eſt, quòd ſicut omnis materia corporalis, cùm ſine dubio vnius naturæ ſit, per accedentes ſibi qualitates profert diuerſas ſpecies, vel corporum, vel arborum, vel herbarum: ita & om-

& omnium rationabilium vnacùm sit natura, arbitrij libertate æqualiter donata; tamen vniuscuiusque animæ proprij motus, ex arbitrij potestate producti, animam sibi subiectam, vel ad virtutem, vel ad libidinem impellentes, eam vel in bonæ, vel in malæ arboris efformant speciem: vt arbor bona dicatur, si per arbitrij potestatem elegerit bona; aut mala, si delegerit mala: & sic vnusquisque secundùm proposita suorum motuum, aut bona oliua erit, si iter virtutis incedat; aut certè oleaster, si sectetur contraria. Hinc & Dominus dicebat in Euangelio: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum*; vt ostenderet, arborem bonam, vel malam non nasci, sed fieri. *Hactenus Origenes.* Matth. 12. ver. 33.

Contra hos autem disputabat, cùm dixit dæmones naturę eius fuisse, quæ saluari posset, cùm ipsi è contrario dicerent, eos fuisse ab initio naturę perditæ, & necessariò damnabilis, ac damnandæ: sicuti bonos Angelos naturæ necessariò saluandæ. Quos idem Origenes tacitis nominibus perstringit quoque lib. 2. in Epistolam ad Romanos, cap. 2. ante medium, his verbis: *Nunc requiramus*, inquit, *de iusto Dei iudicio, in quo reddet vnicuique secundum opera sua: & primò quidem excludantur illi hæretici, qui dicunt animarum naturas vel bonas esse, vel malas; & audiant, quia non pro natura vnicuique Deus, sed pro operibus suis reddit.* Et infrà post illa verba: Ioan. 5. v. 22. *Pater enim neminem iudicat, sed omne iudicium dedit Filio. Marcion tamen*, inquit, *& omnes, qui diuersis figmentis varias introducunt animarum naturas, ex hoc loco apertissimè confutantur; cùm à Paulo dicitur: Deus occulta hominum iudicare per IESVM Christum; & ostenditur, vnumquemque non naturæ priuilegio, sed proprijs cogitationibus accusatum vel excusatum, conscientiæ suæ testimonio iudicandum.* Hęc ibi. Sic & tomo 25. in Ioannem, ad illa verba. Ioan. 8. v. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Qui diuersarum*, inquit, *naturarum introducunt commentum, quiq; dicunt filios Dei natura tales existere, eosq; solos capaces esse verborum Dei propter cognationem, quam cum Deo habent, ex hoc etiam loco existimant se probare, quod proposuerint*, &c. Contra eosdem Valentinianos constituentes aliquas naturas spirituales & impeccabiles, hæc habet Origenes lib. 1. de Principijs, cap. 8.

Lib. 2. in epist. ad Romanos.

Non naturis, sed operibus dantur premia.

Tom. 25. in Ioan.

## *LOCVS VIII. DE VALENTINIANIS.* §. 8.

Verba Origenis.

PAVLLVM, *inquit*, & Petrum sine dubio spiritalis esse naturæ confirmant. Cùm ergo multa contra pietatem Paullus egisse inueniatur, in eo quod persecutus est Ecclesiam Dei: cùmque Petrus peccatum graue commiserit, & ancilla ostiaria eum interrogante, cum iuramento affirmarit nescire se, quis sit Christus; quomodo isti, qui secundùm illos spi-

ritales sunt, in peccata huiusmodi corruerunt? maximè cùm soleant frequenter disserere, & dicere, quòd non potest arbor bona malos fructus facere. Et si vtique arbor bona, non potest fructus malos facere, & secundùm ipsos, Petrus & Paullus erant de radice arboris bonæ; quomodo igitur istos fructus tam pessimos protulisse putandi sunt? Quòd si responderint ea, quæ comminisci solent, quoniam non Paullus persecutus est, sed alius nescio quis, qui erat in Paullo, neque Petrus negauit, sed alius quispiam negauit in Petro; quare Paullus, si nihil peccauerat, dixit: *Quia non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei?* Cur autem & Petrus, alio peccante, fleuit ipse amarissimè? Ex quo quidem omnes illorum ineptiæ arguuntur. Secundùm nos verò, nihil est in omni rationabili creatura, quod non tam boni, quàm mali sit capax. Sed non continuò; quia diximus, nullam esse naturam, quæ non possit recipere malum, idcirco confirmamus, omnem naturam recepisse malum, id est, malam esse effectam: sed sicut est dicere, quòd omnis hominis natura recipit, vt possit nauigare; non tamen ex eo omnis nauigabit. Et iterum; omni homini possibile est discere artem Grammaticam, & Medicinam; non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel Medicus esse, vel Grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam, quæ non possit recipere malum, non tamen continuò etiam recepisse malum designamus. Nam secundùm nos, ne diabolus quidem ipse incapax fuit boni; non tamen idcirco quòd potuit recipere bonum, etiam voluit, vel virtuti operam dedit. *Sic ibi.* Propter quæ & similia, quidam calumniabantur Origenem dixisse Diabolum saluatum iri: ipse autem Origenes respondit, ne motum quidem mente, siue amentem id dicturum; tantum abest, vt ipsemet, dixerit.

*Arbitrij libertas.*

*Diabolus fuit aliquando capax boni secundùm naturam suam.*

De iisdem tribus hæresiarchis, & eorum sequacibus, in alijs quoque plurimis locis agit. Tum enim ipsorum hæresis maximè grassabatur. Videri ergo potest Origenes, præcipuè in Tractatu 27. in Matthæum, sub finem; vbi differentiam hæreticorum affert, quorum aliqui in paucis errant, alij in pluribus, tertij in plurimis. Et Marcion quidem, *inquit*, & Basilides, & Valentiniani, & Appelliani, & Ophitæ plurimùm à proposita aberrant via, qui omnino contraria sentiunt veritati, &c. Et in Tractatu 28, & 30. & 35. Plurimus quoque est in refutatione Heracleonis, qui fuit Valentini familiaris, & vnus è præcipuis eius sectæ Scriptoribus, quem Origenes in suis in Ioannem tomis perpetuò ferè exagitat. Sed nec antiquiores illos, & omnium hæreseon principes prætermisit intactos, Theudam, Iudam Galilæum, Simonem Magum, Dositheum, Ebionem, & alios, quos omnes in aureis illis contra Celsum Philosophum libris, citò perijsse vnà cum suis hæresibus monstrat. Nam lib. 6. ante medium de illis miracula IESV imitari frustra conantibus sic scribit:

*Appelliani, Ophitæ.*

*Heracleon.*

*Hæresiarchæ antiquissimi.*

*Theudas. Iudas Galilæus. Dositheus &c.*

## LOCVS IX. DE ANTIQVARVM HÆRESEON *vanitate, & celeri prolapsione.* §. 9.

VERBA ORIGENIS:

NAM qui hæc Christi miracula prodigiosis, sicut Celsus, tribuentes artibus, similibus prodigijs conati sunt sibi conciliare fauorem multitudinis, homines nequam fuisse deprehensi sunt; Simon Samaritanus magus; & Dositheus, eius conterraneus: quorum alter aiebat se esse *Virtutem illam magnam Dei*, alter vero & ipse volebat haberi *Filius Dei*. Nunc nusquam gentium exstant Simoniani, quamuis Simon, quo plures pararet sibi discipulos, sustulerit è sua doctrina mortis periculum, quod Christiani dicebamur contemnere, dicens rem indifferentem esse Idololatriam. Immo nec vlla persecutio contra Simonianos vnquam exorta est. Sciebat enim malus dæmon, doctrinæ IESV insidiator, nihil periculi rebus suis imminere à Simonis discipulis. Ceterùm Dositheani nec vnquam floruerunt, & nunc omnino exstincti sunt; vt si totum recenseas illorum numerum, triginta non inuenias. Quin & Iudas Galilæus (vt Lucas in Actis Apostolorum scribit) volebat videri magnus aliquis, sed quia non proficiscebatur à Deo illa doctrina, perierunt; moxque omnes, qui eos secuti sunt, dispersi fuerunt. Similia habet lib. 1. post medium, vbi de Simone quidem sic scribit: Quin & Simon Samaritanus magus, per magiam suam quosdam decipere conatus, effectu non caruit ad tempus; nunc autem, in toto orbe opinor vix triginta Simonianos reperiri, ac fortasse ne tot quidem. Sunt enim in Palæstina pauci admodum, in reliquo autem terrarum orbe, nusquam nomen eius est in ea opinione, in qua esse voluit. Citat quoque ibidem illud Gamalielis dictum sapientissimum, quod non solùm aduersus Iudæos, sed etiam aduersus omnes hæreses peræquè valet: *Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.* Actor. 5. v. 38. Ita igitur antiquæ hæreses ex hominibus fuerunt, & non ex Deo, quandoquidem dissolutæ sint: Religio autem Christiana ex Deo, & non ex hominibus, quandoquidem dissolui non possit, sed semper, licet plurimis sæculis, & ab innumeris hostibus impetita, pestet firmiter, ac perseueret. Quis dicere nunc potest, vbi sint Simoniani, Menandriani, Carpocratiani, Ebionitæ, Marcionitæ, Basilidiani, Ophiani, Seueriani, Tatiani, Apelliani, & alij eiusdem farinæ quàm plurimi? Manent nomina; sectæ perierunt. Leguntur hæreses, auctores cruciantur, sectatores cruciabuntur. E contrario viuunt, vigéntque, nec interibunt vnquam eorum nomina, qui illas debellarunt: nemo autem vnus inter omnes (liceat hoc amanti Veritatê, & amanti Origenem bona profiteri conscientia) fortiùs ac gloriosiùs, quàm Origenes, eas debellauit: neque item

*Lib. 6. contra Celsum Philosophum*
*Simon magus.*
*Dositheus.*
*Simoniani sine persecutione vlla exstincti.*
*Item Dositheani.*
*Iudas Galilæus.*
*Act. 5. v. 37.*
*Act. 5. v. 38.*

item maiore numero. Neque enim audebit quisquam vt opinor, S. Pamphilo, testi meo, & Martyri IESV, contra dicere. Id enim sanctus Martyr clarè professus est in ea, quam scripsit pro Origene, Apologia.

§. 10. *LOCVS X. E LIBRO II. DE PRINCIpijs, cap. 1. desumitur.*

*Hermogenes hæresiarcha refellitur.*

*Materia prima an sit increata?*

IBI *Origenes contra Hermogenem, tacito tamen nomine, & contra omnes, qui Materiam ponebant æternam, nec à Deo creatam volebant, sic scribit inter alia*: Hæc tamen, *inquit*, materia, quamuis, vt suprà diximus, secundùm propriam suam rationem sine qualitatibus sit, nunquam tamen subsistere extra qualitatem inuenitur. Hanc ergo materiam, quæ tanta & talis est; vt sufficere ad omnia mundi corpora, quæ esse Deus voluit, queat; & Conditori ad quascunque formas & species velit, famuletur in omnibus & seruiat, recipiens qualitates, quas ipse voluerit imponere; nescio quomodo tanti ac tales viri ingenitam, id est, non ab ipso Deo factam conditore omnium putauerunt; sed fortuitam quandam eius naturam, virtutémque dixerunt. Et miror, quomodo isti culpent eos, qui vel opificem Deum, vel prouidentiam huius vniuersitatis negant, & impiè eos sentire arguant, qui tantum mundi opus sine opifice vel prouisore constare arbitrantur; cùm ipsi quoque similem culpam impietatis incurrant, dum ingenitam dicunt materiam, Deóque ingenito coæternam. &c. *Hæc Origenes.* E quibus manifestò detegitur, & destruitur Theophili calumnia, affingentis Origeni turpissimum de Materia prima errorem, quasi dixerit Origenes, tantum posse Deum quantum ei ad operandum materia ministrarit, & non amplius, quasi scilicet Deus dependeat à materia in operando, & non ipsa potiùs à Deo etiam in existendo. Affinxit autem hoc Origeni Theophilus Alexandrinus, in sua Paschali 1. his verbis: *Et non erubescit*, inquit, *contra Dei fortitudinem disputans dicere, quòd tantum possit Deus, quantum ei ad operandum materia ministrarit.* Qua de re vide, si lubet, responsionem nostram, *infrà*, in Veritatis exacta disquisitione, Quæst. 6. Criminatione 10.

*Theophili calumnia refutata.*

§. 11. *LOCVS XI. DE FALLACIA HÆRETIcorum ex simulatione virtutum.*

ORIGENES lib. 10 cap. 15. in Epistolam ad Romanos, sub finem, explicans illum versum: *Omne, autem, quod non est ex fide peccatum est*, sic inter alia: Sicut, *inquit*, pseudoprophetæ interdum falso nomine, Prophetę appellantur; & falsa scientia, scientia dicitur; & falsa sapientia, sapientia abusiuè nominatur, ita & hæreticorum credulitas, falso nomine fides appellatur. Vnde etiam videndum est, ne fortè tametsi

*Rom. 14. v. 23.*

quid

quid boni operis apud illos geri videatur, quia non fit ex fide, conuertatur in peccatum, ficut de quodam dictum eft: *Oratio eius fiat in peccatum.* Vbi nota iftud, *quia non fit ex fide*, id eft, bona fide, feu fincerè, & recta intentione, vt indicant, quæ continenter fubdit his verbis: Eft interdum & caftitas, quæ non eft ex fide, eorum fcilicet, qui attendunt fpiritibus feductoribus, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrifi falfa loquentium, cauteriatam habentium confcientiam, prohibentium nubere, & abftinentium fe à cibis, quos Deus creauit. Eft & falfa fides eorum, qui circa fidem naufragauerunt. Eft & falfa fapientia, huius fcilicet mundi, & principum huius mundi, quæ deftruetur. Sicut enim piratæ folent in mari, in locis vadofis, occultifque fcopulis, per obfcurum noctis, lumen accendere, quo nauigantes fub fpe confugiendi ad portum falutis, ad naufragia perditionis inuitent: ita & iftud lumen falfæ fapientiæ, vel falfæ fidei, à principibus mundi, & fpiritibus aëris huius accenditur, non per quod euadant, fed per quod pereant homines, mundi huius fluctus, & vitæ pelagus nauigantes. De his, vt opinor, piratis dicebat & Iob: *Sagittæ piratarum eius venerunt fuper me.* Et ob hoc etiam Paullus dicit, quia & ipfe Satanas transfigurat fe in Angelum lucis. Propterea nauigantes vitæ huius vndas, non omni lumini, id eft, non omni fapientiæ credere debemus, fed ficut monet Apoftolus, *probare fpiritus, fi ex Deo funt.* Sic ibi.

*Pfal. 108. v. 7.*
*Encratetarum hærefis.*
*Caftitas falfa.*
*Heretici piratis fimiles.*
*Iob. 6. v. 4.*
*1. Ioan. 4. v. 1.*

Idem Origenes homilia 7. in caput 16. Ezechielis, ante medium, ad verfum 18. *Et fumpfifti veftimenta tua multicoloria, & operuifti illas*; imagines idolorum fcilicet, per quas intelligit hærefes, quæ operiuntur interdum veftibus multicoloribus, id eft, varijs virtutibus, vt magis decipiant. Qui enim, *inquit*, vitæ peffimæ eft, non facilè homines ad falfum dogma pellicit, nec poteft per vmbram fanctitatis, audientium decipere fimplicitatem: qui verò doctrina peruerfa, & difciplinis faluti contrarijs præditus eft, mores autem compofitos & ornatos habet; is nihil aliud, quàm accipit indumenta varia inftituti boni, & conuerfationis quietæ, & circumdat ea idolis fuis, vt magis decipiat audientes. Idcirco follicitè caueamus hæreticos, qui conuerfationis optimæ funt, quorum fortè vitam, non tam Deus, quàm Diabolus inftruxit. Nam ficut aucupes, quafdam efcarum illecebras proponunt, vt faciliùs aues per oblectamenta gulæ capiant; fic, vt audaciùs loquar, eft quædam caftitas Diaboli, id eft, decipula humanæ animæ; vt per iftiufmodi caftitatem, & manfuetudinem, & iuftitiam, faciliùs eam poffit capere, & falfis fermonibus irretire. Ita diuerfis Diabolus pugnat infidijs, vt miferum perdat hominem, cùm & malis bonam tribuit vitam, vt decipiant eos, qui vident, & bonis malam inurit confcientiam. *Hæc ibi.*

*Ezechielis 16. v. 18.*
*Verba Origenis*
*Heretici aucupibus fimiles.*

His porrò allatis hactenus Documentis, quæ tam ad Origenis rectam fidem comprobandam, quàm ad conuincendos errores hæreticorum, & fanam Catholicorum doctrinam, probófque mores confirmandos,

dos, mihi sufficere in præsenti videntur, ad librum quartum, eúmque perutilem, & maximè necessarium, Deo duce qui huc vsque singulari sua benignitate me perduxit, spe bona fretus pertransibo. In hac igitur postrema & potissima parte, quam voco *Veritatis, super vita, doctrina, statu Origenis, exactam disquisitionem*, respondebitur per Dei gratiam, & satisfiet argumentis omnibus, quæ ducta è SS. Patribus, Concilijs, Præiudicijs, visa sunt ad hoc vsque tempus, aliquid maioris contra Origenem habere momenti. Age porrò, hoc agamus.

LIBER IIII.

# LIBER IV.



# VERITATIS SVPER VITA, DOCTRINA, STATV ORIGENIS EXACTA DISQVISITIO.

## PROOEMIVM ET TOTIVS DISQVISITIONIS, SEV APOLOGIÆ, BASIS.

VERISSIMVM est illud S. Iustini, Philosophi & Martyris effatum: *Exacta rerum disquisitio sæpe ea, quæ rectè se habere videbantur, aliter habere ostendit.* Cuius veritatis attenta consideratio haud leuem mihi caussam attulit, quamobrem de Origene Adamantio, viro tam in vita, quàm in scriptis admirabili, exactiorem in præsentia cogitarim instituere disquisitionem, quàm adhuc à quoquam alio (absit verbo inuidia) cognouerim institutá.

*In cohortatione ad Græcos.*

Hoc enim profiteri ex vero possum (quod & res ipsa, vti spero, postea commonstrabit) tantum me huic negotio adhibuisse studij ac diligentiæ, quantum ab vllo homine, *hoc agente*, adhiberi possit, aut debeat. Nam cùm nonnullos ex ijs, qui doctiùs aliquanto & operosiùs, quã ij, qui de vulgo, idem argumentum pertractarunt, in non paucis à recta deflexisse via animaduertissem, eaq; potissimùm de caussâ, quòd ritu quodam Pythagoreo, vnius se auctoritati addixissent, atque in re admodum controuersa sine accuratiori examine, & inauditâ parte alterâ, nimis ei facilè credidissent; applicui ego animum ad reuoluendam ab initio, primaq; origine omnem caussam, sciensq; Veritatem (quod quidam haud falsò pronũtiauit) in profundo demersam esse, nec inuẽtu cuiuis facilem, hinc ego multos mihi perquirendę eius gratia fodere puteos institui, hos in Ægypto, illos in Syria, istos in Arabia, quosdam in Ponto & Asia, nonnullos in Achaia, aliquos in Africa, reliquos in Italia atq; Gallia. Tot enim sunt, eoq; plures regiones, in quibus floruerunt illi, quorũ antiqua scripta & vetustos codices, nulli parcẽs labori, studiosè sum perscrutatus. In his autẽ omnia, quæ de Origene quãcunque in partẽ, seu ab ipsomet relicta, seu ab alijs scriptoribus tradita monumentis

*Veritas in profundo demersa.*



numentis

numentis reperire potui, sedulò perlegi, perpendi, inter se contuli, quoad emergentē denique *Veritatem* ipsam conspexi: ad quam ego præ lætitia gestiens, Salue, inquam, ô mihi percara, peroptata *Veritas*, diu perquisita, serò inuēta. Quàm opportunè nunc ades! quàm exoptatò mihi pro vno è clientibus tuis laboranti, ac velut sub onere fatiscenti te offers! Age,

*Sis felix, nostrumq; leua quemcunque laborem.*

Tum illa sereno vultu, benignisque in me oculis, leuabo equidem, inquit, laborem tuum; & quod optas (nec enim me latet) prosperè tibi effectum dabo. Sed vnde tibi Origenis Adamantij, viri nobis non mediocriter adamati amor tantus? Cui ego: Quia ille IESVM, amorem meum, mirè adamauit. Nam ipsum grauissimis quondam calumnijs appetitum, & Iudæis ac Gentibus, à Philosopho quodam, Celso nomine, risui atque ludibrio expositum, hic vnus Origenes libris octo, doctis (Deus bone!) & elaboratis fortissimè defendit. Ediderat enim Celsus ille, ad totius subuersionem Christianæ Religionis, codicem vnum oppidò pestilentem, quem & pelliciendo ad se lectori, *sermonem verum*, (tametsi mendacijs confertissimum) inscripserat. Huic ergo obuiam Origenes cum Christiana funda venit, & hominem sibi suisque armis præfidentem, humi prostrauit, armis exuit, prædam volucribus dedit. Bonum, inquit *Veritas*, factum. Et probo, quòd Origenem propter IESVM amas; in quo & ego amor, qui nomen assumere meum non dedignatus est, *Veritasq;* appellari. Quibus ego dictis non mediocriter recreatus, sed & alia, inquam, in Dei honorem eius benefacta, si audire allubescit, proferre habeo, nouas scilicet amoris in Origenem mei caussas. Quâ, vt referre eas non pigeret, mihi annuente; Quoniam ille, inquam, in acerbissima Gentilium aduersus Christianos persecutione (quæ & viros in fugam, & senes in latebras adegerat) Ecclesiam Alexandrinam à suo Pastore desertam, à Ministris destitutam, ille, inquam, vnus, etiam tum adolescens, suis quasi humeris lapsabundam sustinuit, publicam sacræ Catecheseos scholam doctore vacuam suscepit, viris ac feminis propter fidem in Christum captis, vinctis, in carcerem compactis, adiutor, consultor, consolator adstitit, ad perferenda pro Christo IESV tormenta feruidè animauit, ad ipsum vsque martyrij locum conduxit, quin & ipsas quodammodo Martyrij palmas suis ipse manibus, in ipsorum palmis posuit. Quibus audiendis delectari *Veritas* cùm videretur, (nequit enim *Veritas* non delectari veritate) & annutu oculorum dicta nostra comprobaret; tum ego magis magisque hac beneuolētiâ stimulatus, alia duo adieci de eodē viro haud parua elogia. Vnū quidem, quòd florenti ætate iam Presbyter à S. Alexādro Hierosolymorum Episcopo consecratus, multos flexanima sua eloquentia, & spiritu viuifico, ac salutari, insignes Episcopos ac Martyres, matri Ecclesiæ peperisset, & in his quidem admirabilem illum Gregorium Thaumaturgum, vnà cum fratre suo Athenodoro, illustri postea Episcopo ac Martyre, sanctos item

*Origenes Iesu amator.*

*Eius admodū adolescentis benefacta.*

*Origenis præcipui discipuli.*

item Heraclam, & Dionysium Alexandrinum; ambos Ecclesiæ Alexandrinæ, alterum post alterum Episcopos, & cum his simul alios complures præclaræ sanctitatis Antistites. Alterum autem, quòd horrenda pro Christo tormenta, quæ puer olim mirè appetiuerat, & quæ Christus in robustiorẽ ætatem distulerat, iam senex generosè fortiterque pertulisset. Nam quòd nonnulli nescio quam de fœdo Æthiope in Origenem incursante, & de thure, (vt ne eius attactu sua commacularetur castitas) Dijs adolitò, fabellam commenti sunt: id nec omnibus placuit ipsius aduersarijs; quandoquidem vnus ex illis, non scientia modò; sed & virtute præcellens, merum id esse figmentum palàm professus sit: neque hoc solùm, sed aliter quoque sentientes magna rationum vi ac pondere compresserit. Sed tu ipsa; ô peramica *Veritas*, quo ista modo se res habeat, meliùs quàm homo quispiam & certiùs nosti. Nec mora: præbito dictis assensu, consurgens ipsa, & non mediocrem aduersus istos fabularum consutores indignationem præ se ferens, Illi, illi sunt, *inquit*, qui meâ me veste exspoliare, & ea mendacium conuestire studuerunt: quos proinde bonũ est & necessarium à te redargui. Eia igitur, quam cœpisti, insiste viam; comitem habebis in omnibus fautricemque *Veritatem*. Ac ne diffidas, eum tibi ducem prouidebo, cui resistere nulli queant aduersarij: ducem scilicet belli scientissimum, & certæ harum rerum notitiæ indagatorem sagacissimum. Dux enim tuus, in hac Origenis mei & tui defensione; futurus est ille nominis amabilissimi beatus Pamphilus, ille Martyrum sui æui nobilissimus, ille germanorum Origenis scriptorum propugnator acerrimus: qui & Apologiã pro illo fortissimam primus omnium exarauit, & illos errores, quos quidam partim ignari, partim inuidi, partim maleuoli iniquè ipsi affingebant, ab illo longissimè atque certissimè propulsauit. Hæc cum *Veritas* ipsa diceret, nec dubitare possem, quin vera diceret, perculit tamen animum subita illius contentionis recordatio, quæ inter duos illustres Ecclesiæ Patres, Hieronymum & Ruffinum super hac ipsa quæstione olim intercessit: an scilicet Apologia quæ sub S. Pamphili nomine fuerat hactenus celebrata, eius reuera esset, an alterius? Nam licet totus orbis ante illud dissidij tempus, illam verè Pãphili esse consensisset, neque vllus omnino, nec in Orientali, nec in Occidentali Ecclesia contradixisset; euenit tamẽ, coortâ inter illos primores viros non leui discordiâ, vt eorum alter id, quod vnà cum omnibus de S. Pamphilo amicus Ruffini Presbyteri tenuerat, idem retractaret inimicus. Hunc ergo scrupulum *Veritati* cùm aperuissem, ita illum mihi exemit: In quod vniuersus, *inquit*, orbis consensit, non debet vnius solius à seipso dissentientis contra illud venire, nedum præualere auctoritas: & ipsa quidem dissensionis discordiæque nomina, quæ mentem vt plurimùm obnubilant, haud satis verum attendunt. Ego quidem *Veritas*, quæ pacis amicitiæque audio conciliatrix, tranquillis & serenis me ostendo; turbati ac nubilosi faciem contueri meam non possunt.

*Baronius. tom. 2. annal.*

*S. Pamphili laus.*

*Dissidia & discordia inimica sunt Veritati.*

*Propositiones 5. à veritate procedentes.* Verùm age; certas tibi propositiones dabo, ad quas rebus in dubijs (multę enim tibi occurrent) tanquam ad præsentissimas auxiliatrices atque consiliarias identidem recurras, & quibus tibi facem præferentibus, ad me securus ambules. Ita mecum *Veritas*.

Tum verò mihi præ gaudio exultanti has quinque Propositiones intimis inserendas medullis exprompsit: quarum hæc est.

1ª. Si quando accidat, virum doctum ac probum in libris suis (vti nonnunquam euenire natum est) scribere aliqua inter se contraria, & modò in personæ aut rei cuiuspiam commendationem atque laudem efferuescere, modò in eiusdem vituperium ac depressionem incumbere; tum adhibita diligenti temporum affectuúmque consideratione, maioris illa fidei censenda sunt, quæ composito placidóque animo scripta sunt, quàm quæ turbido, & inquieto; & quæ ab amicis prolata sunt, quàm quæ ab inimicis. Nam si quis in amore excessus est; at longè maior in odio. Sicuti enim amor aciem mentis offuscat: ita odium excæcat.

2ª. Neminem bonę ante hac famæ & existimationis, propter solam vnius hominis, licet grauissimi, auctoritatem, præsertim inimici, talem habendum esse, qualem ille descripserit.

3ª. Neminem, seu viuum, seu mortuum, propter repertos in scriptis suis errores, quamuis graues, condemnari hæreseos posse, aut debere: nisi eum pertinaciæ in ijsdem erroribus conuictum esse constet.

4ª. Qui tormenta pro Christi fide, in vera Ecclesia volens lubensque sustinuit, si quos fortè errores antè habuit, quos viuens non reuocauit, is existimandus est ipsâ piè obitâ morte, aut fidei catholicæ publica confessione sufficienter reuocasse.

5ª. In quæstione facti. particularia Ecclesię Concilia à generalibus possunt emendari, & generalia à posterioribus itidem generalibus: *Si quidem aliquo rerum experimento aperiatur, quod clausum erat; & cognoscatur, quod latebat.* *S. Aug. l. 2. cont. Donatist. c. 3.*

Hisce quinque propositionibus, *inquit Veritas*, velut totidem lympidissimis lapidibus, quamlibet giganteam falsitatis molem poteris äuctore me prosternere. Tantùm hoc sedulò age, vt puram putâ in omnibus Dei Opt. Max. gloriam quæras, ijsdemque vestigijs in protegendo Origene, quæ Pamphilus meus olim expressit, gradiare. Ita minimè tibi difficile fuerit, quam ille conscripsit Apologiam, hanc ipsi vt germanissimam (sicuti reuera est) quà ratione, quà auctoritate vindicare. Quod proinde (quando magnam partem in eo sita est victoria) primo tibi loco aggrediendum, ac toto nisu perficiendum est. Quibus ego auditis, & gratijs immortalibus pro tanta in me beneuolentia peractis, mox quibusdam velut igniculis animum incendi meum persensi, ad dictam Apologiam Auctori suo totis viribus vindicandam. Cuius rei gratia hanc primam propono quęstionem.

QVÆS-

# QVÆSTIO I.

***AN S. PAMPHILVS MARTYR SIT AVCTOR ILLIVS Apologiæ pro Origene, quæ S. Pamphili nomine hactenus inscripta est?***

PROPTER eos maximè, hæc mouetur quæstio, qui sibi antehac persuaserunt, neminem Scriptorum antiquorum suscepisse Origenis defensionem: & qui vulgatam illam nomine S. Pamphili Apologiam, potiùs cuiusuis alterius esse contendunt, quàm eius, cuius reuera est, & esse asseritur propria.

## VERA PROPOSITIO.

***APOLOGIA PRO ORIGENE OLIM EDITA, ET nomine S. Pamphili Martyris inscripta, verè est eius, & non alterius.***

SVNT in hac sententia omnes Græci Scriptores, qui ea quidem de re tractauerunt, neque vnum ex illis adhuc inueni, qui contrà senserit. *§. 1. Græci Scriptores.*

Primus igitur pro hac sententia stat Eusebius Pamphili, Ecclesiasticæ princeps Historiæ, qui ab hoc ipso Pamphilo cognomen sumpsit, aut potiùs ob perspectam mutui inter ipsos amoris excellentiam ab alijs impositum suscepit. Qui Eusebius lib. 6. Historiæ c. 33. scribit Apologiam pro Origene scriptam à se, & à Pamphilo, mutuis operis, hoc est, quòd ipse aliqua, & aliqua Pamphilus scripserit. Verba illius, vbi de Origene loquitur, sunt ista: Ὅσα δὲ ἀναγκαῖα τῶν περὶ αὐτὸν διαγνῶναι ἦν ταῦτα, καὶ ἐκ τῆς ὑπὲρ αὐτοῦ πεπονημένης ἡμῖν τε καὶ τῷ καθ' ἡμᾶς ἱερῷ μάρτυρι Παμφίλῳ ἀπολογίας πάρεστιν ἀναλέξασθαι ἣν τῶν φιλαιτίων ἕνεκα. συμπονήσαντες ἀλλήλοις διὰ σπουδῆς πεποιήμεθα. *Quæcunque autem ex ijs, quæ ad illum pertinent, cognitu necessaria sunt, facile est ea cognoscere ex Apologia pro illo à nobis, & à nostri temporis Sancto Martyre Pamphilo elaborata; quam propter obtrectatores collatis operis studiosè confecimus.* Loquitur autem ibi Eusebius de tota Apologia, quæ sex constabat libris, quorum primus à solo Pāphilo confectus fuit, eiusque nomine inscriptus: quatuor sequentes autem ab vtroque, iunctis operis: sextus verò & postremus à solo Eusebio post mortem S. Pamphili; vti fusiùs in refutatione aduersariorum infrà explicabitur. *Euseb. lib. 6. Hist. Eccl. c. 33.*

Secundus ſubit Socrates, Scriptor ab Euſebio proximus, qui S. Pamphilum pro Origene libros ſcripſiſſe teſtatur, lib. 4 hiſt. Eccl. 22. vbi de Sancto Gregorio Thaumaturgô, Origenis diſcipulo agens ſic ſcribit: Μέμνηται δὲ

Socrat. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 22. Item l. 3. c. 5.

αὐτοῦ καὶ Πάμφιλος ὁ μάρτυρ ἐν τοῖς περὶ Ὠριγένους πονηθεῖσιν αὐτῷ βιβλίοις: *Meminit quoque illius* [Sancti Gregorij Thaumaturgi] *Pāphilus Martyr, in ijs libris, quos pro Origene elaborauit.* Vide eundem Socratem libro tertio cap. 5.

Tertius teſtis accedit è Scriptoribus Græcis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Nicephorus Calliſtus, lib. 10. Hiſt. cap. 14. vbi productâ Origenis auctoritate, docentis Filium Dei corpus aſſumpſiſſe animatum, ita ſubdit: Μάρτυρες

Nicephor. Calliſt l. 10. Hiſt. Eccleſ. c. 14.

τῶν εἰρημένων ἀξιόπιστοι Πάμφιλος ὁ ἱερὸς συγγραφεὺς, καὶ ὁ τὴν ἐκείνου προσωνυμίαν ἀληφὼς, καὶ ἐξ ἐκείνου Χρηματίζων Εὐσέβιος. Οἱ τὸν βίον παραστησάμενοι τοῦ ἀνδρὸς, καὶ πρὸς τοὺς ἀπεχθῶς ἐκείνῳ διακειμένους ἀντιφερόμενοι, τὴν ὑπὲρ ἐκείνου ἀπόλογον καὶ ἄμφω ποιούμενοι, οὐ πρῶτον Ὠριγένην εἶπον ἐπὶ τὴν τοιαύτην δόξαν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ μυστικὰ τῆς ἐκκλησίας, ἑρμηνεύοντα δόγματα παραδοῦναι: *Teſtes dictorum fide digni ſunt Pamphilus, ſcriptor Eccleſiaſticus, & qui ab eo cognomen aſſumpſit, & appellatus eſt Euſebius Pamphili, qui vitam eius viri* [Origenis ſcilicet] *conſcripſerunt, & ipſi aduerſantibus ſeſe opponentes, pro illo Apologiam ambo contexuerunt; ij dixerunt, Origenem non primùm in eam veniſſe opinionem, ſed ipſum arcana Eccleſiæ dogmata interpretantem tradidiſſe.* Hæc Scriptores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Quartus, qui eandem tenuit ſententiam fuit Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in ſua Bibliotheca, codice C.XVIII. ita ſcribit:

Photius in bibliotheca cod. 118.

Ἀνεγνώσθη Παμφίλου τοῦ μάρτυρος, καὶ Εὐσεβίου, ὑπὲρ Ὠριγένους τὸ βιβλίον. τόμοι δὲ ἓξ ὧν οἱ μὲν πέντε Παμφίλῳ τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντι. ὁ δὲ ἕκτος, ἐπεὶ ὁ μάρτυς ξίφει τοῦ ζῆν ἀπαχθεὶς ἀνέλυσε πρὸς ὃν ἐπόθει θεὸν, Εὐσεβίῳ λοιπὸν ἀπαρτίζεται. *Lectus eſt Pamphili Martyris, & Euſebij pro Origene codex, tomi autem ſunt ſex; quorum quinque à Pamphilo in carcere degenti, præſente etiam Euſebio, elaborati ſunt: ſextus autem, poſteaquam Martyr gladio vitâ pulſus, ad Deum, quem deſiderabat, emigrauit, ab Euſebio denique eſt abſolutus.* Vbi videtur Photius è ſtilo cognouiſſe non modò primum librum eſſe Pamphili; ſed etiam quatuor ſequentes, licet coniunctis operis compoſitos, magis Pamphilo attribuendos; ſextum autem ſoli Euſebio. Fuit autem Photius (vt omnes docti nôrunt) dijudicandorum ſtilorum arbiter ſolertiſſimus.

Et huic Photij ſententiæ fauet, quòd Pamphilus in deſcribendo ſua ipſius manu Origene (tanti enim eum faciebat) fuit indefeſſus. De quo breui pôſt ampliùs.

Hæc è Græcis Scriptoribus prò Pamphilo, Scriptore Græco, ſufficiant. Nunc ad Latinos.

Latini itidem omnes (ſepoſitis tamen quæ ab Hieronymo & Ruffino,

exorta inter eos dissensione, aliàs amicissimos, scripta sunt) ad hanc nostram vsque ætatem, in eadem fuere communiter sententia, istam Apologiam esse S. Pamphili, sicque reperta est in veteribus m.ss. codicibus, & deinde in omnibus libris impressis: excepto, quòd qui nuper nouam operum S. Hieronymi editionem, cum suis notis emisit Marianus Victorius, receptam à tot sæculis inscriptionem mutare veritus non sit.

*Operum S. Hieronymi recens editio Mariani Victoris.*

Primus ergo è latinis Scriptoribus pro hac sententiâ est Hieronymus in libro suo, de Scriptoribus Ecclesiasticis, tempore senioris Theodosij Imperatoris in lucem emisso. Vbi ita de Pamphilo: *Pamphilus Presbyter, Eusebij Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto bibliothecæ diuinæ amore flagrauit, vt maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quæ vsque hodie in Cæsariensi bibliotheca habentur. Sed & in duodecim Prophetas viginti quinque* Ἐξηγήσεων *Origenis volumina manu eius exarata reperi, quæ tanto amplector & seruo gaudio, vt Crasi opes habere me credam. Si enim lætitia est, vnam Epistolam habere Martyris: quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia? Scripsit, antequam Eusebius Cæsariensis scriberet, Apologeticum pro Origene; & passus est Cæsareæ Palæstinæ sub persecutione Maximiani.*

*Primus è latinis. Hieronymus lib. de Scriptorib. Ecclesiast.*

Nec solùm in hoc libro, sed etiam in epistola lxxxiv. ad Magnum, Oratorem Romanum, reperitur Pamphilus inter Scriptores Ecclestiasticos ab eodem Hieronymo recensitus.

Secundus est Ruffinus Presbyter, qui primus eandem Apologiã, rogatu S Macarij Romani latinè vertit: & qui in præfatione ad eundem Macarium indicat traditionem esse eundem librum Apologeticum pro Origene, esse S. Pamphili, dum ita scribit: *Et quamuis non meam de Origene sententiam, sed S. Pamphili Martyris sciscitatus sis, & librum eius, quem pro Origene scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in latinum; tamen non dubito futuros, qui & in eo læsos se putent, si nos aliquid pro eo, vel alieno sermone, dicamus.* &c. Ne quis autem putet hîc perstringi Hieronymum (sicut in quibusdam exemplaribus ad marginem perperam annotatum est) sciat potiùs perstringi aduersarios Hieronymi, Romæ tum degentes, quos idem Hieronymus immensis laudibus Origenis, tempore Damasi Papæ, offenderat. Magna enim semper fuit inter Græcos & Latinos excellẽtiæ & laudis, ingenij atque doctrinæ æmulatio.

*Secundus è latinis. Ruffinus Presbyter.*

Quin Ruffinus in prologo suo ad librum primum de Principijs, post eam Præfationem scripto, laudem Hieronymi admiscuit, licet istam laudẽ aliqui in sinistram partem inuidiosè detorserint.

Exstat etiamnum ille Prologus cum laude Hieronymi: quæ laus ab æmulis tracta est in occasionem discordiæ. Alioqui (fas sit liberè effari veritatem) non plus peccauit Ruffinus vertendo latinè S. Pamphili Apologiam, quàm ipse S. Pamphilus eam græcè componendo: neque itidem magis hæreticus appellari potuit Ruffinus, libros Origenis *De Principijs*, in Ecclesia

Occidentali euulgando, quàm S. Pamphilus eosdem in Orientali, non euulgando solùm, sed etiam propugnando & propagando. Atqui nemo est rectè sentientium & iudicantium, qui sanctissimum illum Martyrem in Origenis seu euulgatione, seu propugnatione, & propagatione alicuius criminis iustè possit redarguere. Quin & ipse Hieronymus etiam post reprobatam à se librorum *De Principijs* traductionem, S. Paullinum Nolę Episcopum pro reperienda difficilium quarundam quæstionum resolutione, de quibus ab eo consulebatur, ad eosdem *De Principijs* libros remisit; nimirum quòd iudicaret, neque se, neque quemuis alium meliùs ac pleniùs eas difficultates vel explicasse hactenus, vel explicare deinceps posse, quàm in istis libris explicasset Origenes.

*Tertius è latinis. Arnobius iunior, aut illi æquæuus.*

Tertius est Arnobius iunior, Hieronymi & Augustini vicinus temporibus, qui tres libros pro S. Augustini defensione non diu post eius mortem elaborauit: in quorum primo, siue hæresi 22. sic inter alia: *Vnde quicumque vsque hodie Origenem legit, si prudenti eum nouit recitatione distinguere, deprehendit loca àb hæreticis maculata. Quod ita esse S. Pamphilus Martyr in suo Apologetico declarauit.*

Et infrà, hæresi 43. ita de eodem: *Hic edidit Apologeticum, & omnia quæ Catholici ignorantes mentiuntur, exclusit, ostendens ea quæ reprehensibilia inueniuntur in eius opusculis, Origenis non esse, sed eorum quos ipse superauerat.* Deinde idem de germana hac Pamphili Apologia senserunt ad hanc vsque ætatem cūctifere latini Auctores, qui de antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis scripserunt: Itaque Ioannes Tritthemius, & alij qui præcesserunt Baronium, sententiam Hieronymi de S. Pamphilo in scriptoribus Ecclesiasticis expressam secuti sunt; sicut & quicumque postea Apologias pro Origene scripserunt: quamuis non ignorarent eundem Hieronymum aliter postea tenuisse. Existimarunt enim ea, quæ ipse in constanti ac matura ætate, & firmâ adhuc memoriâ, placidóque animo conscripserat, plus mereri apud æquos Iudices fidei, quàm ea quæ præcipiti æuo, & recordatione fluxa, & mente præsertim ex quibusdam circa res litterarias dissidijs nonnihil exulcerata, per palinodiam exarauit. Et cùm in humanis rebus rationi quàm auctoritati plus tribuendum sit, videndum nobis est, quid aduersus receptam tot sæculis sententiam queat obijci, quid obiectis responderi possit. Ita enim veritas, quam quærimus, & quam tueri optamus ac debemus, multo clariùs elucescet.

*Quartus è latinis. Ioannes Tritthemius.*

§. 3. *Obiectiones ex Hieronymo.*

## OBIECTIONES CONTRA APOLOGIAM
### *Sancti Pamphili, & responsiones ad illas.*

PRimò igitur obijci potest è verbis Hieronymi in epistola ad Pammachium & Oceanum, sub finem; sciri non posse illam Apologiam esse Pāphili, ex eo quòd aliud eius scriptū extet nullū. Sic enim ait Hieronymus: *Date quodlibet aliud opus Pamphili: nusquam reperietis: hoc vnū est. Vnde igitur sciā, quòd sit Pāphili? videlicet stilus & saliua docere me poterit.*

Respon-

Responderi potest 1. quamuis aliud nullū exstaret opus Pamphili, tamen cognosci posse istud esse Pamphili, tam ex inscriptione ipsius libri primitus inuenta, & passim recepta, quàm ex traditione hominū, qui semper ad hæc vsque tempora indicarunt & crediderūt istud opus esse S. Pamphili, & nullius alterius, Quin & ipse Hieronymus ijsdem de caussis tam firmiter credidit, vt sine vlla prorsus dubitatione, in libro suo *De Scriptoribus ecclesiasticis*, vt suprà monstratum est, id scripto expresserit. *Responsio ad obiectionem primam ex Hieronymo.*

2. Si valeret ista Hieronymi ratio, plurimorum sanè Auctorum libri, qui vnicum opus scripserunt, non possent probari esse ipsorum: atque ita negari posset S. Ignatij Martyris epistolas, esse Ignatij; & similiter epistolā S. Polycarpi, esse Polycarpi; & Isidori Pelusiotæ, esse Isidori; & aliorum itidem sexcentorum, quorum præter epistolas, opus aliud exstat nullum.

3. Quamuis aliud fortè opus S. Pamphili Hieronymo visum non fuerit, at visum alijs fuit, ad quos idem S. Martyr epistolas scripsit. Scripsisse enim certum est, vt hîc breui postea ostendetur. Quare illi, qui primi viderunt & legerunt Apologiam S. Pamphili, & qui illam alijs post se tradiderunt; illi, inquam, è stilo & saliua cognoscere potuerunt eam esse germanum opus S. Pamphili. Quia scilicet aliarum eius epistolarum idem stilus, idem spiritus ab illis recognitus est, qui Apologiæ: præsertim cùm & ipsa Apologia more epistolico exarata sit, nec reuera fuerit aliud quàm epistola responsoria ad quosdam fratres, qui prius ad eum scripserant de quadam sua super scriptis Origenis vacillatione, propter quædam, quæ in illis videbantur rectę fidei esse aduersa, quamuis non essent. Hinc ita incipit: *Nihil mirum fratres videmini esse perpessi, quòd ita vos Origenis subterfugit intellectus, vt vos quoque existimetis de illo, quæ & alij, nonnulli, &c.* Post quę sensim descendit ad præcipua capita aduersus Origenem obiecta; quibus & singillatim respondet, non suis tamen, sed ipsiusmet verbis Origenis, siuę productis ex ipso Origene compluribus testimonijs, prorsus alia docentibus, quàm ea, quæ illi falsò obijciebantur: ita vt post primum folium istius Apologiæ, seu epistolæ Apologeticæ, quicquid reliquum est, nihil aliud contineat, quàm obiectiones, aduersariorum & testimonia verborum Origenis dictas obiectiones interimentium. *Apologia S. Pamphili pro Origene initium.*

Secundo ex eadem Hieronymi epist. 66. obijci possunt hæc eius verba tanquam indicantis illam Apologiam infamem ac probrosam esse, indignámque Pamphilo. *Obiectio 2. ex Hieronymo.*

*Nunquam*, inquit, *credam; quòd doctus vir* [Pamphilus nimirum] *primos ingenij sui fructus quæstionibus & infamiæ dedicarit. Et ipsum nomen apologetici ostendit accusationē. Non enim defenditur, nisi quod in crimine est.*

Responderi potest, æquum esse omnino, non credere, virum doctum, immo & sanctū, primos ingenij sui fructus quęstionibus & infamię dedicasse. Minimè hoc fecit S. Pamphilus, minimè gentium: sed hoc potiùs citra omnem dubitationem credendum est, virum doctum & sanctum & *Responsio ad obiectionem 2.*

Origenis tam amantem, quàm ipsemet scripsit Hieronymus, hoc est, tam amantem, *vt maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit*, hoc, inquam, citra omnem dubitationem credendum est, talem tantúmque virum calumnias aduersariorum Origenis, ac simul nomen hæreseos ab homine innocente, & doctore catholico sibi amicissimo diligenter ac fortiter propulsasse.

Ad secundum item membrum, planè fatendum est nomen Apologetici ostendere accusationem, sed nihil necesse est, vt iustam. Alioquin & ipsius Hieronymi Apologię contra sibi aduersantes scriptę ostenderét ipsum verè, iustéque accusatum. Ita & omnes SS. Patrum pro Catholicis Apologię arguerent ipsos, iustè ab Ethnicis insimulatos. At res longè aliter habet. Nam multo frequentiùs accidit, vt Apologiæ cõtra calũnias edantur, quàm contra accusationes iustas. Quare Apologia pro Origene fuit contra errores illi falsò obiectos, non autem quòd ipse in aliquo fuisset vero crimine.

*3ª. obiectio.* Tertio ex eadem rursus epistola obijcitur; librum illum apologeticum non posse esse S. Pamphili, quia nimis diuersa scribat ab Eusebio sibi amicissimo, sed potiùs esse Didymi, aut cuiusuis alterius. Hæc enim sunt eo loco verba Hieronymi:

*Hieronymi verba in epist. ad Pammachium & Oceanum sub finem.* *Vnum nunc proferam, cui contradicere vel stulti sit, vel impudentis: Sexti libri Eusebij super Origenis defensione principium, vsque ad mille ferme versus, liber iste qui Pamphili dicitur, continet; & in reliquis, Scriptor eiusdem operis profert testimonia, quibus nititur probare Origenem fuisse Catholicum. Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, vt vnius animæ homines putes, & ab vno alter nomen acceperit. Quomodo igitur inter se ita dissentire potuerunt, vt Eusebius in toto opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicenæ synodi, quæ fuit postea, defensorem? Ex quo ostenditur, vel Didymi, vel cuiuslibet alterius esse opusculum, qui sexti libri capite detruncato, cetera membra sociarit.* Ita ibi Hieronymus.

*Responsio ad 3. obiectionẽ.* Cui responderi potest & debet, tantum abesse, vt stulti sit, aut imprudentis, nedum impudentis, contradicere ei, quod hîc profertur, vt potiùs hominis sit perquam sapientis, & grauis, & considerati. Nam stultus quispiam, & leuis, & inconsideratus, istis Hieronymi verbis conterritus, de sua se moueri sententia facilè sineret, tametsi saniore, & ea, quæ dicuntur, ita se habere crederet, vt dicuntur, nec vltra requireret, neque plus examinaret. At ille grauis, & constans, & qui dubijs in rebus nouit amplius deferendum Rationi quàm vnius Auctoritati; diligenter ea, quæ dicuntur perpendendo, deprehendet tandem illa ipsa magis facere contra eum qui dicit, quàm contra eum, aduersus quem dicit. Demus enim librum Pamphili cõtinuisse principium libri sexti Eusebij, quid inde potest inferri aliud, quàm in alterutro istorum librorum incidisse erratum? Longè autem probabilius est, incidisse in librum sextum, qui post mortem S. Pamphili Martyris à solo Eusebio scriptus est, quàm in primum,

quem

quem tot suprà Græcorum Latinorumque testimonijs vindicauimus S. Pamphilo. Et sanè quisquis homo prudens & cordatus, totum illum S. Pamphili librum sedulò attentéque perlegerit ( exstat enim hodiéque in ipsis Hieronymi voluminibus, non sine magna Dei prouidentia reseruatus) clarissimè videbit, sic in illo concordare caput cum omni reliquo corpore, vt certò asseuerare possit non assumptum aliunde eius libri principium, sed inibi natum atque compositum. Adeo cohærent, aptéque respondent & prima medijs, & media vltimis, & inter se omnia. Nam de libro sexto Eusebij, quandoquidem is perierit, censere certò nihil possumus. Attamen ex illis quæ Hieronymus in loco proximè citato, de concordia morum Eusebij & Pamphili, & de diuersitate doctrinæ in duobus illis libris profert, dum dicit : *Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam*, &c. Ex illis, inquam, verbis, vt omittamus alia, hoc sumere possumus: Primò, librum illum qui attribuitur Pamphilo, esse bonum & defensorem fidei Nicænæ, quæ post mortem Pamphili edita est, siue eum librũ Pamphilus composuerit, siue Didymus, siue quilibet alius. Quamuis autem illum edidisset Didymus, haberet liber laudem à tãto Auctore, viro scilicet doctissimo, & Hieronymi atque Ruffini Magistro, quin & viro licet oculis corporeis cæco, habente tamen oculos Sponsæ de Cantico. Non esse tamen ab eo scriptum, vel inde colligi potest, quòd eius præcipuos id latuerit discipulos, Hieronymum ac Ruffinũ, quandoquidem Hieronymi fuerit leuis tantùm & connexa dubio coniectura; Ruffinus autem & plurimi Scriptores alij, tam Latini, quàm Græci, eum librum disertè S. Pamphilo adiudicent, & nullus Didymo, vnde & ipse Hieronymus post modò dicta sic continenter subiecit. *Sed cõcedamus ex superfluo, vt Pamphili sit, sed necdum Martyris. Antè enim scripsit, quàm Martyriũ perpeteretur*. Quę sine dubio propterea addit, quòd suspicaretur se persuadere non posse istam Apologiã alterius esse, quàm S. Pãphili martyris. *Liber apologeticus pro Origene non est Didymi.*

Secundò ex ijsdem verbis, dato & concesso difficile esse, duos homines inter se amicissimos, propter morum ingeniorúmque similitudinem, suis de re eadem discrepare sententijs; hoc potiùs quàm quiduis aliud colligere & sumere possumus, inde consequens esse, vt difficilius sit vnum eundémque illorum, propter omnimodam identitatem, à se ipso dissentire : ac proinde multo probabilius videri, duos libros plurimum inter se doctrina discordantes, duorum esse hominum, quàm vnius, atque ideo librum primum Apologiæ pro Origene, propter discordiam à sexto ( quem sextum omnes, ne vno excepto, attribuunt Eusebio ) non esse Eusebij, sed alterius, potissimè autem Pamphili, quandoquidem tam Græci, quàm, Latini, in hoc consentiant.

Obseruandum porrò est, non perstitisse Hieronymum in ea sententia, quam hîc posuit, librum scilicet primum Apologiæ potiùs esse Didymi aut alicuius alterius; sed in Apologijs suis contra Ruffinum prorsus tenuisse

nuisse atque inculcasse, nullius esse alterius, quàm Eusebij: & in prima quidem Apologia, supponens omnes sex libros Apologiæ pro Origene esse solius Eusebij (cuius tamen contrarium, initio huius quæstionis, euidenter probauimus) de primo libro ita quærit à Ruffino: *Si iste Pamphili liber est, de sex libris quis primus erit Eusebij?* Et rationem quærendi habet Hieronymus, propterea quòd solus Eusebius post mortem Pamphili sextum librum composuerit, & quasi coronidem toti operi imposuerit: vnde factum sit, vt omnes libri sex ei attribuerentur: quemadmodum in grandibus structuris seu palatiorum, seu templorum, seu vrbium accidere solet: vt cùm plures aliqua illorum operum membra, dum viuerent, singulatim absoluerint; ille totius operis præcipuè nomen ac laudem ferat, qui extremam illi manum imposuerit, omnémque molem consummârit. Neque tamen nihil fecisse dici debet, qui fundamenta iecit, neque qui ad tectum vsque perduxit, neque qui interna cum pauimento ornamenta procurauit. Ita igitur. Pamphilus Origenis defensionem primo libro istius operis aggressus est solus, secundum autem, & tertium, & quartum, & quintum librum vnà cum Eusebio (teste eodem Eusebio) perfecit. Eusebius verò sextum, eundémque vltimum, vt antè dixi, solus absoluit. Primus igitur Eusebij solius non est alius, quàm qui vltimus. Et de illo vnico videtur intelligendus Gelasius Papa, in decreto quod fecit de scripturis Apocryphis, cùm ait Eusebium, in excusationem Origenis, vnum scripsisse librum. Ille enim vltimus est illi proprius, non alij priores, quos ipsi duo iunctis fecerunt operis.

Quare ad illud Hieronymi, quod ibidem continenter Ruffino obijcit dicens: *In ipso volumine, quod tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est. In secundo quoque & reliquis dicit Eusebius, quid in primo iam antè dixerit, & quod eadem repetere non debeat*, ad illud, inquam, responderi potest Ruffinum non simulare, illud volumen esse Pamphili, sed asserere. Simulatur enim, quod non est; asseritur quod est. Sciebat autem Ruffinus reuera esse Pamphili, & ita passim ab omnibus teneri, ideo intrepidè asseruit. Quod autem dicit Hieronymus in illo primo volumine mentionem fieri sequentium, videtur eum fefellisse memoria. Nam in illo primo volumine, quod totum legi non semel, sed sæpius, nulla prorsus facta est librorum sequentium mentio: nec faciendi caussa fuit: cùm in eo plenè responderit S. Pamphilus præcipuis omnibus argumentis contra Origenem primò obiectis, & si qua postmodò obijcienda essent alia, ignorauerit: in libris autem posterioribus potuit Eusebius, aut potius iuxta nos Pamphilus facere priorum mentionem, vel ambo simul, quandoquidem in libris intermedijs ambo collaborauerint. Quod enim à duobus factum est, eorum vtrique potest, & solet attribui.

§. 4.

*Obiectio 4. & argumentū principale Hieronymi.* Sequitur ibidem apud Hieronymum contra S. Pamphili Apologiam obiectio quarta, & argumentum principale, quod est huiusmodi:

Euse-

*Eusebius Pamphili, idem & vitæ Pamphili scriptor, ait Pamphilum nihil omnino operis condidisse*: igitur falsum est, eum scripsisse Apologiam pro Origene. Quod argumentum non sine Ruffini irrisione sic tractat & amplificat.

*Pro eruditione*, inquit, *qua polles, & inclytus* συντάκτης *in Occidente laudaris, ita vt* κορυφαῖον *te omnes tuæ partis nominent, non reor, te ignorasse Eusebij* σύνταγμα, *& Pamphilum Martyrem nihil omnino operis condidisse.*

Quibus verbis indicare vult Hieronymus Eusebium scripsisse σύνταγμα siue codicem tribus libris comprehendentem vitam S. Pamphili Martyris, quo in codice scripserit eum nihil omnino operis condidisse, ac proinde nec librum Apologeticum pro Origene. Verùm neque tam nudè, neque tam crudè hoc dixit Eusebius. Quomodo igitur? nempe sic. *Et ipse quidem proprij operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos fortè mittebat.* In quibus sanè verbis est aliqua à prioribus diuersitas. Non enim absolutè dixit Eusebius, *nihil omnino operis eum condidisse*, sed *proprij operis*: nec hoc simpliciter, sed cum exceptione, dum adiecit: *exceptis epistolis*, &c.

*S. Pamphili vita tribus libris ab Eusebio conscripta est.*

*Responsio ad quartam obiectionem.*

At qui ille primus liber Apologiæ nihil est aliud, quàm epistola ad amicos scripta pro Origene, adductis ex eodem Origine contra ipsius aduersarios testimoniis. Quocirca labor ille conquirendorum atque in ordinem dirigendorum testimoniorum, est quidem opus aliquod, sed quod nō vocetur proprium, hoc est, ex vi ac facultate ingenij ac proprię eruditionis compositum, ita vt possit quispiam aliquod inde doctrinę nomen, laudemque consequi.

Et hoc ipsum est, quod in viro docto admiratur, magnique facit Eusebius, nempe Pamphilum insigni pollentem doctrina, nullum opus proprium (vnde non mediocrem sibi conquirere gloriā potuisset) condidisse. Propterea enim istud de illo subiecit epiphonema: *In tantum se humilitate deiecerat.* Verùm expedit, & præclara sanctissimi Martyris merita suo quodam iure exigunt, vt totus Eusebij locus, qui ad dilucidandam huius quæstionis veritatem haud parùm facit, & vnà quasdam nostri Martyris virtutes imitatione dignissimas complectitur, integrè hîc reponatur & quidem ex ipsius citatione atque latina interpretatione Hieronymi. Qui Hieronymus ad probandum, quod suprà posuit, nempe Pamphilum nihil omnino operis condidisse, sic subdit: *Ipse enim Eusebius amator & præco contubernalis Pamphili tres libros scripsit elegantissimos, vitam Pamphili continentes: in quibus cùm cetera miris laudibus prædicaret, humilitatémque eius ferret in cælum, etiam hoc in tertio libro addidit:*

*Hieronymi verba.*

*Eusebij verba.*

*Quis studiosorum, amicus non fuit Pamphili? Si quos videbat ad victum necessarijs indigere, præbebat largè quæ poterat: Scripturas quoque sanctas non ad legendum tantùm, sed & ad habendum tribuebat*

*S. Pamphili laus.*

 promptis-

*promptissimè: nec solum viris, sed & feminis, quas vidisset lectioni deditas. Vnde & multos codices præparabat vt cùm necessitas poposcisset, volentibus largiretur. Et ipse quidem proprij operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos fortè mittebat. In tantum se humilitate deiecerat.*

*Veterum autem tractatus Scriptorum legebat studiosissimè, & in eorum meditatione iugiter versabatur.* Hæc sunt è vita Pamphili, paucula Eusebij verba. Vtinam totos tres eius vitæ libros haberemus!

Post quę, & ex quibus à se conuersis ita subdit continenter Hieronymus: *Defensor Origenis*, inquit, *& laudator Pamphili dicit Pamphilum nihil omnino scripsisse, nec proprij quicquam condidisse sermonis, & hoc dicit iam Pamphilo Martyrio coronato, ne habeas suffugium post editos ab Eusebio libros hoc Pamphilum scripsisse.*

Quibus responderi potest Ruffinum nihil opus habere vllo suffugio, cùm ipsemet Hieronymus ostenderit aliter habere verba Eusebij, aliter sua. Nam ipse ita priùs sumpserat: *nihil omnino operis condidisse.* At Eusebius habet, *nihil proprij operis*, vt primò vertit ipse Hieronymus, aut, vt secundò, *nihil proprij sermonis.* Quæ mutatio ingerit mihi suspicionem græcè apud Eusebium fuisse μηδὲν ἰδίου λόγου, quod etiam verti posset, *nihil propriæ doctrinæ.*

Et Apologia Pamphili nihil habet proptiæ doctrinæ, sed totum alienæ: quandoquidem contra errores falsò obiectos Origeni, non modò doctrinam Origenis, sed & ipsamet eius verba perpetuò opponebat, non autem sua. De hoc autem quidquid sit, ista Hieronymi, postrema verba, quæ infert contra Ruffinum, cùm careant illa exceptione, quam adhibuit Eusebius, nihil efficiunt. Nam qui dixit illum scripsisse epistolas, dixit scripsisse
*Scriptores epistolarum censendi sũt inter scriptores.* aliquid proprij sermonis. Proptet hoc enim adiecit Eusebius *exceptis epistolis* &c. quod illæ scilicet sint proprij sermonis. Hinc & eos qui solùm scripserunt epistolas, recensuit ipse Hieronymus inter Scriprores Ecclesiasticos: nempe præter Apostolos, S. Ignatium, Theophorum Ecclesiæ Antiochenæ Episcopum, S. Polycarpum Smyrnensis, S. Pinytum Cnossiæ in Creta, & alios. Quare omnia quæ hoc nituntur fundamento, quod Pamphilus nihil proprij operis aut sermonis scripserit, eo ipso corruunt, quòd epistolas scripserit, & liber pro Origene Apologeticus, nihil sit aliud (quemadmodum aliàs dixi, & ante me quoque alij, nominatim autem ingeniosissimus ille Comes Mirandulæ, quem inter principes Origenis defensores proxima quæstione proferam) nihil, inquam, sit aliud, quàm epistola ad quosdam fratres nonnullis aduersus Origenem perculsos calumnijs responsoria.

*Nona obiectionis refutatio.* Quod autem dicitur eo libro, qui sub nomine Martyris editus est, vulneratas esse plurimorum conscientias, res ipsa & tempus ostenderunt, non vulneratas esse, sed sanatas. Omnes enim qui ab hominibus alie-

næ

cnæ inuidis gloriæ decepti malè de viro docto & orthodoxo sentiebant, meliùs ac veriùs sentire edocti, sunt. Nam clarè viderunt ea, quæ fidei contraria, Origeni obiecta erant, minimè illius esse. Quippe productis è S. Pamphilo ipsius verbis Origenis intellexerunt, quas putabant ipsissimas esse veritates, meras fuisse calumnias; & quam arbitrabantur certam scientiam, nihil exstitisse aliud, quàm crassam ignorantiam. Quod & post eundem Pamphilum ostenderunt, primò Magnus Athanasius in redargutione Arianorum, deinde Didymus ille videns, in explicatione περὶ ἀρχῶν, & postmodum alij in nouorum repulsione cauillatorum. Vnde admodum miror esse, qui dicat illam Pāphili Apologiam, quę solas in lucem producit veritates, pugnare cum Anastasij Papæ & Theophili Episcopi litteris. Verum vbi, quæso, habetur, aut vbi ostendi potest, Pontificem Anastasium, aut Theophilum Antistitem, dixisse librum Sancti Pamphili Martyris pro Origene scriptum, non esse Sancti Pamphili? Hoc est enim, quod hîc agitur; hoc est, quod in præsenti quæritur. Certè si Hieronymus, aut si quis alius sperasset ab illis posse, aut precibus quantiscũq; exprimi, aut quoquomodo impetrari, vt ipsi declararent librũ illum, seu epistolã Apologeticam, non esse S. Pamphili; haud dubium, quin ad hoc obtinendum, nulli nec labori nec impensæ prepercissent. Sed & hoc valde mirum, si illa quidem Apologia contra Pontificem Romanum, & contra Ægyptium Patriarcham pugnabat, illos suopte motu eam non condemnasse, non scripto denotasse, non verbulo saltem vno perstrinxisse. Sed & illud tertium multo magis mirum, quòd cùm nihil operosiùs, nihil ardentiùs contenderit Hieronymus, quàm vt probaret & euinceret, illum librum non esse S. Pamphili, nullus tamen nec ea tempestate, nec posterioribus ad hanc vsque ætatem nostram sæculis repertus sit, nec Græcorum, nec Latinorum, qui sese hac in re Hieronymo assentiri, vel assentando ostenderit. Nam cuncti Scriptores, & omnia huius Apologiæ exemplaria tam manu scripta, quàm prælo edita, non aliter eam inscripsere quàm S. Pamphili Martyris.

Solus hoc nostro æuo Marianus Victorius in nupera sua operum Hieronymi editione, tomo vltimo, ausus est (quod nullus antehac) mutare veram & antiquam inscriptionem, & supponere hanc falsam, & à se confictam: *Apologia Eusebij Cæsariensis pro Origene, Ruffino interprete, falsò antea Pamphilo Martyri adscripta.* Atqui debebat Marianus Victorius attendere atque reminisci, ne ipsum quidem Hieronymum constanter librum illum attribuisse Eusebio, sed semel iterúmque dixisse, ac probare conatum esse, potiùs esse Dydimi, aut cuiusuis alterius, quàm Eusebij aut Pamphili, hac scilicet allata ratione: quòd primus ille liber conformis esset Nicænæ Synodi, vt verè est, tametsi ante illam scriptus: reliqui autem libri sectam Arij, (vt quidem suspicatus est, quamuis haud rectè) redolerent.

*Marianus Victorius veram Apologiæ S. Pamphili inscriptionem peruertit.*

 Nos

Nos verò pro magis probabili ac propè certò tenemus, non modò primum librum sanam continere doctrinam, quod oculis ipsis cernimus, (exstat enim, vt antè dixi, & mihi plus semel & secundò lectus est) sed etiam omnes reliquos: & quòd certum sit Pamphilum, ipso teste Eusebio suprà, in illis collaborasse, excepto tantùm sexto: quem haud dubiè Eusebius, ne à Pamphilo & à se ipso dissideret, conformem ceteris composuit: præsertim cùm ante exortam hæresim Arianam eum conscripserit. Verùm de Eusebio & de recta eius doctrina, quam nonnulli perperam sugillarunt, alibi tractamus. De quo cum scripsero, quod mihi videtur, libenter audiam quid alij sentiant. Nam quos quidam putant in illo fuisse errores ostendam fuisse græcorum SS. Patrum, quos ipse studuit imitari, vulgatas opiniones, nec pro erroribus tunc habitas.

§. 5. Ex his porrò quæ in medium adduxi, facillimè solui possunt quæcunque alia quis habeat aduersus dictam Apologiam producere: nunc igitur ijs omissis, tria dumtaxat in hoc Sanctissimæ Trinitatis die sacro, quo hæc scribo, ad eius honorem adijciam, quibus hæc tota quæstio solidè firmetur, dignéque finiatur.

Primum erit, principalem vnam atque ineluctabilem proferre rationem, qua euidenter agnoscatur, quanto iustiùs dictę Apologiæ liber primus S. Pamphilo Martyri attribuatur, quàm Eusebio.

Secundum, nullam defendendi Origenis rectiorem ac tutiorem iniri viā potuisse eâ vnâ, quam idem inierit S. Pamphilus.

Tertium, sub nomine quorundam notabilium demonstrare, omnem illam S. Pamphili Apologiam nihil aliud redolere, quàm puram & sinceram antiquitatem, minimè verò hæresim.

Ad primum igitur vt accedamus, principalis illa & ineluctabilis ratio est hæc.

*Ratio principalis pro Pāphilo.* Cùm ex ipsius testificatione Eusebij satis constet Apologiam illam, cuius sunt sex libri, non ab eo solo, sed etiam à Pamphilo coniunctis amborum operis ac laboribus esse conscriptam (vt huius initio quæstionis monstrauimus) longè profectò credibiliùs est, cum è duobus ad propugnandum Origenem vehementiùs permotum fuisse, priúsque accessisse, qui illum & amauit ardentiùs, & diuulgari eius scripta appetiuit, procurauítque impensiùs; & qui insuper ad id præstandum plus otij & facultatis nactus sit.

Atqui is procul dubio fuit Pamphilus. Quippe vir nobilis & locuples & eruditus, & nullo, seu forensi, seu Ecclesiastico munere, nisi solius sacerdotij implicatus, cæterum homo sui iuris ac prorsus liber, otióque abundans, & (quod caput est) tam cupidus, amánsque Origenis, vt maximam eius voluminum partem manu sua descripserit.

Ex

Ex quo consequitur, eum in scriptis Origenis præ Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo in alijs rebus occupatissimo, & præ quouis alio, magis fuisse versatum: ac proinde eum librum, qui totus ferè ex solius Origenis testimonijs hinc inde conquisitis conflatus est, multo potiùs attribuendum illi esse, quàm Eusebio. Illum igitur cùm absoluisset, atque Eusebio velut alteri sibi ostendisset, isque approbasset: tum verò nouis, vt fit, subortis difficultatibus, eiusdem hortatu atque adiutu alios quatuor addidit, quibus postea Eusebius, illo demortuo sextum adiecit. Ita enim Photius (quo alius non extitit melior Scriptorum & stilorum internoscendorum censor) priores quinque libros Pamphilo adscribit (tametsi vtriusque fuerint; vnius ob cõpositionem, alterius ob inspectionem, & extremæ manus impositionem) Sextum Eusebio, de quo nullus dubitat.

Iam ad secundum vt seruatâ serie procedamus. Via quam iniit Pamphilus in defensione Origenis, & in calumniarum ab eo propulsatione, fuit hęc, vt collectis erroribus, qui in doctrina illi obijciebantur, ostenderet è certis & receptis ipsius Origenis tractatibus, illum prorsus docuisse contraria, & pro vno loco obscuro ab aduersarijs allato, multos ex aduerso reponeret lõgè clarissimos. Qua via nihil esse certius, hoc fiet exemplo perquam manifestũ. Demus enim quempiam criminari S. Hieronymum, & alicuius cõtra fidem erroris eum insimulare, atque ad hoc probandum, vno alteróue loco difficili atque perplexo abuti, quid ad eam refellendam atque exsufflãdã criminatiõnẽ afferri fortius potest, quàm è certis ac minimè dubijs eiusdẽ Hieronymi operibus, loci multi & clari, contrarium omnino ei quod obijcitur edocentes? Certe nihil. *Propositum secundum. Via defensionis, quam iniit Pamphilus, optima.*

Atqui hoc ipsum est, quod pro Origene in sua fecit Apologia noster beatus Martyr Pamphilus. Hoc est, quod hodiéque pro suo Aristotele faciunt Peripatetici, quod pro Platone Academici, quod pro Zenone Stoici. Hoc itidem ipsum est, quod in alijs disciplinis, pro suis Ducibus ac Magistris ipsorum præstant discipuli atque sectatores. Et de hoc satis.

Ad tertium denique ac postremum vt pergamus ac finiamus, Notabilia quædam è dicta S. Pamphili Apologia annotabo, in quibus declarabitur, quæ sint illa, quæ alicuius suspecta erroris videri nonnullis potuerint, & simul quæ vera illorum sit & ab omni hæreseos suspicione libera intelligẽtia: ac postremò quænam sint, propter quæ aliqui dubitare potuerint, an ea Apologia post Concilium Nicænum scripta non fuisset, ac proinde non à Pamphilo, qui ante illud ad cælum demigrauit, sed ab aliquo posteriore nobis ignoto. Hoc igitur agamus. *Propositum tertium.*

## *NOTABILIA QVÆDAM CIRCA SANCTI Pamphili Martyris Apologiam, ad ipsius corroborationem facientia.*

*Primum notabile.*

PRimum notabile est, Apologiæ auctorem quibusdam vti vocibus, quæ primùm in Nicæno Concilio credantur excogitatæ & vsurpatę: quales sunt hæ: ὁμούσιος & ὁμοούσιος id est, *eiusdem essentiæ*, aut (vt ferèloqui solet Augustinus) *eiusdem substantiæ*, aut (vt plurimi cõpositũ cõposito reddentes) *consubstantialis*. Inde autem, & simul è scriptis Hieronymi quodã loco subindicantis scriptam sibi videri eam Apologiam à Didymo Magistro suo, aut à quopiam altero post Concilium Nicęnum, inde, inquam, posset aliquis in eam fortè deduci opinionem, vt existimaret illam non posse scriptam esse à Pamphilo, qui ante Concilium Nicænum Martyr exstitit. Quo circa sciendum est auctorem Apologiæ nusquam nominasse Concilium Nicænum, nec eius vllam mentionem fecisse. Deinde illas græcas voces non demum illius tempore Concilij excogitatas aut vsurpatas esse, sed multò ante ab antiquoribus Patribus. Quod ipse Sanctus Athanasius in epistola *De Synodi Nicænæ decretis*, fatetur demonstratum esse ab Eusebio Cæsariensi in ipso Concilio Nicæno: & ipsemet Eusebius in sua ad Cæsarienses epistola (quæ græcè exstat apud Socratem lib. 1. capit. 5. hist. Ecclesiast. & apud B. Theodoretum. lib. 1. cap. 12. & apud Nicephorum Callistum lib. 8. cap. 22 sic scribit.

*Voces ὁμούσιος & ὁμοούσιος quàm antiquæ.*

Ἐπεὶ καὶ τῶν παλαιῶν, τινὰς λογίους καὶ ἐπιφανεῖς Ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας ἔγνωμεν ἐπὶ τῆς τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ θεολογίας τῷ τοῦ ὁμουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι. *Nam nonnullos veterum disertos atque illustres Episcopos & Scriptores in Patris ac Filij Diuinitate explicanda hoc consubstantialis nomine vsos fuisse cognouimus.*

Non nominauit quidem Eusebius illo loco antiquos illos Patres, partim Episcopos, partim Scriptores alios, apud quos vocem ὁμούσιος *eiusdem substantiæ* reperit, sed eosdem esse arbitror, apud quos ego eandem reperi (licet ille in alijs etiam libris fortè repererit) nempe apud S. Irenæũ ecclesiæ Lugdunensis in Gallia Episcopum & Martyrem, & apud Sanctum Iustinum philosophum & Martyrem, & apud ipsum Origenem presbyterum. Nam vt Eusebius plurimæ illo æuo lectionis fuit & doctrinæ, si quis alius: ita & illos omnes legit, ex quibus multa profert, & procul dubio multos alios. Apud Irenæum quidem reperi vocem illam ὁμούσιον lib. 1. aduersus hæreses cap. 1. bis, quam vetus interpres Irenæi semper latinè reddidit *eiusdem substantiæ*, & c. 5. semel. Exstant ipsa græca Irenæi apud Epiphanium hęresi 31. & inde produxit Feuardentius vir doctus & diligens in suam Irenæi accuratam editionem secundam. Apud Iustinum autem in responsionibus ad orthodoxos, siue illius sint, siue alterius apud illum antiqui scriptoris. Apud Orige-

*Feuardentius doctus & diligens Scriptor.*

Origenem denique in epistolam ad Hebræos ad illud: *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius*, c. 1. vers. 3. vbi similem profert locum è capite 7. libri sapientiæ, vers. 25 vbi de filio Dei seu sapientia æterna dicitur: *Vapor est quidam virtutis Dei, & emanatio quædam omnipotentis gloriæ sincera*. Græcè autem sic: Sap. 7. v. 25.

Ἀτμὶς γάρ ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής. E quibus verbis argumentatur Origenes filium esse Patri consubstantialem, eo quòd vapor consubstantialis sit ei, cuius est vapor. Græcè apud Origenem:

Ἀπόῤῥοια γὰρ ὁμοούσιος &c. *Emanatio enim eiusdem est substantiæ*, &c. Vbi & ipse Pamphilus verbis propriis dicta Origenis approbat, vsurpans etiam ipse vocem, *consubstantialis*.

Nihil igitur mirum videri debet, si Sanctus Pamphilus in apologia sua ante Concilium Nicænum scripta vsus sit vocabulis, quæ aliqui optimi Scriptores ante ipsum secundo ac tertio sæculo vsurpauerant.

Secundum notabile est, quòd in eadem Pamphili apologia locutiones quædam reperiantur, quę minus versatis in antiquis Patribus, nouæ videantur esse, atque erroris suspectæ: vt sunt illæ quibus dicitur Filius in creatione mundi ministrasse Patri, perinde quasi istis vocibus personatum significetur inæqualitas: cùm reuera nihil sit huiusmodi, & potiùs per istiusmodi locutiones Scriptoris colligatur antiquitas. *Secundum notabile.*

Duobus autem locis in dicta Pamphili apologia sic locutus reperitur Origenes.

Primo quidem sub initium apologiæ his verbis: *Tum deinde quòd Iesus Christus, qui venit ante omnem creaturam, natus ex Patre est: qui cùm in omnium conditione ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) nouissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus est, incarnatus est cùm Deus esset, & homo factus mansit quod Deus erat.* *Filius Dei quomodo dicatur ministrasse Patri.*

Reprobant ergo quidam ista verba: *Patri ministrasset*, verùm immeritò: quandoquidem ita locuti sint SS. PP. græci & latini, ante & post Concilium Nicænum, vt docui tomo 2. Illustrium Orientalis ecclesię Scriptorum, in documentis ad vitam Sancti Irenæi capite decimo nono, siue paginâ 519.

Verba Irenęi l. 4 aduersus hæreses, c. 17. loquentis de Patre & de Filio illi ministrante, nec de Filio tantum, sed etiam de Spiritu sancto, sunt hæc: *Ministrat enim ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua, id est, Filius & Spiritus sanctus, Verbum & Sapientia, quibus seruiunt & subiecti sunt omnes Angeli.* *S. Irenæi de ministerio filij & Spiritus Sancti auctoritas.*

Magnus quoque Hilarius Pictauorum Episcopus, illustris fidei confessor lib. XII. de Trinitate sub medium, actionem Filij cum Patre operantis vocat *ministerium*. Nam ex illo Prouerbiorum c. 8. *Cum eo eram cuncta componens, volens probare Filij æternitatem* sic scribit.: *Neque tum paratum* *S. Hilarij Pictauorum Episcopi.*

*est cælum*, inquit, *cùm præparatum est. Nam erat apud præparantem & discernentem: post verò componebat cum parante: æternitatem suam, cùm præparanti adest; & ministerium, quando cum parante componit, ostendens.*

Et in exemplo fidei ab Orientalibus contra Photinum hæreticum cõscriptę hic ponitur 27 anathematismus.

*Et iterum confirmantes Christianismi intellectum dicimus: Quoniam si quis Christum Deum filium Dei ante secula subsistentem & ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat: sed ex quo de Maria natus est, ex eo & Christum & filium nominatum esse, & initium accepisse vt sit Deus dicat, anathema sit.*

Hæc refert & approbat & explicat idem sanctus Hilarius in episto. ad Episcopos, de synodis aduersus Arianos.

Secundò post medium eiusdem apologiæ, titulo *Quòd vnicus sit Christus filius Dei*, citatur locus Origenis è libro 3. epistolæ ad Colossenses, qui est talis.

*Data est autem lex Moysi per Angelos in manu mediatoris Christi, & virtute qui cùm esset in principio Verbum, & apud Deum esset, & Deus esset Verbum, Patri in omnibus ministrauit. Omnia enim per ipsum facta sunt.*

Ioan.1.v.3. Sed in hoc, vti & in superiore loco, post verbum *ministrandi* subijcitur ratio, quæ explicat quale sit ministerium, nempe diuinum, non autem Angelicum, nec humanum, & tale ministerium quale non dedeceat filium, & quale significauit Ioannes Euangelista dicendo: *Omnia per ipsum facta sunt.*

Iren. l. 4. cap. 17. Quod ministerium sanctus Irenæus vocat *copiosum & inenarrabile*: quale scilicet est manuum ad corpus. Nam idem Irenæus lib. 4 Filium & Spiritum sanctum vocat *manus Dei Patris*, dum in præfatione sic scribit: *Homo autem est temperatio animæ & carnis, qui secundum similitudinem Dei formatus est, & per manus eius plasmatus, hoc est, per Filium & Spiritum sanctum, quibus & dixit: Faciamus hominem.* Ita Irenæus, qui certè non minus aptè Filium & Spiritum sanctum vocauit *manus Patris*, quàm Ecclesia Filium appellauit *Dexteram Dei*, & Spiritum sanctum nominauit, *Digitum dexteræ Dei*, in illo hymno celebratissimo: *Veni creator Spiritus*. In quo etiam dicitur: *Dextræ Dei tu digitus*. Sic & sanctus Athanasius in decretis Nicenę synodi aduersus Arianos ante medium, dicit omnia creata esse vnius Dei vtentis Verbo, tanquam manu. Ἑνὸς εἰσὶ Θεοῦ, ὡς χειρὶ χρωμένου τῷ ἰδίῳ λόγῳ, καὶ ἐν αὐτῷ ποιοῦντος τὰ πάντα. *Vnius sunt Dei*, inquit, *verbo suo quasi manu propria vtentis, & in eo omnia facientis*. Sic ille. Vnde quidam Filium vocarunt *organum* seu *instrumentum Patris*, sed instrumentum viuum, qualis est manus. Quod & vox ipsa *vtendi* confirmat. Dicimur enim vti instrumentis. Eodem libro infrà: *Etenim Filius Dei*, inquit, *vt ex ipsis Scripturis patet, ipse est Dei Verbum, & sapientia, & imago, & manus, & virtus.* Paullo autem inferiùs negat esse ὄργανον ἑτεροφυὲς καὶ ἑτερούσιον, *instrumentũ alterius naturæ & essentiæ*, per hoc innuens vocari posse ὄργανον ὁμοούσιον

Filius & Spiritus sanctus vocatur manus Patris.

S. Athanasij magni auctoritas.

ὁμόουσιον instrumētū consubstātiale. Denique quod nec Irenęus, nec Origenes, nec Pamphilus per eiusmodi locutiones aliquam designare voluerint personarum inæqualitatem, sicut neque Ecclesia in hymno iam allato, per se manifestum est. Et de Origene quidem videri possunt documenta, quæ vitæ eius subiunxi, vbi titulo *Trinitas* locos minimùm sedecim claros ac minimè dubios, ad ostēdendā eius de sanctissima Trinitate rectam fidem, congessi.

Tertium notabile est de origine animarum, & de natura corporum cælestium, solis, lunæ, & omnium siderum, ea tenuisse Origenem & Pamphilum, quæ si quis hodie teneret, notaretur erroris. Nam tenuerunt tanquā probabile, animas creatas fuisse ante corpora: & stellas cælestes esse ratione prędítas. Sciendum proinde est, de vtrisque nihil tum fuisse ab Ecclesia definitum, ac propterea licuisse sine erroris nota arbitrari vnumquemque, quod veritati propiùs atque affiniùs iudicaret. *Tertiū notabile. De origine animarum.*

Hinc sanctus Philastrius Brixiēsis Episcopus (cuius memoria 18. Iulij piè colitur) adeo existimauit animas creatas esse ante corpora, vt pro hæresi habuerit (quamuis non rectè) opinionem contrariam. Neque tamen falsa illa existimatio quicquam eius obfuit sanctitati. Antiquior autem is fuit Augustino, & generosè obstitit Arianis. *S. Philastrij de animarū creatione ante corpora opinio.*

Quo circa minimæ fraudi esse debet sancto Pāphilo, quod aliter sua tenuerit ætate, quàm nunc teneatur: neque quod dixerit licere absque hæresi dubitare, tam vtrum luminaria cælestia, sint animata, quàm de initio atque origine animarum. *Sicut enim de luminaribus cæli*, inquit, *diuersa singuli, etiam ipsi qui sunt in ecclesijs sentiunt: alijs siquidem opinantibus, quòd irrationabilia sint, immo verò quòd non solùm vera anima, sed omni sensu penitus careant, & sola sine sensu ac spiritu sint corpora: nemo tamen meritò alterum eorum qui ita sentiunt, hæreticum dixerit: propterea quòd non ita apertè de his traditum est in Apostolica prædicatione: ita etiam eos qui de humana anima dubitant, & de initio eius vel origine diuersa opinantur, non est rectum hæreticos pronuntiare: maximè cùm in reliquis ecclesiasticæ doctrinæ regulis, quod rectum est & catholicum, teneant.* *An luminaria cælestia sint animata.*

Ista Sanctus Pamphilus: quæ omnia pro illo æuo verè ac rectè dicta sunt. Nam & sanctus Augustinus vno post sæculo, de vtraque illa quæstione dubitauit. Et sanctus Gregorius Papa de animarum origine duobus post Augustinum sæculis non dubitauit modò, sed etiam certò sciri non posse asseuerauit, & scripsit. *S. Augustini opinio. S. Gregorij magni Papæ.*

*De origine*, inquit, *animæ inter SS. Patres requisitio non parua versata est: sed vtrum ipsa ab Adamo descenderit, an singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi.*

Ita Gregorius magnus lib. 7. Registri, indictione 2. epistola 54. Secundiano seruo Dei incluso.

Au-

Auguſtini autem verba ſuper eadem re ſi quis requirat, reperiet libro 10. de Geneſi ad litteram c. 3. & ſeqq. & quidem capite 10. dicit hanc de origine animæ difficultatem non poſſe ſolui è ſacra Scriptura: capite autem 23 dicit eam ſententiam, quæ tenet animas ex parentibus creari, præponderare alteri, ſiue probabilius eſſe animas ſimul cum corporibus progigni à parentibus, quàm à Deo ſolo ſingulas de nouo procreari. Vide eundem Auguſtinum epiſt. 28. Hieronymo, & epiſt. 99. Euodio, & epiſt. 157. Optato Epiſcopo, & epiſt 260. Oceano, in qua dicit ſe ſcire quidem, quid ſentiat Hieronymus, ſed deſiderare ab illo ſolutionem difficultatis, quæ occurrit contra eius ſententiam; Hieronymus autem nunquam reſcripſit ſolutionem eius difficultatis, cauſſatus ſibi deeſſe otium. Hinc ipſius ſententiæ non aſſenſit Auguſtinus, ſed maluit cautè dubitare, quàm temere in alterutram partem diſcedere, vti videre eſt in libro 2. retractationum eius, cap. 45.

*S. Hieronymi dilatio reſolutionis de Origine animarum.*

De cæli quoque luminaribus ſole, luna, &c. non minùs dubitauit Auguſtinus, quàm ſanctus Pamphilus, vt liquet ex eius verbis in Enchiridio ad Laurentium cap. 58. vbi agens de beata Angelorum in cælo ſocietate, ambigit an eiuſdem beatitudinis capaces non ſint ſol & luna & omnia ſidera? *Sed nec illud quidem*, inquit, *certum habeo, vtrum ad eandem ſocietatem pertineant ſol & luna & cuncta ſidera: quamuis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu vel intelligentia videantur.* Sic ille, nec retractauit.

*S. Auguſtini verba.*

Dum autem dicit ſe certum non habere, innuit ſe pro admodum probabili tenere ſolem & lunam & ſidera, non modo intellectu eſſe prædita, ſed etiam ſocietatis Angelorum & beatitudinis in cælo capacia: & dum ſubijcit: *quamuis nonnullis*, videtur tacitè indicare alteram ſententiam eſſe communiorem.

E quibus ſequitur propter eas opiniones ac dubitationes Apologiam Pamphili minimè cenſendam eſſe hæreticam.

*Quartum notabile.*

*Lib. 1. de de principijs cap. 3.*

*Origenis verba perperam à nonnullis interpretata.*

Quartum notabile in eadem apologia eſt in titulo: *Quòd coæqualis ſit Trinitas* ex lib. 1 *De principijs*, vbi videtur admittere Pamphilus verba illa Origenis: *Arbitror ergo operationem quidem eſſe Patris & Filij tam in ſanctis, quàm in peccatoribus, in hominibus rationabilibus, & in mutis animalibus: ſed & in his quæ ſine anima ſunt, & in omnibus omnino quæ ſunt: operationem verò Spiritus ſancti nequaquam prorſus accidere vel in ea, quæ ſine anima ſunt, vel in ea quæ animantia quidem, ſed muta ſunt*, &c.

In quibus quidem prima fronte videtur contrahi poteſtas Spiritus ſancti præ poteſtate Patris & Filij: ſed reuera nihil aliud voluit, quàm proprias ſingulis perſonis attribuere actiones ſiue proprietates, non verò vllam deſignare inæqualitatem, cùm è contrario totus in eo ſit, vt æqualitatem commonſtret.

*Eadem explicata.*

Vnde & idem ſubijcit: *Sanè*, inquit, *ne quis exiſtimet nos ex eo, quod diximus Spiritum ſanctum ſolis ſanctis præſtari, Patris verò & Filij beneficia vel inoperationes peruenire ad bonos & malos; iuſtos & iniuſtos; prætu-*

*liſſe*

*lisse per hoc Patri & Filio Spiritum Sanctum, vel maiorem eius per hoc asserere dignitatem ( quod vtique valde in consequens est ) proprietatem dumtaxat gratiæ eius operisque descripsimus*: quasi dicat, tantùm dicimus Spiritui sancto, velut proprium opus, attribui sanctificationem & donationem gratiæ: quæ gratia in solis iustis reperitur. Vnde consequenter ibidem subdit Origenes: *Porrò autem nihil in Trinitate maius minusue dicendum est: quum vnius diuinitatis fons Verbo ac Ratione sua teneat vniuersa: Spiritu verò oris sui, quæ digna sunt sanctificatione sanctificet.*

Hęc porrò sunt omnia, quæ in sancti Pamphili Apologia deprehendi nonnullam aliquibus dare ansam potuisse suspicandi, eam ab aliquo hæretico esse scriptam: cùm reuera nihil sit, quod non & ab aliis maximè catholicis & viris sanctissimis, pro vero aut probabili receptum sit. *Conclusio totius primæ quæstionis.*

Maneat igitur Apologiam Pamphili pro Origene verè esse Pamphili: quemadmodum & sub nomine eius ad hanc vsque tempestatem ( excepta Mariani Victorij, qui mutare ausus est, nupera editione ) semper prodijt. Maneat etiam eandem Apologiam nihil in se continere, quamobrem dicatur esse Auctoris hæretici. Maneat denique palam fieri ex eadem Apologia, quinam errores ætate sancti Pamphili, siue ante Nicænum Concilium obiecti fuerint Origeni, & quomodo ipsemet Pamphilus ex ipsomet Origene conuicerit non esse Origenis. Nouem enim criminationes aduersus Origenem recensuit, quas aduersarij eius vndique & pręsertim è libris *De Principijs* collegerant: quibus omnibus ex ordine respondet ac satisfacit, non suis tamen, sed ipsiusmet Origenis verbis. Ego quidem diuinæ attribuo prouidentiæ, quòd eius quoque libri defensioni, qui maximè oppugnatur, libri, inquam, *de principijs* optimum ac potentissimum suscitarit defensorem sanctum Pamphilum Martyrem, qui Origenem in Ecclesiæ Catholicę gremio defunctum, & in vrbe Tyro honorificè sepultum, non aliunde quàm ex ipsiusmet scriptis defenderit, atque illud dignum se axioma verissimè protulerit: *Apud homines iudices nihil plus valere debere pro defuncto, quàm litteras & scripta defuncti.*

# QVÆSTIO II.

## *QVINAM ALII CVM PAMPHILO, ET post Pamphilum, fuerint Origenis defensores?*

PRIMO *Eusebius Pamphili*, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, vnà cum S. Pamphilo scripsit Apologiam, vt suprà dictum est. *Eusebius Pamphili.*

Secundò, *sub idem tempus plurimi alij præclari viri Apologias pro Origene conscripserunt.*

Hoc

*Alij plurimi Græcorũ eodem tempore.*

Hoc est enim quod Photius in bibliotheca codice 118. ita græcè expressit: Καὶ ἄλλοι δὲ πλεῖστοι κατ' ἐκεῖνο καιροῦ καὶ ἀξιολογώτατοι ἀπολογίας ὑπὲρ αὐτοῦ συνετάξαντο.

*Ruffinus Presbyter.*

Tertiò *Ruffinus Presbyter* librum scripsit de adulteratione librorum Origenis, qui instar habet Apologiæ, & ad Sancti Pamphili imitationem probat ex ipso Origene, libros eius etiam tum superstitis & reclamantis cœptos esse corrumpi. Ipsam enim de hac re Origenis epistolam profert.

*Ioannes Picus Mirandulæ Comes.*

Quartò *Ioannes Picus Mirandulæ Comes, vir ingenio & doctrina* (vt Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis loquitur) *pro ætate maximus*, Apologiam pro Origene scripsit, & illam Pamphilo vindicauit.

*Iacobus Merlinus S Theologiæ professor.*

Quintò, *Iacobus Merlinus Victurniensis*, olim sacræ Theologiæ in regali Nauarræ collegio Parisijs Professor, vir egregiè doctus, qui primus aut inter primos opera Origenis mandanda typis curauit, & contra eius hostes Apologiam adornauit, quam eiusdem collegij Patribus examinandam & approbandam obtulit: qui & approbarunt. Sed iuuat illius pro Origene & veritate contra aduersarios animosi atque insignis zeli specimen proponere. In sua igitur ad doctos Patres nuncupatoria epistola, post aliquantas Origenis germanas laudes, contra librorum eius corruptores meritò indignabundus: *Viderunt sanè puteos*, inquit, *quos in Scripturæ agro Origenes foderat, & protinus fœtentia errorum cadauera in eos mittere non erubuerunt: viderunt sanctuarium, quod manus Origenis effinxerat: & ipsum perfodere manu sacrilega præsumpserunt: viderunt optima doctrinæ semina, quæ dum noster senex vitam ageret, in Christi agrum sparserat: & liuido pectore, dum in Domino dormit, sordenti zizaniâ deprauantes eneruarunt.*

*Iusta in corruptores libr. Origenis indignatio.*

Et infrà: *Cuius causam agens*, inquit, *vobis Reuerendi Patres hanc nostram pro Origene Apologiam explorandam affero, similem ei, quàm olim Iosue & Caleb de terra promissionis plebis Israiliticæ retulerunt, sententiam expetens, & à vobis expectans, vt cesset superueniente agnitionis aurora, certamen malignorum spirituum contra nostrum Iacob, Origenem dico, pro quo tria probabiliter asserenda censui: inprimis quòd sanctè vixerit: secundò quòd rectè scripserit: tertiò quòd innocenter vitam hanc concluserit.* Hæc ille:

*Apologia Merlini punctatria.*

Quæ tria consequenter doctè probat & ordinatè. Quamobrem ille Iosue fuerit, ego Caleb. Nam & ego exploraui terram, & valde bona est: & qui de illa detrahunt, eius frui bonis non merentur. Porrò eadem tria, quæ Merlinus pertractauit, etiam ego pertractaui, primum quidem & vltimum in tota quam conscripsi Origenis vita: medium autem, quod scilicet bene scripserit, partim in Documentis ex ipso Origine desumptis, partim in argumentorum aduersæ partis quàm potui diligentissima refutatione.

Sextò, Sixtus Senensis, insigne profectò Ordinis Prædicatorũ lumen, libro

bro 4. suæ bibliothecæ sanctę totus pro Origene est, & Apologiam Pamphili nomine celebratam minimè dubitat esse Pamphili. Nemo autem ad hoc vsque tempus ab Hieronymo (cuius catalogus librorum Origenis interijt) neque fideliùs, neque accuratiùs catalogum eorundem Origenis librorum contexuit, quàm idem Sixtus: qui & verum iudicium de adulteratione scriptorum ipsius perscripsit his verbis: *Ceterum, quamquam talis tantusque esset Origenes: grauem tamen laborum suorum iacturam passus est fraude ac vitio hæreticorum, qui omnia eius opera innumeris hæresibus contaminarunt, vt sub prætextu ac fauore nominis Origenici, impias cogitationes suas faciliùs persuaderent, & cariùs venderent. Quam hæreticorum adulterationem multi vel non animaduertêtes, vel auctoris crimen id esse magis, quàm hæreticorum deprauationem credentes, Origenem cum operibus suis inter hæreticos reiecerunt.* Sic ipse. Atque hæc ita esse ipsa veritas clara luce se demonstrans, pòst ostendet.

*Sixtus Senensis in bibliotheca sancta.*

*Eiusdē iudici ū de adulteratione librorum Origenis.*

Septimò, *Gilbertus Genebrardus* (qui hoc fuit in Gallia, quod Sixtus Senensis in Italia, si non amplius) is quoque post multam Origenis lectionem & considerationem, longè alia in eo reperiens, quàm eius osores criminabantur, ipsius defensionem suscepit, opera edidit, malè à nonnullis interpretata correxit, dubia indicauit à quibus cauēdū admonuit. Atque, vt sciatur, qualis & quantus vir fuerit, & quanti iudiciū eius hac in re faciendū sit, lubet hîc eas attexere veras laudes, quas illi Antonius Posseuinus in Apparatu sacro attribuit non indebitas: *Monachus*, inquit, *fuit Ordinis sancti Benedicti, Congregationis Cluniacensis (professus est enim Monasticen in Monasterio dicto Mausac, non procul Ritomaro gallicè Rion) oppido Aruerniæ, Theologus Parisiensis, & Hebraicarū litterarū in eadē Academia plures annos Professor Regius, vir nostri sæculi doctissimus, & hæreticorum expugnator acerrimus, qui cùm sapientiæ & zeli sui specimen insigne dedisset, creatus est Aquensis Archiepiscopus: quo in munere multa perpessus, ac denique mortuus est. Scripsit autem eruditos libros, quorum alij didactici, alij mixti, alij fuere hebraico-latini*, &c. Quorum omnium longus ibi catalogus cerni potest.

*Gilbertus Genebrardus plurimæ vir eruditionis ex ordine S. Benedicti.*

*Eiusdem Genebrardi dignitas & vera laudes.*

Octauò, *Thomas de Trugillo è Dominicana familia* sacræ Theologiæ Doctor, l. 1. Thesauri, c. 3. vbi post multam Origenis laudem ac defensionem. *Ego certè, inquit, nullis vnquam verbis tibi explicare valerem, quantùm hic vir grauissimus Scripturam illustrarit, nec quantum sis ex ea commodū relaturus, si eius lectioni omni animi & corporis impetu incubueris.* Sic ille.

*Thomas de Trugillo S. Theologiæ Doctor Dominicanus.*

Hi ergò omnes à nobis sunt, & Origenem sedulò peruoluerunt, & rem accuratè examinarunt. Contra nos autem hi fere soli sunt, qui sine diligenti examine, alij alijs crediderunt: quorum multi postea, vel auditis vel lectis ijs quæ scripsi, manus mihi dederunt. Plurimi enim sunt, qui quamuis aliter imbuti; tamen ex affectu christianæ pietatis gaudent tantum virum in numero potiùs censeri Catholicorū Doctorū, quàm hæ-

hæreticorũ Auctorum. Et scio multos quoque è meis fratribus bona de illo iecisse semina veritatis: sed aliquos vno, alios altero argumento, cuius non reperiebant solutionem, in læuam à multitudine pertractos deflexisse partem, cùm ire maluissent in alteram, si viam inuenissent. Eam igitur nunc commonstro. Quare hoc stabilito fundamento, quòd sanctus Pamphilus Martyr à nostris stet partibus, ac pugnet pro Origene, & vnà cum illo eiusdem ætatis quàm plurimi, & simul pręcipuorum è latinis Scriptorum pręceptor, ille inquã, à clarissima mentis acie (licet alioqui corporeis captus oculis) *Videns* cognominatus, Didymus, & post illum permulti quoque alij, atque hi nominatim quos modò laudaui, non minùs pietate quàm eruditione clarissimi, iam nunc Deo suppliciter inuocato: & adspirante, vt confido, amicissima Veritate, ad eorum quæ Origeni obiecta sunt repulsionem accingar.

---

# QVÆSTIO III.

## *QVÆNAM ADVERSVS ORIGENEM obiecta sint?*

OBIECTA in Origenem in duplici sunt genere. Aliqua enim vitam, alia doctrinam tangunt.

Contra vitam obiecta sunt quatuor.

Primum, voluntaria sui ipsius exsectio siue castratio.

Secundum, Habitæ in ecclesia à non sacerdote coram Episcopis & Sacerdotibus homiliæ.

Tertium, Sacerdotij ab alio, quàm à proprio Episcopo post castrationem susceptio.

Quartum, facta Idolis immolatio.

## *CONTRA DOCTRINAM HI PRÆCIPVE errores obiecti sunt:*

Errores:
- Contra SS. Trinitatem.
- Contra Domini Incarnationem.
- De animæ Origene & statu.
- De Resurrectione.
- De pœnis æternis.

De quibus generatim hìc indicatis, postea speciatim ac diuisim agetur.

RES-

## RESPONSIONES AD EA, QVÆ *obiecta sunt Origeni circa vitam.*

§. 1.

AD primum quidem de sui exsectione fatemur factum, sed innocenter & inculpatè, propter insuperabilem mali delitescentis ignorationem fructuosè autem ac meritoriè propter rei magnitudinem ac difficultatem, solius Dei respectu, & regni cœlorum caussâ susceptum. *Castratio Origenis, culpæ omnis expers.*

Prior pars probatur: quia si in illo facto vel minimum inhærere culpæ cognosceret, vt vitæ erat integerrimæ, nequaquam sanè commissurus fuisset.

Quòd perquam manifestum fit ex ipsius facti adiunctis atque circumstantiis. Erat enim Origenes cùm id aggressus est, admodum iuuenis, annos scilicet vixdum vigenti duos natus: erat vitæ innocentia prorsus singulari: erat imitandæ ad amusim Christi vitæ perquam cupidus erat subeundi pro pro illo martyrij mirè ardens. Deinde flagrabat illa tempestate aduersus Christianos dira persecutio, in qua suæ specimen charitatis erga martyres eximium præbuerat, aliquam verò vel timoris tormentorum, vel leuissimæ in omni vita sua noxę speciem vmbrámue, nullam omnino Adde quòd omnia Domini IESV CHRISTI non præcepta solùm, sed & consilia in Euangelicis expressa tabulis sic adamabat, sic amplexabatur; vt nihil esset, neque in Exacta paupertate ac nuditate, neque in purissima atque Angelica castitate, neque in principe ac regina virtutum charitate, tam arduum ac difficile, quod inuicta non appeteret animo, & cum facultas daretur, perficeret. Hinc enim accidit, vt ex illa Domini verba de triplicibus eunuchis cùm audisset: *Sunt eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Illa inquam, cùm legisset vel audisset, sperans se capere cum Dei gratia posse, quod sic commendabatur, & à Deo quidem ipso, & cum tanti promissione præmij, exarsit subitò tantæ rei aggrediendæ cupidine, contemptisque & doloribus & periculis, zelo Dei cocitante aggressus est, ac perfecit: Quod non facturus profectó fuisset, si quid in eo inesse mali suspicatus esset, aut si à regno cælorum retardare potiùs, quàm promouere, vel tenuissima cogitatio animum subisset. *Vitæ Origenis puritas & innocẽtia.* *Eunuchorũ tria sunt genera.* *Matthæi 19. v. 12.*

Quis enim tam stultus sit ac vecors, vt grauissimos & acutissimos corporis dolores, cum haud paruo vitæ periculo coniunctos, non modò nulla spe lucri nec laudis; sed etiam cum exspectatione damni atque opprobrij volens suscipiat? Nihil igitur eo in facto vidit

*Zeli boni vis & efficacia.*

mali: atque vt non videret, effecit, Hieronymo suffragante, Dei zelus. Hic autem zelus hoc habet propriũ, vt tam aciem mentis, quã sensus ipsos corporis à quauis alia re abstractos in hoc vnum dirigat, intendátq; quod vnicè ac singulariter quispiam amat ac prosequitur: nec rarò quidẽ vsque eò, vt pręsentes etiam atque in oculis positos non videat, & se alloquentes, tametsi proximos, non audiat: persæpe item, vt cuncta sibi possibilia esse & licita ( quamuis alias prohibita & impossibilia ) præ feruenti amore cordis arbitretur. Hinc non paucæ Virgines id, quod aliàs non licebat, aggressæ sunt, & tuendæ æstu castimoniæ, quædam in mare, quædam in fluuios, nonnullæ in puteos se immisere, submergendas aquis potiùs, quàm violandas, impetu quidem inconsiderato, sed sancto. E quibus sancta Apollonia sacris in ecclesia honoribus colitur, quæ non exspectato, satellitum ministerio in ignem sponte insiluit. Vnde tam hæc, quàm aliæ ab omni culpæ vitijque nota cunctis sapientum virorum punctis atque suffragijs absolutæ sũt, & sanctioribus quoque tabulis, ad venerationem inscriptæ, ac titulo martyrum honoratæ.

*S. Apolloniæ in ignem vltro se immittẽtis virtus laudatur.*

Denique hic est SS. Patrum ac Theologorum sensus atque doctrina communior, etiam in actibus intrinsecè malis, sic omnem turpitudinem specie finis honesti posse obtegi, vt nullo modo ab operante queat animaduerti, ac proinde nec esse voluntaria, ac consequẽter nec esse peccatum: quandoquidem vbi deſit voluntarium, ibi deſit & peccatum. Quod ex lege naturæ tam euidens est, vt dixerit Augustinus, libro de duabus animabus contra Manichęos capite vndecimo: *Peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se diuinitus conscriptum legit.* Hoc est, naturæ id à Deo impressum est, quidquid voluntarium non sit; nec esse peccatum. Sic igitur sentio & dico, si quid in illa Origenis castratione fuit vitiosi, id totum illa specie honesti, quod propter regnum cælorum ea fieret actio, & præclara ac difficilis ab ipso Christo prædicari crederetur, immo & suaderi, sic obtectum & occultatum fuisse, vt ab illo ex impetu zeli glorię Dei operante non quiuerit animaduerti: ac proinde nec voluntarium, nec peccaminosum, vt sic loquar, reputari.

*S. Augustini dictum de peccato inuoluntario.*

Desinant igitur Origenis aduersarij probro illi vertere, quod multis in re quàm simillima attributum est laudi. Nam etsi aut corpus mutilare, aut membrum exsecare natura sua malum sit; qui tamen, ex alicuius virtutis zelo propter Deum id fecerũt, non modò non vituperati sunt, sed etiam à viris magnis dilaudati, & sacris ab ecclesia honoribus cumulati. Certè laudatur à sancto Hieronymo adolescens ille, qui propriam linguam dentibus suis præcisam in faciem meretricis ad voluptatem prouocantis exspuit. Commendatur à Ioanne Euirato, in prato spirituali virgo adolescentula, quæ oculos sibi, quos iuuenis procus deperibat, intrepidè eruit, atque illi amoris remedium ex vulnere suo confecit. Prædicatur in Palladij Lausiacâ, Ammonius, qui profundæ instinctu humilitatis, ne crearetur

*In vita S. Paulli Eremitæ.*

*Pratũ Spi. c. 60.*

*Palladius in hist. Lausiaca.*

*Socrates. l. 4. c. 22. Nicephorus l. 11. c. 37.*

Episcopus

Episcopus, aurem sibi amputauit. Quâ tamen amputatâ non destitit Timotheus Patriarcha Antiochenus, vir sanctissimus, à proposito eum consecrandi, sed eum ad se adduci, quamuis iam mutilum, imperauit. Nam sibi referentibus dixisse Ammonium, non licere per leges sacras homines mutilos consecrare, ac proinde nihil sibi in posterum negotij facessendum esse, respondit: *Regantur Iudæi istis legibus, mihi quidem si vel naso truncum adduxeritis, dummodo dignum, probúmque moribus, eum consecrabo.* Igitur denuo reuersi hortabantur illum, vt tanti Pontificis acquiesceret voluntati: ipse verò constanter renuit, & vim parantibus adiecit sese, nisi desisterent, linguam quoque resecturum, quod iureiurando cùm affirmasset, vrgere destiterunt. Existimauit igitur Timotheus vnà cum Ægypti Episcopis sanctum Ammonium, tametsi à semetipso mutilatum, posse Episcopū consecrari. Quin & consecratū fuisse memorauit Baronius tomo 4. annalium, Siricij Papæ anno 1. vbi ita scripsit: *Huius Timothei, cùm Ammonem sanctissimum Monachum ob auriculæ spontaneam mutilationem effectum irregularem, nihilominus Episcopum ordinauit, sententia hæc fuit: A Iudæis lex ista seruatur: ego si duxeritis aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum, non eū dubitabo Episcopū facere.* Sic ibi Baronius, qui in duobus videtur vacillasse memoria, dum scilicet Ammonem posuit pro Ammonio, cùm tamen diuersi sint, & de vtroque agant Palladius, Socrates, Nicephorus: & cùm dixit fuisse ordinatum Episcopum, cuius contrarium ex iisdem liquet Auctoribus. Iam autem si vitio non vertitur Timotheo, quòd Ammonium aure truncum consecrare voluerit Episcopum, certè nec sancto Alexandro Hierosolymorum, nec Theoctisto Cæsareæ, Episcopis, quòd Origenem meliore zelo exsectum sacerdotem ordinarint, vitio vertendum est. Neque item ipsi Origeni, quod permiserit. Fuit autem Timotheus ille (quia hoc ad rem non parum facit) vir egregiè doctus & probus, quemadmodum epistola eius canonica, & rescriptum Theodosij Imp. ad Optatum Præfectū Augustalem Ægypti, de ecclesiastico iure illibatè seruādo testatur. In quo rescripto sic inter alia: *Quare laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato, quidquid negotiorum aliunde inciderit, terminabit; habituro pontificium sacræ disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam iudicio suo prætulere. Est enim vir cùm omnium sacerdotum susceptione venerandus, tum etiam nostro iudicio approbatus.*

*Timothei Patriarchæ Antiocheni dictum memorabile.*

*Timothei Patriarchæ Alexandrini laus.*

Ex quibus, & ex ante dictis facilè datur intelligi, minimè recipi posse id, quod aduersus Origenem ita scripsit Baronius, loco suprà citato: *Nam quòd illud à se fecisset, & non ab alio inuitus passus esset, lex diuina & ecclesiasticæ regulæ omnino repellebant à suscipiendis, vel etiam à susceptis ordinibus: sicut postea accidit Leontio cuidam, quem Socrates ait depositum à Presbyteratu fuisse, quòd seipsum abscidisset, quémque ea de causa nec laica quidem communione dignum fuisse Athanasius asserit.* Hoc totum, inquam, quod ibi scribit Baronius, minimè recipiendum est.

*Baronij verba tom. 2. anno Christi 230.*

Nec enim legem diuinam ignorabat Timotheus, nec leges Ecclesiasticas nesciebat, sed neutras sibi aduersari satis cognoscebat. Nam quod pro lege diuina adfertur: *Lege Moysi cautum esse, ne intraret eunuchus Ecclesiam Dei*: refutatum est à Timothæo suprà illis verbis: *A Iudæis lex ista seruatur*. Quasi diceret, à Christianis nec seruatur, nec seruanda est. Nam omnes eiusmodi leges morte Christi abolitæ: alioqui & circumcisio seruanda est.

*Deuter. 23. v. 1.*

*Canones sub nomine Apostolorū apocryphi.*

Et quòd pro regulis Ecclesiasticis, afferuntur canones apocryphi Apostolorum 21 & 22. iniuria fit illis regulis. Nam regulæ Ecclesiæ certę sunt, & esse debet, ac minimè dubię: canones autem illos, scimus à Gelasio Pontifice inter apochrypha reijci, ab Isidoro hæreticis adscribi, à Bellarmino repudiari: quin & alibi ab ipso Baronio apocryphorum somnia interdum appellari: adeóque aliquos apertæ falsitatis manifestò conuinci: adeo vt, nisi aliunde fulciantur, per se corruant.

Iam Origenis factum à facto Leontij plus distat, quàm cælum à terra; & tantum certè, quantum pura castitas ab impura libidine, & regnum cælorum ab infima terrę fęce. Nam Origenes (vt antè monstratum est) propter regnum cælorum, & ob magnam castimoniæ à Christo prædicatę æstimationem & amorem se castrauit, nec vlla vnquam ab inimicis vel leuissima suspicione libidinis aspersus est. Leontius verò, cùm esset Presbyter, ideo se castrauit, vt liberè cum Eustolio muliere cohabitaret. Sic enim referunt Athanasius in epistola ad vitam solitariam agentes, & Theodoretus lib. 2. historiæ ecclesiasticę cap. vigesimo quarto, & Socrates libro secundo, capite vigesimo primo.

Denique satis perspicuum videtur, nullum fuisse canonem aduersus eos, qui se castrassent, nisi post Origenis tempora, & primò quidem in Concilio Nicæno, siue vno circiter post Origenis castrationem sæculo.

Tunc enim ea synodus contra eunuchos, qui sine caussa se castrassent, canonem edidit, & tamen non absolutè contra omnes. Qui enim ex caussa morbi se castrassent, permittebat ordinari. Exstat is canon græcè & latinè in codice canonum vniuersæ ecclesiæ, opera Christophori Iustelli Iuris Consulti, hominis insigniter docti edito, quem canonem, omissis græcis, licet sint ad manum, latinè tantùm reddam ipsius Iustelli verbis, quæ sic habent:

*Nicæni Concilij canon 1.*

*Si quis in morbo à medicis excisus, vel à Barbaris exsectus est, is maneat in clero: si quis autem sanus seipsum abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere conuenit, & deinceps nullum talem promoueri oportet.*

Qui canon, quia posterior Origene, obligare Origenem non potuit. Nec illo canone aliquem Apostolorum canonem fuisse priorem, videtur

fatis liquere, quòd illius, vtpote maioris auctoritatis, mentionẽ haud præterijsset Nicæna Synodus, immò hunc non fecisset, sed istum dumtaxat inculcasset.

Quare apud Baronium loco antè laudato, neque rationes allatæ, neque Leontij comparatio, neque item quod è Sancto Iustino de adolescente Christiano affertur, stare possunt; cùm nec adolescens ille ideo castrari petierit ( vt ibi perperam dicitur ) quò careret omni carnis irrationali motu, sed vt demonstraret Gẽtilibus promiscuam libidinem non esse apud Christianos mysterium, vt ipsi calumniabantur. Quod ipsa sancti Iustini verba in Apologia ad Imperatores apertè declarant. Sic enim habent: *Atque adeo quidam nostrorum, vt vobis persuaderet impudentem illam ac promiscuam commistionem non esse apud nos mysterium, Felici Præsidi libellum Alexandriæ obtulit, quo petebat permitti medico, vt eum exsecaret.* Quod certè si impetrasset ( vetabant enim alioqui leges ) & exsectus esset; non modò nihil peccasset illa exsectione, quam & bona conscientia excusabat, & zelus fidei, actúsque fortitudinis commendabant; sed etiam haud parum gratiæ apud Deum meritus esset. Quippe nihil mali in eo facto suspicatus, & Christianorum à turpi calumnia vindicationem, sui profusione sanguinis, commercatus. Et hoc quidem adolescentis factum generosum non protulisset, vt arbitror, sanctus Iustinus, nisi & approbasset.

Quo magis miror Cæsarem Baronium, simili zelo Origenis adeò aduersari; vt Eusebium, propterea quòd Origenem excuset, dicat constituere eundem Origenem sectæ Valesiorum, qui omnes castrati erant, auctorem. Atqui illa hæresis non post Origenem prodijt, neque auctore Origene, vt colligi potest ex Epiphanio, sed ante illum, & auctore quodam Valente. Vnde cùm de illa agit Epiphanius, ne verbo quidem meminit Origenis aut Origenistarum, quod tamen procul dubio fecisset, si quid tale suspicari potuisset, cùm Origeni plurimùm aduersaretur.

*Valesiorum secta à Valente quodã orta.*

Deinde, quamuis Origenes in prima iuuentute, ex Dei zelo & amore castimoniæ, atque vt pluribus prodesse posset, se castrarit; tamen tantùm abfuit, vt id suaderet alijs, aut doceret; vt potiùs semper eam rem occultam tenuerit, & natu maior contrarium docuerit. Nam tractatu 7. in Matthæum post medium, sic scribit inter alia: *Moraliter per Eunuchos intelligendi sunt ij, qui se à venereis continent. Hi autem in triplici sunt genere. Nam quidam ex ijs sunt, qui præ ceteris viris naturâ sunt frigidiores, & de his rectè dicitur: Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: alij sunt, qui se continent propter verba hominum: quorum concupiscentiam virilem præcidit, non verbum diuinum, sed verba hominum: vt puta ij, qui apud antiquos inter Infideles philosophati sunt: aut qui inter hæreticos prohibent nubere: & isti sunt eunuchi, qui*

*Euseb.l.6. c.7.*

*De triplicibus Eunuchis sensus moralis.*

*facti sunt ab hominibus. Sunt & tertij, qui suscipiunt sermonem Dei viuum & efficacem, & penetrabiliorem omni gladio ancipiti, & gladium spiritus, sicut ait Apostolus, & præcidunt concupiscentiam suã, corpus non tangentes; & hoc faciunt non propter timorem hominum, neque propter laudem humanam, sed propter solam spem regni cælestis: & hi sunt eunuchi qui se ipsos castrarunt propter regnum cælorum.* Quæ doctrina immensùm quantùm distat à secta Valesiorum.

Virginitatis Dei donũ precibus impetrandum.

Deinde subiungit continenter Origenes: *Magna ergo res est propter regnum Dei eunuchum fieri: quod non capiunt omnes, sed quibus datum est, datum est autem omnibus, qui sibi gladium huiuscemodi à Deo postulant.*

Quod autem hactenus de Origenis castratione diximus, non ea te diximus, vt imitabilem proponeremus, absit, sed vt in illa ætate, & in illis quas attulimus circumstantijs, propter zelum Dei ac multiplicis virtutis, eum excusabilem à culpa, quin & dignum præmio ostenderemus. Et hac in re à nobis stant, quicumque Virgines eas martyrum loco habent, quæ zelo seruandæ castitatis semet interemerunt. E quibus Auctoribus sunt sanctus Ambrosius l. 3. de Virginibus, Hieronymus in caput 1. Ionæ Prophetæ, Eusebius l. 6. hist. c. 23. & l. 8. c. 12. & 17. & Palladius in Lausiaca, c. 150. & alij. Vide, si lubet Leonardum Lessium l. 2. de Iustitia & Iure, c 9. Dub 6. & Theophilum Bernardinum, l. 7. de perseuerantia religiosa c. 4. sub finem. Qui licet de facto Origenis non agant nominatim, tamen ex ijs quæ producunt exemplis, non modò mutilationis membrorum pro tutela castimoniæ, sed etiam suæ ipsarum occisionis; facilè datur colligi, idem de Origene sensisse ac sentire debuisse. Cuius factum ex tribus præcipuè capitibus laudem meretur, nempe fidei, castimoniæ, & fortitudinis: fidei quidẽ, qua sibi persuasit, aut qua potiùs à Deo imbutus fuit, ad credendum vera & sancta esse, sibique pro modulo suo imitanda, quæcumque in Euangelio continentur; siue magna, siue parua; siue facilia, siue factu ardua. Castimoniæ autem, quia pro illius summo gradu assequendo, cuncta paratus fuit & facere & pati: fortitudinis denique, quia ijs se voluptatibus corporis volens lubensque priuauit, quas vulgo homines summas credunt, & permagni faciunt, & quibus olim viri aliàs sapientissimi succubuerunt, & cùm itidem pro eiusdem castitatis securitate, non medocres carnis dolores vltro perpeti & vitæ ipsius adire periculum non dubitauit. Atque hæc super 1. obiectione satis.

### RESPONSIO AD SECVNDAM obiectionem. §. 2.

SECVNDO obiectum est Origeni, quòd necdum Sacerdos publicè coram Episcopis verba ad populum in Ecclesijs ha buisset.

Cui obiectioni bona & minimè reprobanda est ista responsio: nempe Origenem id honoris non appetijsse, sed potius refugisse, quod humilitatis eius

eius ac modestiæ fuit: obedientiæ autem & æquitatis, quod iubentibus Episcopis, tametsi inuidiosum videretur, non detrectarit. Quare si vlla in hoc facto fuisset culpa (quæ nulla fuit) ea imperanti fuisset imputanda, non obtemperanti. Ipse Origenes homiliam suam in Ezechielem, quæ nunc est decima tertia sic exorditur.

*Præcipitur nobis*, inquit, *ab Episcopis discutere sermonem, Principis Tyri, vt laudes eius, culpásque dicamus: necnon iussum est, vt de Pharaone Rege Ægypti aliqua retractemus, &c.*

Et verò ab omni culpa tam se ipsos, quàm Origenem perpurgarunt, & factum bonum exemplis comprobarunt, sanctus Alexander Hierosolymorum, & Theoctistus Cæsareæ Palęstinæ Episcopi: quorum hæc ferè fuit ad Demetrij epistolam responsio: *Quod autem in tuis litteris addidisti, nunquam, antè auditum aut factum esse, vt laici præsentibus Episcopis verba ad populum habeant, videris manifestè à vero aberrare. Cùm enim aliqui reperiuntur ad fratres doctrinâ adiuuandos idonei, rogantur ipsi à sanctis Episcopis, vt sermonem ad populum habeant: sicut Larandis, Euelpis à Neone; Iconij, Paullinus à Celso; & Synnadis, Theodorus ab Attico, beatis fratribus: & probabile est in alijs quoque locis id fieri, nos autem nescire.* Sic illi. Nam fieri credebant in Occidentali Ecclesia, quod cernebant in Orientali. *Apud Euseb. l. 6. hist. Eccl. c. 13.*

N. *Laranda* & *Synnada* plurali numero nomina esse Vrbium, *Synnada* Phrygiæ, *Laranda* Lycaoniæ, cuius & *Iconium*. Quid autem mouerit, Demetrium vt id factum improbaret, nihil habeo curiosiùs inquirere: satis est, quòd constet laudabile ac gloriosum Episcopis fore, si respectui dignitatis suæ, fructum spiritalem subditorum suorum anteponant. Fuerunt & è minima societate nostra non pauci, qui ante susceptum Sacerdotium ad templorum admissi suggestus, mirabiles fecerunt animorum ad virtutem conuersiones. Quorum sanctis messibus non inuidebant Episcopi, sed applaudebant: & vtiles aliorum in sua vinea labores, tametsi iuuenum & non Sacerdotum, sua lucra ducebant, & laudibus honorabant, & præmijs adaugebant.

## *RESPONSIO AD TERTIAM OBiectionem.* §. 3.

Obiectum est tertiò, quòd à se ipso castratus cùm esset, Sacerdotium aliena in Diœcesi suscépisset.

Quæ obiectio, tametsi prima facie grauior videatur, tamen simili ferè spongia, qua prior, diluitur. Cùm enim consensisset Origenes verba habere in Ecclesia coram Episcopis, & eximius illis concionator visus esset, iudicarunt minimè esse consentaneum, talem lucernam latere sub modio, sed super candelabrum ponendam, vt luceret omnibus, qui in domo Ecclesiæ erant. Quod quia facturum non esse Demetrium meritò suspicabantur

(quippe qui satis ægrè tulerat, quòd vel ad modicum tempus præluxisset ijs, qui erant in Palæstinâ) non putarunt eius differendam esse ordinationem, cuius non minimas laudes ab ipsomet Demetrio in communicatorijs litteris, eidem Origeni abscedenti datis antè acceperant. Itaque Deo consulto & approbante (nam aliter ab ijs factum esse incredibilis sanctitas Alexandri iam tum Confessoris, postea autem & Martyris, vetat suspicari) Deo, inquam, consulto & approbante, licet inconsulto & absente Demetrio, Sacerdotem consecrarunt.

*Ordinandi Origenis quæ caussæ & occasio fuerit.*

At enim non potuit, inquies, nec debuit is, qui se ipse castrauerat, consecrari. Quid ita? quia leges & regulæ Ecclesiasticæ id vetabant. Responsum est suprà nullam tum fuisse eiusmodi legem aut regulam Ecclesiasticam; sed vno demum post Origenis castrationem sæculo latam esse, quæ tamen eos tantùm, qui sine causa id facerent, comprehenderet. Hinc eam castrationem, cùm Demetrius ipse, qui multos annos tacitam habuerat, missis nunc circumquaque litteris infamasset; hanc eius infamationem sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, *insanam debacchationem* appellauit, cùm de Origene ita scripsit: *Qui cùm media esset ætatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ, Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto & Alexandro Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis Presbyter ordinatus, Demetrij offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insaniâ, vt per totum mundum super nomine eius scriberet.* Sic ibi.

Ecce autem, quid possint inimicitiæ. Demetrius, vt primùm intellexit castrationem Origenis, admiratus est factum & animi generositatem, atque in optimam partem interpretatus, magno eum amore & honore & laude est prosecutus: Exortis verò inimicitijs idem factum, tanquam horrendum crimen exaggerat, & innocentem infamat, & indignum Sacerdotio clamitat, & tanquam secundæ sedis Patriarcha multis persuadet, sed Origenis innocentiam atque sanctimoniam ignorantibus. At verò Palæstinæ & Achaiæ Episcopi tenentes ipsius Demetrij litteras laudum Origenis plenas, defensionem eius suscipiunt, & semper cum eo communicant: quin & publicè docere, & omnia exequi munera Sacerdotij imperant: donec tandem ipse Demetrius, postea quam audiuit illum Cæsareæ Palæstinæ (vbi & sanctum Gregorium Thaumaturgum & fratrem eius sanctum Athenodorum postea Martyrem à gentilismo & infidelitate ad Christi fidem conuertit) magna gloria efflorescere, misso ad eum proprio Diacono ad reditum Alexandriam inuitauit, & impetrauit: vti in vita descripsimus. Itaque nec valuit nec renuit illa, quæcumque fuerit, seu excommunicatio, seu irregularitas. Et de hac obiectione satis.

RESPON-

### RESPONSIO AD QVARTAM *obiectionem.* §. 4.

QVARTVM, quod Origeni circa vitam obiectum est, fuit quòd Idolis immolauerit: maximum sanè crimen, si verum: sed mera est fabula pessimè à pessimis hominibus consuta, & impiè ac sacrilegè in sanctum Epiphanium intrusa. Quod non modò Origenis studiosi, sed etiam nonnulli è præcipuis eius aduersarijs, qui aliquem veritatis respectum habuerunt, profitentur. Certè Baronius, licet Origeni minimè aliàs fauens, tamen tota illa narratione, quæ apud Epiphanium exstat, diligétiùs examinatâ, non modò fidem illi non accõmodauit, nec vllatenus approbauit: sed multis quoque & bonis rationibus conuicit falsitatis, tom 2. Annal. Christi 251. Decij Imp. 1. *Baronius fabulam de immolatione idolis facta detegit, & refutat.*

Continet autem illa narratio Origenem, ob sanctitatis atque doctrinæ eminentiam, incurrisse atrocem Gentilium inuidiam, atque eorum maximè, qui in principali erant potestate: ipsos igitur instinctu Diaboli in medium produxisse quendam Æthiopem, atque proposuisse Origeni, vt alterutrum eligeret, aut Dijs sacrificare, aut ab Æthiope illo pudenda perpeti. Origenē verò potiùs elegisse Dijs sacrificare, quàm à fœdo Æthiope pollui: & hoc Alexandriæ accidisse, vnde propter sannas exprobrantium discesserit in Palæstinam: cúmque venisset Hierosolymam, compulsum fuisse à Sacerdotibus, qui illic erant, docere in ecclesiâ ( aiunt enim, antequam sacrificaret, dignatum fuisse Sacerdotio ) tum igitur surrexisse, & istum versiculum 16. psal. 49. pronuntiasse: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* moxque complicatum librum reddidisse, & cum fletu ac lachrymis sedisse, cunctis qui aderant, simul complorantibus. *Narratio fabulæ.* *Psal. 49. v. 16.*

Hanc narrationem ( quæ fusiùs & confusiùs apud Epiphanium, quo minimè digna est, reperitur) meritò negat Baronius esse Epiphanij, habétque illam pro commento, & affectata calumnia. Eius præcipuę rationes sunt hæ:

*Vt commentum*, inquit, *exstimemus eiusmodi Origenis lapsum, ea quoque potissimùm ratione suademur, quòd qui pro eo scripserunt Apologias, Pamphilus, seu potiùs Eusebius eius nomine, atque Ruffinus, cùm omnes æquè intenti sint illum ab hæresi immunem reddere; de impietate atque apostasia nullus excuset; quòd scilicet nullum ab aliquo ea de re negotium exhibitum esset. Quòd si vel leuissima qualibet coniectura aduersarij eius ( quos multos semper habuit ) obiectare potuissent, haud certè conticuissent, sed obiecissent isti, & illi diluissent.* *Baronij verba illam refellentis.*

Deinde consequenter & continenter sic:

*Videntur*

*Videntur sanè hæc*, inquit, *de lapsu Origenis ignoraße pristina sæcula : cùm rem tantam, tantique viri non inter Christianos solùm, sed ob insignem eruditionem, quam & Gentiles Philosophi admirabantur, inter Ethnicos quoque notißimi, qui eidem aduersabantur, silentio prætererint. Nam Dionysius, qui hoc ipso viuebat tempore, & res Alexandrinas scriptis est prosecutus, & alij eius gloriæ æmuli, (quorum teste Eusebio non exiguus numerus erat) sed & ipsi Veritatis amatores & Origenis oppugnatores, sanctus Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, & alij eorundem temporum Catholici tractatores, nec quidquam eiusmodi (quæ ad sugillanda eius quoque dogmata admodum opportuna visa fuissent) vel nutu saltem locuti sunt.*

Dionysius Alexandrinus Episcopus & Confessor.

Quibus hæc quoque subiungit:

*Sed quòd nec qui posterioribus temporibus vixerunt, cùm de Origenis scriptis controuersiæ fuerunt iterum ore omnium diffamatæ, & Iustiniano Imp. agente, omnes quotquot paterent, vel laterent in Origenis libris errores, in odium Origenistarum in Palæstina iterum emergentium denuo refossi, synodicis decretis, & Imperatorijs litteris in Ecclesiâ oculis omnium fuerunt expositi; de eiusmodi scelere, quod Epiphanij nomine, testimonio tanti viri videretur innotuisse, mouerint quæstionem, vel proposuerint assertionem.*

*Certè quidem in ignominiam illum sectantium ac mordicus defendentium, tam insignis infamiæ titulus erat præ cunctis foribus affigendus.* Sic ille.

Miror autem ego scriptorem quendam non veritum esse argumenta hæc vocare leuia : cùm & ipse multò leuiùs refutet, atque vnum aliud argumentum, quod idem Baronius subiungit, éstque omnium fortissimum, dissimulet, intactúmque prætereat. Est autem hoc :

*Et quò magis magisque impellor*, inquit Baronius, *vt credam totum id, quod dictum est de eiusmodi Origenis lapsu, patens esse commentum & affectatam calumniam, illud est : quòd Porphyrius Christianorum hostis infensißimus, & vt ex Eusebio vidimus, Ecclesiæ gloriæ inuidus, cùm celeberrimum illum Ammonium, Christianum Philosophum, à fide Christi ad Ethnicos, desciuisse, non erubuerit mendacißimè litteris prodere; quid non de Origene, obsecro, dixisset? quem Plotino suo præfert, & mirificè laudat, si ea de Christo negato verè dicere ac firmiter asserere ei licuisset? viuebat eodem planè tempore, nec fama solùm, sed vultu hominem probè nouerat, quocum & se diu versatum esse testatur in ea, quam posthæc tempora scripsit, Plotini vita, in qua virum egregijs laudum titulis cumulatè satis ornat; nec ausus est Origeni notam inurere, sicut Ammonio : quòd Origenis memoria recentior esset, & eius confeßio omnibus adeo innotuisset; vt ne exiguus quidem locus videretur patere mendacio, vel leuis componendæ calumniæ occasio sibi esse relicta.*

Porphyr. in vita Plotini, & Euseb. l. 6. c. 19. Cedrenus in compend.

Hacte-

Hactenus verba Baronij. quibus nihil responsum est:

Nota autem, quod dicit Origenis confessionem fidei, hoc est, martyrium siue tormentorum pro fide in Christum tolerantiam, omnibus innotuisse; cuius proinde lapsus. si quis fuisset. minimè potuisset (vt idem paulò pòst subdit Baronius) celari, neque ab Eusebio, quamuis voluisset, vllo modo occultari.

Sic enim ait:

*Tanti enim viri lapsus, qui semel diffamatus, præstantiâ delinquentis omnibus innotuisset, haud eius generis videbatur, qui potuisset celari, & quouis superinducto colore ab Eusebio contegi, vel fuco obliniquippe qui non in orbis angulo, sed Alexandriæ, in quam (vt aliàs diximus,) velut in orbis theatrum, ex quatuor orbis partibus, diuersis ex causis homines conuenirent, admissus fuisset; ecquonam pacto, quæso, vnus Eusebius in totum orbem hæc inclamantem valuisset obniti? vel, etsi id quoque adeò temerè aggressus esset, quo modo (vt de ceteris in Origenem illatis criminibus facit) nihil penitus ad eum excusandum, & calumniam refellendam in medium adduxisset, & adeo perfricta fronte confessionem laudasset, quam toto orbe teste negasse, in confesso omnibus esset?* Baronij verba pro Origene.

Hæc profectò minimè leuia sunt Baronij argumenta, quæ ex ipsa natura, moribusque hominum desumpta sunt, & quæ quotidiano ferè vsu cernuntur. Quis enim non videt, quotiescumque vir aliquis virtute doctrináque celeberrimus palam, & in omnium conspectu, atque in vrbe amplissima religionē abnegauerit, mox quaquauersum datis vltrò citróque litteris id factum diffamari, atque in annales historiásque immitti? Quod eò fit auidiùs, quò ille pluribus abundat inimicis, maioréque flagrat inuidia. Quo etiam tempore nullus facilè reperietur, qui vel eius vitam scribere, vel in ea scribenda factum illud vndequaque notissimum audeat reticere.

Nam si reticeat, tanquam famæ suæ prodigus, ac mirè impudens passim denotabitur atque à multis alijs Scriptoribus nominatim exsibilabitur: idque meritissimò.

Tale igitur aliquid accidisset Eusebio (quem nunc omnes in historia ecclesiastica principem agnoscunt) si facinus illud admisisset Origenes, quod illi à maleuolis hominibus tanto post tempore imponitur. Illius enim ne verbo quidem meminit, neque illius silentij quisquam eum reprehendit. Quod sanè sanctus Epiphanius facere debuisset, si id scripsisset, quod illi affingitur.

Equidem haud dubito, quin hoc aut aliquid simile addidisset: *quem Origenis lapsum Eusebius pro suo in virum affectu reticuit*: immo & eiusdem Epiphanij fuisset, bonis rationibus probare id quod ipse primus contra Origenem proferret.

Id autem minimè in illa narratione factum est. Ex quo bene colligitur eam narrationem non esse Epiphanij: idque dici, ad ipsius sancti honorem spectat magis, quàm negari. Deinde in eadem narratione, in qua dicitur Origenes thus idolis adoleuisse Alexandriæ, additur eum à sacerdotibus Hierosolymitanis, (propterea quòd virum nossent eruditum) coactum fuisse in Ecclesia ad populum habere sermonem: Quomodo autem id stare potest, cùm ibidem proximè dictum sit, illum ab Ecclesia eiectum esse? an id poterant ignorare Hierosolymitani, quod Alexandriæ factum erat? Atqui tales eiectiones & excõmunicationes litteris encyclicis, quas vocant, omnibus indicantur ecclesijs.

Præterea, sicut excommunicationes, ita & illarum absolutiones, post peractam à reo pœnitentiam, perinde solent renuntiari. Atqui horum duorũ nulla prorsus apud vllum auctorem est mentio.

Et istorum sanè si quid fuisset, minimè ausus fuisset sanctus Pamphilus Martyr, qui proximus illis temporibus fuit, & sanctum Epiphanium antecessit, in suo pro Origene Apologetico hæc scribere de Origene, quæ sequuntur:

*Et quidem*, inquit, *quòd & honore presbyterij in Ecclesia præditus fuerit, & vitam abstinentißimam egerit & valdè philosophicam, quodque puræ religionis obseruauerit disciplinam, & præ ceteris verbo Dei & doctrinæ operam dederit, dubium non est.* Minimè, inquam, ausus fuisset hæc scribere.

Potuisset enim aliquis, hæc irridendo, dicere: *Nempe vitam valde philosophicã*, cũ vnius Æthiopis metu à fide defecerit: *nempe puræ religionis disciplinam, & disciplinæ obseruantiam*, quando Alexandriæ thus idolis adoleuerit.

Neque item sanctus Hieronymus illo tempore, quo Origeni aduersabatur, hæc in eiusdem Origenis laudem exprompsisset: *Vult aliquis laudare Origenem? laudet, vt laudo. Magnus vir ab infantia, & verè Martyris filius. Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit, succedens eruditißimo viro Clementi Presbytero: voluptates in tantum fugit, vt zelo Dei, sed tamen non secundùm scientiam, ferro truncaret genitalia: calcauit auaritiam*, &c.

*In epistol. ad Pammach. & Oceanum sub finem.*

Vbi cùm dicitur, *magnus vir ab infantia*, sine dubio intelligitur *vsque ad mortem*, nisi addatur aliqua exceptio. Nulla verò vsquam additur, nisi in doctrina, siue de aliquibus eius præsumptis erroribus. Et cùm dicitur *verè Martyris filius*, hoc est verè, dignus patre Martyre, ob suam scilicet pro fidei confessione in tormentis firmitatem. Admittunt enim Epiphanius & Hieronymus non potuisse Origenem vllis vinci tormentis. Hinc eiusdem Origenis aduersarij, qui tribus post illum sæculis vixerunt, illam confixerunt fabulam, suggestum scilicet à Diabolo præsidibus persecutionis,

aliâ viâ eum vinci non posse, nisi castitatis ipsius (cuius esset amantissimus) turpiter violandæ metu: quod & factum mentiti sunt. Auctor porrò istius fabulæ is primus videtur fuisse, qui Iustiniano Imperatori homini illiterato, & ecclesiæ perturbatori (vt suo loco probabitur, & qualem iam probauit doctissimus Baronius in suis annalibus) dictauit epistolam illam, quæ hodiéque exstat inter acta Concilij V. œcumenici sub eiusdem Imperatoris nomine contra Origenem: nunc autem inscribitur: *Tractatus pijssimi Imperatoris missus ad Menam*, &c. græcè λόγος τοῦ εὐσεβεστάτου &c.

Sed ipsemet Iustinianus non tractatum appellat, sed *Epistolam*, & quidem re ipsa, si non voce, *encyclicam*. Sic enim ait: *Hanc epistolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, &c.*

Deinde paullo pòst: *Hæc porrò eadem scripsimus, non solùm ad sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum & beatissimum Papam senioris Romæ & Patriarcham Vigilium, & ad ceteros omnes sanctissimos Episcopos & Patriarchas, &c.*

Tales enim litteræ vocantur encyclicæ, Latinis autem circulares. In ea igitur epistola circulari prolatis quibusdã, tametsi ab Origene alienissimis erroribus, & nominatim quòd dixerit corpora post resurrectionem fore orbiculata, tum ita subdit: *His multò atrociores blasphemias impius Origenes cùm edidisset, nihil mirum est eum in ipso Martyrij articulo Christum abnegasse, & cultam à paganis Deorum multitudinem, quam ipse induxit, adorasse.*
*Atque id Dei prouidentia factum est*, inquit, *ne in ecclesia pro Martyre acciperetur, atque inde gregi* CHRISTI *aliquid inferretur detrimenti.* Hæc ille, quæ tam falsa sunt, quàm illa ibidem his verbis ab eo posita:

*Vnum ac solum*, inquit, *impio Origeni studium fuit, Paganorum errorem confirmare, & imbecilliorum animis Zizania inferre.* Et alibi in eadem epistola dicit Origenem, si quid boni dixit, hoc dixisse ad homines decipiendos. Quæ illi à quo suggesta sint, quis non videt? Atqui nullius SS. Patrum hic fuit sensus: nullius aliorum eius aduersariorum hæc fuit opinio. Plures enim ipse Paganos per se & per discipulos suos illo æuo, quàm quispiam alius ad veram fidem perduxit: plurésque & maiores viros ab hæresi (vt ex vita eius constat) in ecclesiæ gremium reduxit, quàm ab ætate Apostolorum quisquam alius. Hoc igitur Iustiniani tempore & deinceps, hoc est, ducentis demum annis post Epiphanium, complures è recentioribus Græcis (nulli tamen quod sciam è Latinis) illius ficti lapsus fecere mentionem, sed sine vlla sancti Epiphanij, quasi ille idem teneret, mentione: intra autem ducentos illos annos qui inter Epiphanium & Iustinianum intercessere, ne vnus quidem Scriptor, seu amicus Origenis fuerit, seu inimicus, minimã talis lapsus mẽtionẽ

fecit; sed cuncti vitam eius laudauerunt, dogmata dumtaxat aliqua reprehenderunt. Ac de illis quidem recentioribus Græcis idem ante nos indicauit, atque eodem fere modo respondit ad annum Christi ducentesimum quinquagesimum tertium Baronius: *Ceterum scimus*, inquit, *quæ Epiphanij nomine scripta inuenta essent, à nonnullis, vt verè Epiphanij credita, citari: vt inter alios à Leontio scholastico, qui post sexcentesimum Christi annum vixit: ijsdémque Zonaras, Suidas, Nicephorus annuerunt, & si qui alij recentiores, siue Græci, siue Latini Auctores: non tamen sanctus Hieronymus, & alij eius sæculi viri eruditi & orthodoxi, qui eum impugnabant, non sanctus Augustinus; non denique, qui eodem claruit tempore, Vincentius Lirinensis, vel alij qui de eo pluribus egerunt, qui nec tale quippiam de Origene vel saltem se suspicatos esse demonstrant.* Ita Baronius.

Equidem nullum abitror argumentum afferri fortius posse ad illam de Æthiope & immolato thure Fabulam conuincendam, quàm quòd Theophilus iracundiæ aduersus Origenem impotentissimus, oblata occasione pulcherrima illius obijciendę immolationis, (si quidem immolasset) nihil de illa dixerit.

Nam in secunda sua paschali epistola, post multos errores Origeni obiectos, addidit etiam illum imitatorem esse Ieroboami filij Nabath, & multa errorum altaria fabricasse, & ararum profana thura succendisse, & variarum doctrinarum thuribula diabolico igne compleuisse, &c. (vbi procul dubio addidisset, etiam illum thure immolato fidem abnegasse, si hoc quidem fecisset. Dixit enim in illum quidquid fere potuit: quando illum comparauit cum Ieroboam Idololatra, & quando dixit peiorem esse, quàm Dathan, & Abiron, quos dehiscens terra viuos deuorauit. Numerorum cap. 16.

Ac ne videar rem meis verbis nimio plus exaggerare, ponam in medio ipsiusmet verba ab Hieronymo in Latinū translata, quæ sic habent in dicta iam epistola.

Ieremiæ 22. *Tempus est*, inquit, *illud inferre*, [scilicet contra Origenem] *Terra, terra, terra, audi Verbum Domini: scribe virum istum abdicatum. Quis enim infernus hæc mala suscipere potest? qui Tartarus de rebus istiusmodi cogitare? quæ gigantum insania tam rebellis exstitit, & turrim impietatis exstruxit? quæ libido lasciuiens, & dæmonum amore deperiens, sic vniuerso dogmati transeunti diuaricauit crura mentis suæ? Quis in tantum de Sodomitica vinea bibit, vt inebriato vino furoris eius toto orbe conciderit? Quis Babyloniorum ita fluminū gurgitibus irrigatus, viuos Israël fontes reliquit? Quis egrediens de Hierusalem, & Ieroboam filij Nabath imitator existens, tot errorū altaria fabricatus est, & ararū profana thura*

*thura succendit? Cur Dathan, & Abiron, qui minora peccarunt, non veniunt ante tribunal Christi, & sui comparatione condemnant eum, qui extra Ecclesiam Saluatoris, variarum doctrinarum thuribula diabolico igne compleuit?*

Hæc igitur & alia plura impotens sui cùm effunderet in Origenem Theophilus, tacuisset illa de æthiope scilicet, & de rhure Dijs immolato in signum abnegatæ fidei nihil dixisset?

Sed dicet fortasse aliquis non omnino tacuisse, sed indicasse illis verbis hîc suprà positis; *& ararum profana thura succendit*, & quòd illum comparauerit cum Ieroboam idololatra.

Verùm si ita esset, & si sciuisset Theophilus illum verè immolasse Dijs, multò id clariùs ad infamiam Origenis, quam toto conatu quærebat, exposuisset, ac sæpius, vt quædam fecit, repetijsset. Non sic igitur, non sic intellexit, sed eo modo, quo ista in sanctum Ioannem Chrysostomum effudit: *Non solùm non est Christianus Ioannes, sed peior est Rege Babylonio, multò sceleratior quàm Balthasar: idololatris & ethnicis peior est Ioannes.*

Et rursus eodem spiritu, quo ista: *Saluator clamauit & dixit: Tollite Ioannem, & mittite in tenebras exteriores.*

Quæ verba respondent istis in Origenem suprà effusis: *Scribe vnum istum abdicatum* id est, à Deo reprobatum. Et si quis integrum Theophili librum contra Sanctum Ioannem Chrysostomum haberet, videret quàm simillima sint vtrobique maledicta. Habuit & legit sexto post Christum sæculo Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, & inde quædam collegit, & Iustiniano Imperatori ecclesiam turbanti, & Theophili spiritum repræsentanti legenda obrulit.

Atque de his, quæ contra vitam Origenis obiecta sunt, satis hactenus dictum; nunc cùm de doctrina à plurimis impugnata agendum sit, inuocatâ suppliciter humiliterque sancti SPIRITVS gratiâ, conabor ea quidem, quæ falsò illi obiecta aut imputata sunt, pro virili, vt æquitas postulat, repellere: altera autem, quantùm Christiana exiget caritas, excusare. Nec enim inerrabilis Origenes fuit, sed nec in quibus errauit, inexcusabilis. Errauit enim non volens: Errauit ex imbecillitate humana, non ex affectatione superba. Errauit vt ceteri de Ecclesia sancti Patres: non vt illi de Hæreticorum Synagoga tumidi Scriptores. Ita enim de illo Hieronymus sensit, non solùm ante exortas cum Ruffino sodale suo inimicitias, sed etiam post illas, dum ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis ita scripsit: *Quod si quis Iudas Zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat liberè:*

*—— interdum magnus dormitat Homerus.* *Horat. de arte Poëtica.*
*Verùm opere in longo fas est obrepere somnum.*



Non

*Non imitemur eius vitia, cuius virtutes non possumus sequi. Errauerunt in fide & alij, tam Græci, quàm Latini, quorum non est necesse proferre nomina, ne videamur eum non sui merito, sed aliorum errore defendere.* Et paullò pòst. *Nunc verò cùm simpliciter errorem eius fatear, sic legam vt ceteros, quia sic errauit, vt ceteri.*

Et infrà ibidem: *Sed dicas*, inquit, *Si multorum communis est error, cur solum persequimini? quia vos solum laudatis vt Apostolum.*

*Tollite amoris ὑπερβολὴν, & nos tollimus odij magnitudinem.*

*Ita Hieronymus non obscurè declarans quamobrem Origenes, qui errauit vt ceteri, magis exosus fuerit quàm ceteri.* Nimius scilicet quorundam amor in Origenem causa fuit nimij aliorum in eundem odij: & summæ itidem eius laudes, summi quoque ansa vituperij.

His autem instar cuiusdam propugnaculi antè positis, aggrediar cum Dei auxilio id quod modò institui, ac primo loco eos errores proponam, quos Origeni obiecit Hieronymus.

## QVÆSTIO IIII.

*QVINAM SINT ERRORES PRÆCIPVI, quos Origeni obiecit Hieronymus, & sintne reuera Origenis?*

ERRORES Origeni ab Hieronymo obiecti, sunt hi præcipuè.
1. Quòd malè senserit de Filio Dei.
2. Quòd peiùs de Spiritu sancto.
3. Quòd dixerit animas de cælo lapsas in corpora.
4. Quòd malè senserit de carnis resurrectione.
5. Quòd tenuerit post multa sæcula omnes tam Angelos, quàm homines in pristinum naturæ statum restituendos.

Hos errores recenset Hieronymus in epistolâ ad Pammachium & Oceanum paullò antè citatâ, vbi indicat, dummodo Ruffinus alijque defensores Origenis confiteantur illum in his errasse, verbum se cum illis non commutaturum, nec verbo repugnaturum, quin omnia Origenis admittantur, ac tutò legantur.

Ecce ipsa Hieronymi verba:

CONFITEMINI *& vos in quibusdam errasse Origenem, & nil vltra non faciam. Dicite eum malè sensisse de Filio: peius de Spiritu sancto: animarum de cælo ruinas impiè protulisse: resurrectionem carnis verbo tantùm confiteri, ceterùm assertione destruere, & post multa sæcula, atque post vnam omnium resurrectionem, idipsum fore Gabrielem quod Diabolum,*

*Diabolum, Paullum quod Caipham, virgines quod prostibulas. Cùm hæc reiecer itis & quasi censoriâ virgulâ separaueritis à fide Ecclesiæ, tutò legam cetera: nec venena iam timebo, cùm antidotum præbuero. Non mihi nocebit si dixero: Origenes cùm in libris suis omnes vicerit, in Cantico canticorum ipse se vicit.*

Hæc sunt verba Hieronymi, quibus paucos quidem Origeni errores adscripsit, sed oppidò magnos, in quibus illa, *idipsum fore Gabrielem quod Diabolum*, &c. non sunt Origenis, sed ratus è doctrina Origenis deduci posse Hieronymus (de quo pòst videbitur) per amplificationis formam velut ab eo dicta protulit.

§. I. *Responsio ad obiectiones duas priores.*

AD hos porrò quinque errores, quid respondeant aut sentiant sancti Patres Hieronymo antiquiores, cùm ostensum fuerit; tum de alijs momenti leuioris erroribus quid iudicandum sit, haud difficile fuerit arbitrari.

Patres autem illi (de quibus loquor, & quos permagni facere decet) sunt hi: sanctus Pamphilus Presbyter & Martyr, quo in scriptis Origenis nemo vnquam magis versatus fuit. Deinde S. Athanasius magnus, quo nullus depræliandi aduersus Arianos scientior atque experientior exstitit.

Didymus præterea Magister Magistrorum (Hieronymi enim & Ruffini, & aliorum ipsis æqualium magister fuit) qui cum cæcus esset, meritò *videns* est appellatus. Nam instar aquilæ, mentis aciem in æterni illius solis, Dei, inquam, ipsius, qua possibile est homini, splendorem intendit, & sanctissimæ Trinitatis mysterium multis inaspectabile & inexplicabile firmiter aspexit & explicuit.

De quo Didymo minimè tacendum est Hieronymi eius discipuli elogium, in quo præferens eum sancto Ambrosio tanto Ecclesiæ Doctori, post nonnulla de hoc dicta, sic de illo: *Didymus verò meus, oculum habens sponsæ de cantico canticorum, & illa lumina, quæ in candentes segetes sublimari* IESVS *præcepit, procul altiùs intuetur, & antiquum morem nobis reddidit, vt videns vocetur propheta: Certè qui hunc legerit, latinorum furta cognoscet, & contemnet riuulos cùm cœperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, sed non scientia: apostolicum virum ex ipso sermone exprimens, tam sensuum nomine, quàm simplicitate verborum.* Didymi laus.
Ita Hieronymus de Didymo.

Hic igitur Didymus (vt ab illo ordiamur) de tota Trinitate bene sensit & scripsit, idemque testatur Origenem bene de illa scripsisse, igitur perquam probabile est Origenem non malè de Filio, nec peius de

 Spiritu

Spiritu sancto sensisse. Id enim procul dubio ille *Videns & oculos habens sponsæ de Cantico canticorum*, vidisset. Et sanè quid magis rationi consentaneum, quàm vt is qui magnas de summo mysterio difficultates potuit enodare, potuerit etiam præ quouis alio sensus verborum Origenis de eodem mysterio peruidere? & qui tenuit Filium æqualem Patri, possit etiam dignoscere, vtrum Origenes dixerit inæqualem? & qui Spiritum sanctum Patri & Filio parem & socium in diuinitate conscripsit, valeat discernere, an idem dixerit Origenes, an contrarium? Nam si contrarium; non defendisset Origenem, sed refutasset. Atqui teste Hieronymo illum defendit, & libros Origenis de principijs, vbi ista tractantur, commentarijs illustrauit.

*Didymus scripsit contra Arianos.* Deinde cùm de Filio & de Spiritu sancto eadem tenuerit Origeni, & duos libros ediderit aduersus Arianos, facile est colligere, quàm errent illi, qui Origenem Arij fontem appellant; & hoc ferè alij ex alijs, cùm tamen Origenis sententiæ de Filio & de Spiritu directè sint Ario contrariæ, non solùm ex Didymi testimonio, sed etiam Athanasij, & Pamphili, & aliorum qui eos secuti sunt plurimorum.

Iam Athanasius quoque, qui non solùm Hieronymo antiquior sed etiam contra Arij hæresim haud paullò fuit exercitatior, contendit Origenem non ab Arianis, sed aduersus Arianos stare ac depugnare. Exstant eius verba in libro de Synodi Nicænæ decretis, & ea græcè & Latinè posui suprà in elogijs Veterum de Origene, ante eius vitam. Sanctus Pamphilus verò Origenem ex ipso defendens Origene (qua defensione nulla est fortior) quosdam locos eiusdem profert Origenis ad Arianam confodiendam hæresim, longè aptissimos. Licet eos videre in eius pro Origene Apologetico sub initium.

Hi tres igitur inuicti athletæ stant pro Origene, quibus certè (absit verbo inuidia) nulli super hac quæstione adæquari possunt: & (quod plus est) ipse pro se Origenes locis saltem sedecim pugnat: quos locos ex eius scriptis collegi, & inter documenta post eius vitam suprà posui. E quibus potest quisque cognoscere, de singulis sanctissimæ Trinitatis personis quàm Catholicè senserit Origenes, & quàm sublimiter scripserit. A quo & discipuli eius sanctus Gregorius Thaumaturgus, & sanctus Dionysius Alexandrinus non pauca desumpserunt.

Et quia de doctore aliquo potest quadamtenùs partim ex eius magistris, partim ex discipulis coniectura fieri, atque cognosci qualis sit quæue doctrina ipsius, hinc non malè noster Bellarminus è B. Clemente Alexandrino, & è sancto Gregorio Thaumaturgo, quorum prior magister fuit Origenis, alter autem discipulus, non malè, inquam, colligit haud probabile esse, Origenem de sancta Trinitate errasse, de qua illi rectè senserint. Eius verba in libro primo de Christo, capite decimo sub medium

*Bellarminus Stat pro* sunt hæc: *Præterea magister Origenis Clemens, & discipulus Origenis*

Grego-

*Gregorius Thaumaturgus rectißimè de Trinitate sentiunt: quomodo igitur probabile est ipsum tam malè sensisse?* Origenis.

Deinde profert idem Bellarminus tres locos Origenis clarissimos pro recta eius fide: tum & alios sancti Gregorij Thaumaturgi, & sancti Dionysij Alexandrini eius discipulorum. Et quidem post locos Origenis ita subdit: *Hæc Origenes, quæ certè clarißima sunt*: quasi dicat, ac proinde pluris facienda, quàm omnia quæ ab aduersarijs afferuntur: quæ dubia scilicet sunt, aut obscura. Nam de quibusdam meritò dubitatur, an sint ipsius, cùm libri eius cœpti sint ipso viuente & conquerente, corrumpi: de nonnullis item alijs patet ob quandam obscuritatem, ab oforibus Origenis, aut à simplicioribus ingenijs; aut subinde etiam à magnis, sed leuiter percurrentibus, aut aliorum auctoritate motis, ea in deteriorem accepta partem esse, quæ poterant & debebant accipi & explicari in meliorem.

Nec dici potest latuisse Bellarminum ea, quæ contra Origenem attulerunt Epiphanius & Hieronymus, ille in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, hic in epistola ad Auitum: quandoquidem eorum nominatim meminerit, & propter alios Origenis locos nimis claros, defendenti Origenem Ruffino potiùs, quàm istis oppugnantibus assentiatur, simúlque blasphemias illas, quæ in scriptis Origenis reperiuntur, intrusas dicat ab Arianis. Postquam enim Bellarminus loco supra citato, contra malè sentientes de Filij diuinitate, sanctorum Patrum testimonia è duobus primis sæculis produxisset, veniens subinde ad tertium sæculum, illis opponit primo loco Origenem ita scribens: *Tertiæ ætatis habemus alios sex, ac primum Origenem &c.* Deinde occupans ac purgans quod obiici posset, ita prosequitur:

*Origenes*, inquit, *Clementis Alex. discipulus. habet quidem in suis scriptis apertißimas blasphemias contra* FILIVM DEI *&* SPIRITVM *sanctum, vt patet ex Epiphanio in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, & ex Hieronymo in epistola ad Auitum de erroribus Origenis; tamen valde credibile est insertos fuisse ab Arianis postea, vt Ruffinus docet in Apologia pro Origene. Nam inueniuntur etiam in scriptis eius sententiæ omnino Catholicæ, & Athanasius in epistola de decretis Nicænæ Synodi, citat Origenem contra Arianos: & addit Arianos nullum ex Veteribus pro suo errore afferre potuisse.* Ita Bellarminus. Qui rectè dicit istas blasphemias insertas postea. Nam si fuissent tempore sancti Athanasij, eas ipse sine dubio non ignotâsset, fuisséntque illi ab Arianis obiectæ. Eadem cum Bellarmino sentit Baronius tomo tertio, ad annum Christi trecentesimum quadragesimum quartum, Iulij Papæ octauum, vbi vindicat sanctum Dionysium Alexandrinum, & Origenem eius magistrum ab hæresi Ariana, cùm Eusebius Nicomediensis & Arius, corúmque

sectatores

Baron. pro Origene. sectatores citarent ipsos pro suis partibus. Verba Baronij sunt hæc: *Sed nec illud de Eusebianis & Arianis omittamus, ea quoque vsos arte ad stabiliendum suum ipsorum dogma impietatis, vt quos scissent antiquos clarissimos fuisse viros, eosdem suæ ipsorum hæresis falso adstruerent assertores: cum tamen constaret eos tanti sceleris fuisse maximè refragatores. Nam (vt prætermittamus dicere de magno illo Luciano, de quo fusius suprà actum est) Dionysium Episcopum Alexandrinum insignis cùm pietatis, tum etiam eruditionis virum, eadem cum ipsis sensisse turpiter mentiti sunt: quem Sanctus Athanasius scitè ab eorum calumnijs vindicauit. At ne Origeni quidem pepercerunt, quem hac ex parte catholicum, in suam ipsorum sententiam, repugnantem licet, adducere conati sunt: dum quæ aliquando ille disputando, vt assolet, in contrariam partem dixisset, illi vt ab Origene dictum citiùs arripuere: vt inuitum reluctantemque facerent Arianum. Quem Athanasius, hæc ipsa scribens, ab eorundem calumnijs reddit immunem.* Hactenus verba Baronij. Cum quibus concordat etiam Sixtus Senensis, cuius verba de corruptione librorum Origenis retuli suprà quæstione prima de Apologia Sancti Pamphili. His etiam consentit noster Ludouicus Molina in primam partem Diui Thomæ quæstione vigesima septima, articulo primo, disputatione prima, vbi sic scribit.

*Illud admonuerim, Pamphilum Martyrem in Apologia pro Origene, quæ habetur ad finem primi tomi operum Origenis, multis adductis testimonijs ex operibus illius, conari vindicare eum ab errore, quem Epiphanius, & Augustinus Epiphanium secutus illi attribuunt: nec sine specie maxima probabilitatis, cùm testimonia citet, in quibus contrarium docuit Origenes: & tam Pamphilus, quàm Ruffinus contendant errores multos insertos fuisse operibus Origenis ab illius aduersarijs.*

Hactenus bene: in his autem quæ subiungit, perperam argumentum contra Origenem sumit, vnde eius poterat ac debebat sumere defensionem. Quod enim Origenes Filium Dei æternum vocauerit, *vaporem substantiæ Patris* hoc reprehendit Molina, sed Origenes id fecit, vt ostenderet Filium eiusdem esse substantiæ cum Patre, & quidem Sapient 7. v. 25. quod dixit, non à se dixit, sed è capite septimo Sapientiæ, versu vigesimo quinto, vbi sic habetur: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.*

Quem locum si attendisset, aut in memoria habuisset idem noster Molina, certè vt hîc & alibi conatus est Origenem tueri ac defendere, ita & hîc totum negotium confecisset: nunc autem periodus illa quam subiecit, ex dimidia quidem parte optima est, ex altera autem quæ incipit à voce *Nihilominus*, necessariò est corrigenda, aut omittenda. Ponam hîc totam Molinæ periodum, quæ est talis:

*At certè*, inquit, *licet ex testimonijs, quæ Pamphilus citat, constet Orige-*

nem

*nem asseruisse Filium esse coaeternum & consubstantialem Patri, neque esse à Patre productum de nihilo, atque adeò nec creatum, sed esse de substantia Patris: nihilominus, si quidē rectè testimonia expendantur, redolere videntur Filium non ea ratione consubstantialem esse Patri, quasi eadem numero natura sit in vtroque, sed potiùs quasi filius sit tanquam vapor de substantia Patris exhalatus: quod error est in fide.* Sic ille.

Atqui tantùm abest, vt id quod dixit Origenes, sit error in fide, vt potiùs sit veritas fidei, cùm non à se, sed à Scriptura id protulerit. Quàm vellem porrò, vt noster Molina caput secundum libri primi περὶ ἀρχῶν Origenis, quod totum est de Christo, legisset attentiùs: inuenisset profectò, quàm bene & quàm subtiliter de æterna eius generatione scripserit.

Ibi enim sic inter alia: *Inuenimus*, inquit, *nihilominus etiam in Sapientia quæ dicitur Salomonis, descriptionem quandam de Dei Sapientia hoc modo scriptam: Vapor est enim*, inquit, *virtutis Dei & aporrhœa omnipotentis purissima. Ideo in eam nihil commaculatum incidere potest. Splendor enim est lucis æternæ, & speculum immaculatum operationis Dei, & imago bonitatis eius. Sapientiam verò dicimus, sicut suprà diximus, subsistentiam habentem non alibi, nisi in Deo, qui est initium omnium, ex quo nata est quæque sapientia: quia ipse est solus natura filius: idcirco & vnigenitus dicitur.* Sap. 7. 25.

Deinde paullò pòst explicat idem Origenes illum Sapientiæ locum fusiùs, citàtque eam explicationem & prædicat noster Cornelius à lapide, qui & quatuor vaporis proprietates accommodat æternę Sapientiæ: quarum prima est, quòd vapor eiusdem naturæ sit cum ea re, è qua euaporatur, vt docet Aristoteles in Problem. sect. 13. Vide illas proprietates apud ipsum Cornelium, in commentario ad caput septimum Sapientiæ. Vbi & alios Patres paria Origeni scribentes citat.

Ex hoc autem Sapientiæ loco conuincitur illorum error, qui dicunt Origenem è Platone sumpsisse hanc de vapore applicationem FILIO DEI, cùm ipse Plato à Salomone eam didicerit, vti & alia multa è libris Sacris, quemadmodum ostendi ad vitam sancti Iustini Philosophi & Martyris, tomo 2. Illustrium ecclesiæ Orientalis Scriptorum. Et de vapore ostendit Cornelius loco suprà citato. *Origenes nō Platonē, sed Scripturam sacram secutus est.*

Porrò quod in vulgata Latina editione est: *& emanatio*, Græcè in Septuaginta, quos semper sequitur Origenes, habetur ἀπόῤῥοια, quod propriè est *defluxus*, & tam bene de Filio dici potest, quàm fluuius à fonte defluens, qui fons est Pater. Nam & fontem eū appellat magnus ille Dionysius Areopagita, libro de diuinis nominibus, capite secundo his verbis: Μόνη δὲ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ, πατὴρ οὐκ ὄντος υἱοῦ τοῦ πατρός, οὐδὲ πατρὸς τοῦ υἱοῦ. *Solus fons superessentialis diuinitatis est Pater*,

*ita vt Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater.* Et infrà ibidem.

Ὅτι μὲν ἐστι πηγαία θεότης ὁ πατὴρ, ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων παρειλήφαμεν.

*Quòd Pater sit fontana diuinitas, IESVS autem & Spiritus sint Deigenæ diuinitatis (si fas sit ita loqui) germina à Deo producta, & quasi flores ac lumina superessentialia, à sacris eloquijs accepimus.* Sic Areopagita.

Iam verò cùm sanctus Dionysius Alexãdrinus Origenis discipulus, eadem de Trinitate docuisset, & iisdem propè verbis atque Origenes, proptereáque, simili qua Magister eius premeretur calumnia, eum defensurus sanctus Athanasius, nihil melius, nec satius esse iudicauit, quàm vt sanctum imitaretur Pamphilum, & vt hic pro Origene Magistro, sic ipse pro Dionysio eius discipulo depugnans, non alijs vteretur armis, quàm ipsiusmet Dionysij scriptis.

Igitur epistolam scripsit de sententia Dionysij contra Arianos, in qua epistola dicit Dionysium in suis epistolis cõtra Sabellij errorem scriptis, vocasse Christum è sacris litteris *Verbum, Sapientiam, Virtutem, Vaporem, Splendorémque Patris.* Et rursus infrà producens hæc Dionysij verba: *Deus autem æterna lux est, quæ nunquam incepit, nec vnquam desinet: quapropter & æternus splendor illi adiacet, & cum illo est, nunquam inchoatus, semper genitus, ex ipso promicans:* ita continenter subdit Athanasius:

*Ideo par est, vt nemo prorsus de illo malè suspicetur. Nam exempla de fonte & fluuio, de radice & germine, de spiritu & vapore patefaciunt* CHRISTI *hostes, contrarios de illo rumusculos spargentes.* Sic ille.

*Theognostus scriptor laudatus.* Citat prætcrea idem Athanasius Theognostum, virum disertum, idem sentientem, dum in libro de decretis Nicænæ synodi versus finem sic ait: *Discite igitur nunc Christo rebelles Ariani Theognostum, virum disertum, non abhorruisse ab his vocibus,* ex substantia.

Scribens enim de Filio in secundo hypotyposeon ita locutus est:

*Non extrinsecus, seu è rebus extraneis Filij substantia constat, neque ex non entibus producitur, sed ex Patris substantia ita progenitus est, vt à luce iubar, vt ex aqua vapor. Neque enim vapor id ipsum est, quod aqua; neque iubar id ipsum, quod sol: non alienum tamen, sed emanatio substantiæ Patris.* &c.

Approbat igitur Athanasius Patrem comparari cùm fonte, Filium cum fluuio: & iterum Patrem cum radice, Filium cum germine: & rursus Patrem cum spiritu, Filium cum vapore. Atque ita vox *vapor,* quæ nostrum Molinam abstrahebat à sententia Origenis, cùm à sancto Dionysio Alexandrino, & à sancto Athanasio approbata sit, immo & à sacra Scriptura, debet ipsum illi adiungere.

*Ludouicus Molina excusatur.*

Nec

Nec est nouum, magnos viros vel ex obliuione, vel ex aliqua circa aliud distractione, etiam in rebus Scripturæ, multóque magis in vocibus, interdum labi.

Lubet hîc enimuero vnam eiusdem Athanasij interrogatiunculam in extrema illa quam nunc citauimus epistola pro Dionysio productam (propterea quòd valde conformis sit illi S. Pamphili Martyris, quam pro Origene suprà attulimus) in medio ponere, quæ est huiusmodi: *Cum igitur ita res habeat, Dionysiúsque ex suis scriptis pius & religiosus appareat, quid facient de reliquo Ariomanitæ?* *Scriptores sua scripta efficaciter defendant.*

Pro Dionysio Origenes, pro Ariomanitis poni possunt Origenomachi, illi scilicet quos sanctus Pamphilus ex scriptis Origenis redarguit falsitatis. Quàm enim pius ac religiosus fuerit Origenes; partim in *Virtutibus* suprà titulo *Pietas*, partim in documentis liquidò ostendimus.

Iam vt ad obiecta Origeni ab Hieronymo reuertamur, quorum duo prima erant, Origenem malè sensisse de Filio, & peiùs de Spiritu sancto, nullam quidem ibi subiecit probationem Hieronymus, neque locum vbi ea sensisset Origenes designauit, sed probabile est è libris *περὶ ἀρχῶν* siue *De principijs*, occasionem id dicendi desumpsisse. Nam in epistola ad Auitum, quam scripsit annis decem post ortam de Origene cum Ruffino, propter versionem istorum librorum, discordiam, multos ex illis libris per Arianos corruptis coaceruauit errores, quos cauendos admonuit, inter quos hi primi recensentur: FILIVM DEI *non natum sed factum: Deum Patrem per naturam inuisibilem, etiam à Filio non videri*, & alia hîs similia. *Errores præcipui falsò Origeni attributi.*

Verùm his omnibus è libro corruptissimo productis, factum satis videtur (quantum quidem ad sanctissimæ Trinitatis mysterium attinet) è sedecim septemdecimúe locis, quos claros & minimè dubios produxi suprà in documentis, titulo *sanctissima Trinitas.* Deinde ex Apologijs sancti Pamphili, Eusebij, Ruffini, & aliorum. Quin & solius Athanasij testimonium, negantis Origenem quicquam habere quod faueat Arianis, immo docentis ac probantis illum ipsis esse contrarium, sufficere deberet ad conuincendum illas propositiones Arianas tempore Athanasij non fuisse in Origene. Nec enim si fuissent, latere eum potuissent, seu Arianis obijcientibus, seu ipsomet deprehendente.

Quo itidem Athanasio Origenis protectore collabascit istud vulgariter receptum, *Origenem esse fontem Arij:* Quod primum vsurpari cœptum est quarto sæculo, & post Athanasij tempora, & quidem ex occasione inimicitiarum inter primos viros exortarum: quando scilicet Epiphanius admodum senex & inde obliuiosus, contra Nicæni Cōcilij statuta Paullinianum Hieronymi fratrem in diœcesi nō sua, sed Ioannis Hierosolymi- *An Origenes fons Arij?*



tanj,

tani, & quidem inuitum ac reluctantem, ore obturato, ne consecranti malediceret, consecrauit. Quam consecrationem se inscio factam in sua diœcesi peragrè tulit ac reprobauit idem Ioannes, & facti indignitatem acerbiùs diuulgauit: quin & Hieronymum eam consecrationem pertinaciùs defendentem excommunicauit. Hinc ambo aduersus Ioannem exacerbati, eum tanquam Origenistam voce & scriptis perstrinxerunt, qui tamen Ioannes, sanctus ab alijs habebatur. Theophilus item Alexandrinus ex occasione odij aduersus Isidorum Presbyterum & monachum, virum aliàs bonum, & quem ipse Theophilus in episcopatum Constantinopolitanum præcluso Ioanne Chrysostomo intrudere tentauerat, sed præualentibus Chrysostomi fautoribus non quiuerat, ex occasione, inquam, superuenientis odij haud tamen iusti, vt est præstantiorum opinio, & nominatim sancti Isidori Pelusiotæ, qui à Chrysostomo contra eundem Theophilum stetit, occasionem & prætextum persequendi, atque vexandi tam illum, quàm alios Ægypti monachos cepit, quòd eos Origenistas esse diuulgaret. Et quia propter dignitatem Patriarchæ, magni erat nominis & auctoritatis, impetrata ab Imperatore militum manu, multos è solitudine sua exegit, non paucos occidit, omnes perturbauit. Quin & ipsum Chrysostomum, quòd aliquos ex istis monachis hospites admisisset, & quòd Origenem condemnare nollet, in exilium expulit: librúmque infamem contra eum scripsit, & quo longiùs latiúsque spargeretur, ab Hieronymo vt latinè verteret (nam ipse scripserat græcè) impetrauit. Accessit deinde inter matronas quasdam Romanas æmulatio propter Hieronymum & Ruffinum, & ex leui causa magnum incendium. Quod Augustinus admirans ac deplorans (fuerant enim Hieronymus & Ruffinus inter se antea amicissimi) & medium inter illos se habens, nihil non fecit, vt eos reconciliaret, sed nihil effecit. Caussa porrò dissidij hæc fuit: Ruffinus rogatu Macarij nobilis Romani & Scriptoris ecclesiastici., vertit libros Origenis de principijs in latinum, laudauitque in præfatione Hieronymum, quòd eiusdem Origenis libros complures bene vertisset, seque illum sibi proposuisse imitandum professus, aliquos errores sustulit, quos credebat intrusos; aliquos reliquit, quos existimabat ipsius, sed materiales tantùm (vt Theologi loquuntur) existimans se hoc pacto fideliùs implere partes interpretis, si illos relinqueret. Quidam igitur Romanorum, & spectata quædam cum illis matrona, qui debuissent ex charitate Ruffinum de errore, si quis esset, admonere, illo prætermisso ad Hieronymum in Palæstina demorantem scripserunt, eúmque conta Ruffinum & eius interpretationem, & simul contra Origenem, quem nimis antehac & plus omnibus eum amantibus amabat Hieronymus, incenderunt. *Hinc illæ lacrymæ.*

Ex illo enim grauissimæ inimicitię, Hieronymus circumquaque *conqueri* de Ruf-

de Ruffino, Ruffinus quoque de Hieronymo, & alter alterum scriptis impetere apologijs. Sic enim sua ambo scripta indigitarunt.

Ita factum est, quemadmodum in inimicitijs assolet, vt & dicta & scripta illorum in deteriorem partem vtrimque sumerentur.

Cùm ergo illa in tempestate, contra Origenem ex causis inimicitiarum iam allatis, toti ferrentur Hieronymus, Epiphanius, Theophilus; quidquid ab Arianis in Origene corruptum fuit, facilè locum apud illos inuenit.

Hinc licet Origenes plurimis in locis, quos videre est suprà in Documentis, doceat Filium vnius eiusdemque naturæ esse cum Patre, & natum ex Patre, tamen legitur apud Epiphanium hæresi sexagesima quarta, Origenem dixisse, Filium Dei esse factum: & hoc ibi probatur ex ijs quæ scripsit Origenes in primum psalmum, ad finem præfationis, vbi has voces de Saluatore nostro ac Pontifice vsurpauit γεννητὸν θεὸν, quas noster Petauius latinè reddidit, *genitum Deum*, non malè profectò re simpliciter spectata, sed tamen haud ad sensum Epiphanij, qui per γεννητὸν dicit Origenem intellexisse κτιστὸν id est, *creatum*, aut ποιητὸν *factum*. Nam si voluisset dicere Deum natum, non dixisset γενητὸν sed γεννητὸν per elementum ν geminatum, quod significat *genitum*: & contra id quod opponi posset γενητὸν per simplex elementum ν etiam significare genitum, sic respondet Epiphanius, vel quisquis hæc scripsit sub nomine Epiphanij:

*Si ab alio* inquit, *quàm ab Origene vsurpata esset illa vox: posset bono sensu rectâque intelligentia accipi, sed quandoquidem in multis locis eum reperiamus vnigenitum Deum à Patris deitate & essentia segregare, sicut & Spiritum sanctum; hinc manifestum est eum dixisse γεννητὸν θεὸν, quod definiret esse creatum*. Sic ille.

Nullum autem profert locum, vbi segregarit à Patris essentia Filium & Spiritum sanctum: ego autem suprà in Documẽtis titulo *Trinitas sanctissima*, complures locos protuli, eósque clarissimos, vbi coniunxit. Nam vbi personas videtur seiunxisse, non essentia seiunxit, sed proprietatibus, nempe quòd omnipotentia Patri, sapientia Filio, sanctificatio Spiritui sancto, & quædam his similia illis singillatim attribuantur.

Ex his verbis quoque contra Origenem allatis, id datur intelligi, de Filio nunquam dixisse κτιστὸν *creatum*, nec ποιητὸν *factum*. Si enim dixisset hæc Origenes, accepta essent ipsa potiùs, quàm nomen γεννητὸν, de cuius scriptione & significatione pronum est disceptare ac dicere, meliora Origenis exemplaria SS. Pamphili & Athanasij habere γεννητὸν & non γενητὸν. Deinde potest quoque afferri Origenem in Scriptura sacra versatissimum eo verbo vsum, quod in ea repererit, nempe γεννητὸν id est, *genitum, natum*, non autem eo, quòd nusquam in ea reperitur: sed neque apud antiquos auctores probos, qui ante Origenem aut sub eius tempore vixerint: immo

nec apud vllos ferè Lexicographos, cùm & Polluci & Hesychio & Suidæ & Stephano ignota sit. Vox autem γεννητὸς .i. *natus, genitus*, & verbum itidē γεννάω *genero*, sint in vsu frequentissimo.

Hinc Matthæi 11. vers. 11. & Lucæ 7. ver. 8, quod de Ioanne Baptista dicitur: *inter natos mulierum*, vtrobique græcè est: ἐν γεννητοῖς γυναικῶν. Inde & illud primæ Petri 2. vers. 2. Ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη. *Sicut modò geniti infantes*. Negari ergo potest ab Origene scriptum esse γενητὸν, quandoquidem ea vox inusitata fuerit, & fortè Arij temporibus primùm inuenta, sed γεννητὸν.

Secundò. Etiamsi daretur, Origenem scripsisse γενητὸν, negaretur ibi significare κτιστὸν id est *creatum ex nihilo*, sed potiùs significare *genitum* vt patet ex Apologia sancti Pamphili paullò post mediū, vbi expresè probat Origenem dixisse filium ex Deo Patre natum, pluribus locis ex eo citatis. Sed benè accidit, quòd ipsa Origenis verba græca ab aduersarijs eius producta sint ( sæpe enim omittuntur, & tantùm affertur eorum voluntaria interpretatio, vel violentia consequentia ) vt ex ipsis ostendi possit & doctrinæ Origenis sinceritas, & aduersariorum illâ abutentium obliquitas.

Nec enim Epiphanij illa esse putó, ob illas quas breui pòst afferā rationes, sed vecordis alicuius Origenomachi, non sapiētis quæ Dei sunt. Nam post Origenis in psalmos præfationem plenam timoris Dei & humilitatis ac pietatis, ( vt illic apud Epiphanium videri & diiudicari potest ) ita ad illum arguendum insurgit:

*Aduersus arrogantem hunc hominem*, inquit, *& opinione sui inflatum, eorumque quæ inuestigari nequeunt scrutatorem, qui cælos ipsos prætergressus est, quique ineptissima loquacitate orbem terrarum impleuit, quemadmodum nobis longè præstantior alius in illum antea dixit, prima de genito Deo tractanda disputatio est* &c. Sic ille.

Verba autem ipsius Origenis, quæ huc pertinent, & in quibus continetur verbum illud γενητὸν quod reprehenditur, græcè ponam, vt qui græcè nōrunt, iudicent, an quidquam in illis reprehendendum sit, siue γενητὸν dixerit, siue γεννητόν.

## Verba Origenis:

Ἀξιοῦμεν τοίνυν, ἐπεὶ μηδὲν χωρὶς Θεοῦ καλὸν εἶναι δύναται, καὶ μάλιστα νόησις γραφῶν θεοπνεύστων, ὅπως τῷ πατρὶ τῶν ὅλων Θεῷ διὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν καὶ ἀρχιερέως γενητοῦ Θεοῦ προσιέναι, αἰτήσεις δυνηθῶμεν ἡμῖν, πρῶτον καλῶς ζητεῖν δίκειται γὰρ τοῖς ζητοῦσιν ἐπαγγελία τοῦ εὑρίσκειν, &c. Sic citatur apud Epiphanium. Et hic est sensus:

*Obsecramus igitur ( quandoquidem absque Deo nihil boni esse possit, nedum*

*nedum Scripturarum à Deo inspiratarum intelligentia ) vt ad Patrem vniuersorum Deum adeas rogaturus per nostrum Saluatorem & Pontificem, genitum Deum, vt det nobis primò rectè quærere : cùm quærentibus promissum sit fore, vt inueniant, &c.*

Quis non videt hanc quoque interpretationem, etiamsi γεννητὸν legatur, bonam esse? Sic enim ab eodem verbo γίνομαι fit μονογενὴς *vnigenitus*, quo vtitur tum alibi, tum homilia octaua, in cap. vigesimo quarto Numerorum, vt hîc infrà videre est, inter locos Origenis, *quòd Filius videat Patrem*. Qui autem vocat *Vnigenitum*, non vocat *factum*, non *creatum*, sed *genitum*. Et qui sæpe vocat eiusdem substantiæ cum Patre, non dicit *factum*, nec *creatum*, sed *genitum*.

At quid differo sancti Athanasij, qui instar multorum est, inuictam proferre auctoritatem? Is enim defendens sanctum Dionysium Alexandrinum, eâdemque operâ magistrum eius Origenem ( vtriusque enim eadem erat causa & accusatio : quòd scilicet quibusdam vsi essent vocibus, quibus solum Patrem videbantur infectum appellare, cetera autem omnia præter illum esse facta ) illos, inquam, defendens, docet ante Arij tempora antiquos Patres vsurpasse has voces ἀγένητον καὶ γενητὸν ( quæ propriè significant infectum & factum, siue improductum & productum ) vsurpasse, inquam, in latiori significatione ita vt ἀγένητον dicerent, quod nullo prorsus modo productum est, seu quod caret omni principio, atque hoc modo solum Patrem rectè dici ἀγένητον: quandoquidem Filius & Spiritus sanctus habeant sui principium, Filius Patrem, Spiritus sanctus Patrem & Filium, γενητὸν autem tribuerent Filio & Spiritui sancto, quia haberent principium, & producti essent, vnus per æternam generationem, alter per spirationem æternam: ac proinde longè alio modo, quàm res creatæ. Atque ita vsum istis vocibus magnum Ignatium Martyrem Apostolorum discipulum, positis in medio eius verbis probat, itemque post illum alios, etsi aliquâ inter ipsos diuersitate, sic vsos. Verba Athanasij referentis auctoritatem Ignatij in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ sub finem, sunt hæc:

*Ignatius igitur post Apostolos Antiochiæ Præsul & Martyr Christi, in scriptis suis de Domino ita locutus est:*

Εἷς ἰατρός ἐστι, σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, γενητὸς καὶ ἀγένητος, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ.

*Vnus medicus est corporalis & spiritualis, factus & non factus, in homine Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo.*

*Quidam porrò post Ignatium Magistri, etiam ipsi scribunt:*

Ἓν τὸ ἀγένητον ὁ Πατὴρ, καὶ εἷς ὁ ἐξ αὐτοῦ υἱὸς γνήσιος, γέννημα ἀληθινὸν, λόγος καὶ Σοφία τοῦ Πατρός.

*Vnum improductum est Pater, & vnus ex eo Filius genuinus, germen verum, Verbum & Sapientia Patris.*

Hæc ibi Athanasius. Qui & paullo pòst diuersitatem loquendi inter sanctos Patres excusans, ita subdit: *Quòd si eorum fidem in Christo cognoscentes, persuasum habemus, beatum Ignatium rectè scripsisse, cùm Christum dixit* γεννητὸν *id est factum, propter carnē (Christus enim caro factus est)* & ἀγέννητον id est, *infectum, eò quòd non sit creatura, seu aliquid rerum factarum, sed Filius ex Patre: & si itidem scimus eos qui dixerunt vnicum esse* ἀγέννητον, *infectum, intelligendo Patrem, non eo animo scripsisse, quasi verbum esset factum, & opus aliquod creatum, sed potiùs vt ostenderent Patrem non habere sui causam, seu* τὸν αἴτιον *auctorem, sed ipsum potiùs esse Patrem Sapientiæ, & omnia quæ facta sunt, fecisse in Sapientia: cur non & Patres nostros, tam qui Paullum Samosatensem subuerterunt, quàm qui de Ariana hæresi trophæum erexerunt, in vnam pietatem ac religionem copulamus?*

In hoc autem tendit arcum suum Athanasius, vt cùm de bono sensu sanctorum Patrum constet, non digladiandum sit de vocibus. Ac proinde cùm Origenes ac sanctus Dionysius eius discipulus, è locis plurimis claris ac euidentibus ostendantur optimè tam de Patre quàm de Filio ac de Spiritu sensisse; frustra eorum aduersarij de verbulis γεννητὸν & ἀγέννητον aërem verberant.

Nota hîc in testimonio Ignatij suprà allato, Interpretem malè has voces γεννητὸν & ἀγέννητον reddidisse per *genitum & ingenitum* (licet aliquando sic verti possint) quandoquidem ambæ voces de vno Christo hîc dicantur, cui non conuenit nomen *ingeniti*, cùm etiam vt Deus, verè sit genitus ex Patre: quare vertendum fuit, *infectum*: vti est apud sanctum Irenæum libro secundo capite quarto, qui eam vocem tribuit Verbo. Verbum enim est infectum, siue *non factum*, non autem dici potest *ingenitum*.

Deinde in altero aliorum Patrum testimonio, perperam quoque istud Ἓν τὸ ἀγέννητον ὁ Πατὴρ, reddidit: *vnus ingenitus est Pater*. Nec enim solus Pater est ingenitus, sed etiam Spiritus sanctus.

Vertendum autem esse, vt verti, patet è subiecta explicatione sancti Athanasij, qui dicit Patrem vocari ἀγέννητον, quòd non habeat causam seu principium sui. Solus enim Pater à nullo fit, siue à nullo producitur, ideóque infectus ab illis Patribus dicitur. Ab Ignatio autem & Irenæo suprà citatis tribui etiam ἀγέννητος *Filio*, quòd non factus sit, eo modo scilicet quo res creatæ, cùm sit æternus. Verba Irenæi loco antè dicto sunt hæc: *Non enim infectus es, ô homo, neque semper coëxistebas Deo, sicut proprium eius Verbum. Quod scilicet infectum est, & semper coëxistit Patri.* Vide earundem vocum diuersas acceptiones apud eundem Athanasium,

partim

partim oratione secunda contra Arianos sub medium, vbi habet plurima, partim in libro, De Decretis Nicænæ Synodi sub finem.

Ex quibus omnibus antehac allatis colligitur vocem γεννητὸν interdum capi pro *factum more creaturarum*, modò latiùs, vt etiam significet *genitum, siue ex Deo, siue ex hominibus*, similitérque ἀγέννητον aliquando *non factum*, more creaturarum; & aliquando, *non genitum, nec vllo modo factum.*

Atque vt ad Epiphanium redeamus, satis videtur ex his patere locum Origenis ab illo citatum contra Origenem (si tamen ab illo & non potiùs ab alio qui ista addiderit.) nullam vim habere: quandoquidem Origenes locutus sit, sicut alij ante ipsum sancti Patres.

Cur autem in libros Epiphanij de hæresibus multa existimem alienâ manu iniecta esse, duabus potissimè de causis moueor: vnâ quidem, quòd sanctus Augustinus, qui istorum librorum fecit compendium, neget Epiphanium aliquid in illis disputasse contra falsitatem: altera verò, quòd ipsemet Epiphanius in libri primi exordio profiteatur, se ita hæreses, earúmque origines & dogmata descripturum, vt tantùm paucis vnóque & altero verbo contradicat, venenoque remedium opponat.

Verba porrò sancti Augustini in libro de Hæresibus ad *Quod vult Deum*, in ipsa præfatione, vbi cum Celso quodam (qui Philosophorum sectas omnes vsque ad sua tempora libris sex breuissimè comprehenderat) Epiphanium in simili argumento comparat, sunt hæc: *Noster verò Epiphanius, Cyprius Episcopus, abhinc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnes: nulla disputatione aduersus falsitatem pro veritate decertans. Breues sanè sunt libelli, & si in vnum libellum redigantur, nec ipse erit nostris vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Huius breuitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quid à me breuiùs postulare vel exspectare debeas, non habebis.* Ita Augustinus. At nunc reperiuntur disputationes multæ & longæ, nec hoc tantùm, sed & vanæ quædam ac superuacaneæ, dum attribuuntur aliquibus ea quæ non conueniunt, & probantur quæ non negantur: vti fit hîc apud Epiphanium (vt nunc quidem eum habemus) dum in hæresi 64 post citatam Methodij longissimam disputationem, ipse quoque auctor pro vno atque altero verbulo (vt professus est Epiphanius) aliquot magnis folijs probat resurrectionem corporum, quam non negauit Origenes, sed teste sancto Pamphilo bonis rationibus (quas suprà posui in documentis, titulo Resurrectio) comprobauit.

Arbitratur tamen Dionysius Petauius omnia ista esse Epiphanij,

& de auctoritate sancti Augustini non laborans, videtur in suis ad hæresim sexagesimam quartam animaduersionibus existimare luculentum illud opus Epiphanij contra hæreses ab Augustino lectum non esse, & hoc posterius quidem meritò. Legit tamen illud quod viuente Epiphanio editum fuit: siquidem paullò post eius mortem illud habuit, & inde excerpsit ea, quæ ad *Quod vult Deum* misit. Illud autem opus non habebat ea, quæ hoc opus luculentum habet: sed certum est Epiphanium fecisse illud prius sex constans libellis, & probabile est quempiam ex eius discipulis aut clericis, seu ipsius, seu proprio motu, plurimum adauxisse, multa hîc & illîc ineptè inserciendo, ac tale demum effecisse quale nunc est, multis abundans contra historiæ veritatem erratis, & pluribus passim turgens maledictis. Nullos habet Origenianos sanctus Philastrius Brixiensis Episcopus, qui eodem cum Epiphanio tempore omnes collegit hæreses. Nullos habet Origenianos beatus Theodoretus, etsi posterior Epiphanio, & maiori vsus in ijs colligendis (quod nemo negare potest) iudicio. Denique ante illam inimicitiarum tempestatem quam suprà attigi, maximè florebat in Ecclesia nomen Origenis, ipso confitente Hieronymo, vnusque fermè in omnium ore erat, atque à sanctis viris maximè prædicabatur, (vt videre est in elogijs ante eius vitam suprà positis) & libri eius ab ijsdem in latinum vertebantur, & hoc vt sanctus quoque faceret Hieronymus, à S. Augustino, & ab omni Africanarum ecclesiarum studiosa societate, eodem teste Augustino, poscebatur. Quod euidenti argumento est, à nemine hactenus pro hæretico habitum Origenem, neque dum ab ipsomet Epiphanio, sed demum post illas, quas dixi, inimicitias, in ætate decrepita. Tunc enim Constantinopolim contra sanctum Ioannem Chrysostomum, quem persuasus erat esse hæreticum Origenistam, aduenit, & contra Origenem centum retro annis præclarè mortuum, ab Episcopis qui conuenerant, suffragia emendicauit, donec ad sanctum Theotimum vrbis Toniorum in Scythia Episcopum peruenit, virum doctum, & adeò sanctum, adeóque potentem miraculorum, vt propter eorum multitudinem ac magnitudinem Deus Romanorum à Barbaris appellaretur. Ad eum enim vt peruenit, rogauitque vt Origenem librósque eius condemnaret, fortiter ab illo repulsus est, cum huiusmodi sapientibus atque efficacibus verbis: *Ego,* inquit, *Epiphani neque virum iam olim præclarè mortuum contumelia afficere volo, neque facinus tam blasphemum aggredi audeo, vt eos condemnem libros, quos maiores nostri neutiquam condemnarunt.*

Coëgerat illud concilium Theophilus Alexandrinus, qui postea propter illa quæ in Chrysostomum & in Monachos indignè perpetrauit, ab Innocentio primo, Pontifice maximo excommunicatus fuit.

Iam

Iam ad alia duo venio, propter quæ videri aliquibus posset verum esse, quod suprà obiectum est ab Hieronymo, *Origenem malè sensisse de Filio & peiùs de Spiritu Sancto.*

§. 2.

Vnum est, quòd feratur Origenes in libro de principijs docuisse, Patrem non videri à Filio, nec Filium à Spiritu sancto. *An docuerit Origenes Patrem non videri à Filio?*

Alterum, quòd duos Seraphim, qui describuntur apud Esaiam c. 6. dixerit esse Filium & Spiritum sanctum.

Hæc igitur duo, quæ à plurimis tanquam ingentes blasphemiæ reputantur, & propter quæ multi condemnatum Origenem volunt, ostendam cum Dei gratia, sic ab illo dicta esse, vt prius optimo sensu dictum sit, & posterius maximè pio, tantum abest, vt nefando.

Ad prius ergo quod attinet, dico videre Patrem & videre Filium duobus modis accipi posse: vno quidem pro videre oculis corporeis, & more humano mortalique cernere: altero, pro videre oculis mentis, siue intellectu cognoscere. Quæro iam vtro modo asserant Origenem accepisse, cùm dixit filium non videre Patrem, nec Spiritum sanctum videre filium? Si enim dicant Origenem intellexisse de oculis corporeis, sicut verè intellexit; quid habent quod reprehendant? an non enim verum est Filium non videre Patrem oculis corporeis? An non similiter verum est Spiritum sanctum non videre Filium oculis corporeis? Qui enim aliter sentit, is Deum facit corporeum, & hæreticus est. Quòd si ad alterum recurrant, ac dicant Origenem sensisse Filium non videre Patrem, hoc est, non cognoscere: nobis in promptu est eos redarguere falsitatis. Vndenam? ex ipsiusmet scriptis Origenis (quo nullum est, vt sæpe dixi, & sæpiùs dicendum est, fortius argumentum) ex ipsiusmet, inquam, scriptis, non vno loco, nec pluribus, sed plurimis. Quod si fecero, et si ipsi vnicum dumtaxat locum pro se afferre potuerint, eúmque & obscurum; quis dubitare potest, quin sex loci clarissimi præualere vnico obscuro debeant. Certè nullus est Scriptor, qui sanam doctrinam sex septémue locis clarissimis probatam, vnico in & speciem dumtaxat contrario patiatur condemnari. Hinc in more habent Doctores Theologi, vt si in sanctis Patribus vnum quempiam locum reperiant obscurum, qui videatur catholicæ doctrinæ aliquo modo contrarius, multos autem claros eidem oppositos; hoc, inquam, habent in more, vt conentur vnum illum obscurum ad multos claros attrahere, non autem hos ad illum. *Videre Pat.*

Iam autem cùm velint aduersarij Origenis, illum eius locum intelligi, non de visione corporea, sed de cognitione mentis atque intelligentiæ, quasi dicat Origenes Filium non cognoscere Patrem, petitur vt vnum alium locum exhibeant, quo idem dicat: nullum enim à tempore Hieronymi reperire potuerunt, immo nec ipsemet Hieronymus, postulante

lante id Ruffino, reperire vllum vsquã potuit. Atqui in contrarium, quòd scilicet Origenes tenuerit ac docuerit Filium cognoscere Patrem, & Spiritum sanctum itidem cognoscere Filium & Patrem, multos habemus locos eius producere, & quidem clarissimos.

Loci Origenis, quòd Filius videat Patrē, idest, cognoscat.

1. Locus. Locus primus erit ex homilia octaua in caput vigesimum quartum Numerorum, ad ista verba: *Consilium tibi do*, vbi sic scribit: *Requirenti sanè mihi, sicubi fortè in Scripturis diuinis sub hoc sermone simile aliquod dictum posset occurrere, visum est similiter & illud aduertendum, quod Apostolus ait* · Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis ei consiliarius fuit? *Hic enim quis non pro nullo, sed pro raro vel eximio habetur. Quomodo enim non cognouit sensum Domini vnigenitus suus, qui dicit? Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Quid est ergo aliud scire Patrem, nisi scire & consilium eius & sensum* &c. Ita Origenes. vide ibi plura, vbi & eandem cognitionem tribuit Spiritui sancto.

2. Locus secundus è prologo commentarij in canticum canticorum, *Sed sciendum est*, inquit, *tam multa esse, quæ dici debeant de hac Charitate, quanta & de Deo. Nemo enim scit Patrem nisi Filius* &c. vide in Documentis, titulo *Trinitas Sanctissima*.

3. Locus tertius, isque pulcherimus est ex homilia tertia in idem canticum, vbi comparatur sponsus capreæ, quæ caprea est acutissimi visus. *Et quis est*, inquit, *qui ita videat, vt videt Christus? Solus enim est qui videt, id est, agnoscit Patrem. Nam etsi dicantur hi qui mundo sunt corde Deum visuri, videbunt ipso sine dubio reuelante: quia & caprea habet in natura sua, vt non solùm videat ipsa & perspiciat acutissimè, sed vt & alijs visum præbeat, &c.* quæ vide in citatis modò Documentis, vbi multò plura huc spectantia reperientur.

4. Locus quartus è tomo secundo in Ioannem, vbi ita de Filio: *Quod verbum in sinu Patris requiescens annuntiat Deum, quem nemo vidit vnquam; & reuelat Patrem (quem nemo cognouit nisi ipse solus) his, quos ad eum Pater cælestis traxerit.*

5. Locus quintus è tomo tertio in Ioannem ad illa verba: *Quod factum est, in ipso vita erat: Nec inexaminata*, inquit, *relinquenda est oratio de Spiritu sancto ob timorem Dei (Nam quod ipse etiam à verbo edoceatur, id liquet ex eo, quod de Paracleto & Spiritu sancto dicitur*: De meo accipiet, & annuntiabit vobis *) sed diligentiùs inquirendum est, vtrumnam, cùm docetur, omnia capiat, quæ defixis in Patrem oculis à principio existens Filius agnoscit.*

Hęc Origenes, in quibus quandoquidẽ dicat Filium defixis oculis (mentis scilicet) intueri Patrem, quomodo dicunt eius aduersarij, illum docuisse non videri ab eo Patrem?

Locus

Locus sextus è libro primo De principijs capite secundo sub medium. *Et vide*, inquit, *ne fortè quoniam Filius Dei, qui Verbum eius & sapientia dicitur, & solus nouit Patrem, & reuelat quibus vult, id est, qui capaces Verbi ipsius & Sapientiæ fuerint, secundùm hoc ipsum quod intelligi atque agnosci facit Deum, dicatur figuram substãtiæ eius atque subsistentiæ exprimere.* Sic ibi.

7. Locus septimus habetur libro secundo de principijs capite quarto, vbi sic inter alia: *Diximus*, inquit, *quòd aliud fit videre & videri, & aliud nôsse & nosci. Igitur videre & videri corporum res est: quod vtique nec Patri, nec Filio, nec Spiritui sancto inter se inuicem competenter aptabitur. Natura enim Trinitatis, modum visionis excedit eorum, qui in corpore sunt.* Alphonsus à Castro.

Et mox: *Incorporeæ verò naturæ, & principaliter intellectuali, nihil aliud conuenit, nisi nôsse & nosci: sicut & Saluator ipse pronuntiat dicens: Quia nemo nouit Filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

Quos Origenis locos si vidisset Alphonsus à Castro, Ordinis Minorum sancti Francisci fax non minima, nunquam sanè pro eo quo valebat iudicio, hanc opinionem inter hæreses sub nomine Origenis comprehendisset, neque vlli quamuis magnæ aliàs auctoritatis contra rem tam claram & tam testatam credidisset. Credidit autem Epiphanio, etsi timidè, quantum ipsius verba declarant, lib. 4. aduersus hæreses, titulo DEVS, hæresi 9. cùm ait: *Hæc dixisse Origenem refert Epiphanius. Vt verum fatear, miror virum tam doctum, qualis fuit Origenes, in tam apertum errorem fuisse lapsum, cùm sit tam apertus locus Scripturæ ita dicens: Nemo nouit Filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Sic à Castro. Quasi dicat: vix possum induci, vt credam Origenem virum talem ignotasse locum illum Scripturæ tam clarum. Arqui non ignorauit, vtpote quem non semel, sed sæpius produxit: nec errorem illum tenuit, cuius contrarium toties, vt visum est, asseuerauit. Quòd si à Castro iam viueret, haud dubium esse potest, quin suæ eum credulitatis pœniteret, & plus rationi dare quàm auctoritati condisceret.

Quamuis autem iam dicta possint sufficere, ad obiectionis illius refutationem, non possum tamen, quin aduersus peruicaciores, ipsum quoque magnum Athanasium producam, Origenis hac etiam in parte defensorem. Valebit enim eius testimonium contra illos maximè, qui non admittunt excusationem illam, quæ nonnunquam affertur, dicta esse aliqua ab Origene non docendi, nec asserendi, sed disputandi tantùm, & rem aliquam omni ex parte contra Hæreticos aut Gentiles discuriendi gratia. Sic igitur Athanasius in epistola De Decretis Nicænæ Synodi, contra Arianam hæresim sub finem:

Hæc

8. *Locus.* *Hæc est ergo*, inquit, *illius laborum amantis Origenis sententia: post illa quæ certandi gratia, quasi in palæstra aduersus hæreticos adduxerat, statim ista, quæ ipsius propria sunt, subintulit:*

*Origenis verba.* *Si est*, inquit, *vlla imago Dei inuisibilis, ipsa quoque imago est inuisibilis; immo ausim hoc quoque addere: quòd si sit similitudo Patris, dici non possit, quòd aliquando non fuerit. Ecquando enim Deus, qui à Ioanne lux dicitur (Deus enim lux est) splendore gloriæ suæ caruit? vt audeat aliquis principium Filio attribuere, quasi prius non exstiterit. Ecquando enim non fuit illa ineffabilis, innominabilis, inenarrabilis persona Patris imago, illa figura, illud Verbum, ille cognoscens Patrem?* Sic Origenes apud Athanasium, apud quem in græco vltima verba sunt, ὁ γινώσκων τὸν πατέρα.

*Contra Arium.*

Dicit igitur Origenes Filium cognoscere Patrem, hoc autem est videre Patrem, sed oculis mentis, non corporis. Cùm autem dixit Origenes Filium non videre Patrem, de visu corporeo dixit, vt antè docui: quippe disputans contra Valentinianos & Anthropomorphitas, qui putabant Deum esse corporeum, & corporalibus videri oculis, vt ex toto capite libri primi de principijs patet. Ex illo enim libro, & non aliundè sumpserunt aduersarij Origenis suam contra illum obiectionem, de qua huc vsque disputamus. Istud ergo caput sic incipit Origenes: *Scio quoniam conabuntur quidam, & secundùm Scripturas nostras Deum corpus esse asserere, &c.*

Deinde eos refutans, *Quos interrogare*, inquit; *volo, quid dicant de eo quod scriptum est, quia Deus lux est; sicut Ioannes in epistola sua dixit, &c.*

Et infrà de Spiritu sancto: *Sed & cùm de Spiritu sancto multi Sancti participant, non vtique corpus aliquod intelligi potest Spiritus sanctus, quod diuisum in partes corporales percipiat vnusquisque Sanctorum.*

Et rursus. *Quia ergo mens nostra ipsum per se Deum, sicuti est, non potest intueri, ex pulchritudine operum & decore creaturarum Parentem vniuersitatis intelligit. Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens, &c. Sed vt sit ex omni parte, & vt ita dicam, totus mens, ac fons ex quo totius intellectualis naturæ vel mentis initium est, &c.*

Quæ simillima sunt ijs, quæ de Deo prædicauit ante illum sanctus Irenæus. Quæ quis non videt dici contra eos, qui Deum credebant esse corporeum? vti & hoc quod paullò pòst sequitur: *Quod qui dicunt*, inquit, *sine dubio in contumeliam eius substantiæ quæ in ipsis melior est, hoc proferunt: immo verò ex hoc etiam ad ipsum Deum refertur iniuria, cùm putant eum per naturam corpoream posse intelligi vel sentiri, &c.* Quid est autem hoc, nisi asserere Deum esse incorporeum, & eos reprobare, qui putabant

putabant Deum videri oculis corporeis? Ad quos quoque refutandos è Scripturis, vsurpat illud Paulli ad Colossenses 1. vers. 16. *Qui est imago inuisibilis Dei*; & illud Ioannis primo, versu decimo octauo, *Deum nemo vidit vnquam.*

Quæ omnia eò spectabant; vt persuaderet Deum non esse corporeum, nec videri corporeis oculis: adeóque nec Filium isto modo videre Patrem, quod verissimum est (indignus enim Deo ille modus est) at non negauit Origenes Filium cognoscere Patrem, vt pluribus testimonijs ostensum est, & ostendi posset pluribus. Sed nihil in præsenti necesse est.

Ad alterum igitur veniamus, quo existimatus est Origenes malè de Filio & Spiritu sensisse, eò quòd interpretatus sit duo Seraphim Filium & Spiritum sanctum; & ostendamus eodem assistente Filio & Spiritu sancto, nihil magis piè dici posse, quàm exponendo illo Esaiæ loco dixerit Origenes, tametsi detestandam expositionem vocet Hieronymus, in Epistola 65. Pammachio & Oceano, de erroribus Origenis, dum sic scribit: *Quæst. 4. § 3. De duobus Seraphim.*

*In lectione Esaiæ, in qua duo Seraphim clamantia describuntur, illo interpretante Filium & Spiritum sanctum, nonne ego detestandam expositionem in duo testamenta mutaui? Habetur liber in manibus ante viginti annos editus.* Sic ille.

Liber autem ille, de quo loquitur, est tertius liber commentariorum eius in Esaiam, vbi tacito Origenis nomine, sic ait: *Impiè ergo quidam, duo Seraphim, Filium, & Spiritum sanctum intelligit, cùm iuxta Euangelistam Ioannem, & Paullum Apostolum, Filium Dei visum in maiestate regnantis, & Spiritum sanctum locutum esse doceamur. Quidam Latinorum, duo Seraphim vetus & nouum testamentum intelligunt.* Sic ibi, per prius *Quidam*, intelligens Origenem: per posterius, seipsum & alios.

Vt ergo intelligatur vtra melior sit interpretatio, afferam in medium ipsa Origenis verba, & eadem quo sensu acceperit, & quàm pio, in oculis defigam.

## VERBA ORIGENIS, HOMILIA I. IN visiones Esaiæ:

*VERVM, hæc Seraphim, quæ circa Deum sunt, quæ solà cognitione dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus; per hoc seruant mysterium Trinitatis: quia & ipsa Sancta sunt. His enim, in omnibus quæ sunt, sanctius nihil est. Et non leuiter dicunt alterum ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, sed salutarem omnibus confessionem, clamore pronuntiant. Quæ sunt ista duo Seraphim? Dominus meus IESVS, & Spiritus sanctus.* Sic ille.

Sensus autem hic est : Quid repræsentant duo illa Seraphim ? repræsentant Dominum meum IESVM & Spiritum sanctum, qui clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus, & salutarem omnibus confessionem Sanctissimæ Trinitatis, clamore suo pronuntiant, & docent. Nam per se, nulloque intercedente medio, Filius, & Spiritus sanctus, docuerunt Seraphim, vtpote Spiritus sibi in cælo proximos ( sunt enim supremi omnium Angeli, nec quicquam illis Deo est propinquius, neque sanctius) docuerunt, inquam, illos ab initio mysterium illud admirabilissimæ, atque incomprehensæ Trinitatis : edocti autem Seraphim, vicinissimos sibi edocuerunt Cherubinos, Cherubini Thronos, atque ita deinceps : quæ omnia doctrinæ magni Dionysij Areopagitæ sunt conformia, nec minùs sacræ Scripturæ, & modo loquendi sanctorum Patrum consentanea. Apud quos omnes, non rarò reperies Verbum *Est*, idem significare quod *repræsentat*. Sic apud Paullum 1. ad Corinthios 10. versu 4. *Et omnes eundem potum spiritalem biberunt : bibebant autem de spirituali consequente eos petra, Petra autem erat Christus.* Quid est hoc ? *Petra erat* CHRISTVS, id est, repræsentabat CHRISTVM.

*Seraphim Deo proximi.*

*Cor. 1. cap. 10. v. 4.*

Sic apud sanctum Melitonem, egregium secundi sæculi Scriptorem reperies : à quo si requiras, quid erat agnus ille, qui iubebatur manducari in paschate ? & quid erat ille aries, quem vidit Abraham, Geneseos vigesimo secundo, versu decimo tertio, inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro Filio ? & respondebit vir sanctus, his verbis ( sunt enim ipsiusmet). *Agnus*, inquit, *erat Dominus IESVS CHRISTVS, qui tanquam agnus ad occisionem ductus est.* Et *Aries inter vepres*, aut ( vt septuaginta, & ipse eos secutus Melito ) *Aries detentus in planta Sabec, erat* CHRISTVS *in cruce. Nam planta*, inquit, *designat crucem, & locus ille, Hierosolymam.* Qui amat videre græca ipsius sancti Melitonis, reperiet ea in tomo nostro secundo illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, in ipsius vita, cap. 7. pag. 835.

*S. Melitonis locus.*

Sic apud sanctum Augustinum, libro tertio contra Maximinum Arianorum Episcopum, capite 26. *Nam quis alius erat ille aries*, inquit, *qui cornibus tenebatur in vepre, nisi* CHRISTVS *crucifixus, vel spinis coronatus. Hunc autem arietem pro filio, cui parcere iussus est, immolauit Abraham. Ita enim homini parci* DEVS *iussit, vt tamen ex pecude propter passionem* CHRISTI, *quæ illo modo prænuntiabatur, mysterium sacri sanguinis impleretur.* Quin & ipse Hieronymus ita locutus est, quando in psalmum 133. ita scripsit : *Iacob eo tempore, quando fugiebat in Mesopotamiam, fratrem suum, venit ad Lusam, & ibi posuit lapidem ad caput. Sub capite ipsius, lapis erat Christus. Id est, repræsentabat Christum.* Et idem rursus longè liberiùs in ca-

*Similis S. Augustini.*

*Similis S. Hieronymi.*

in caput 4 Ezechielis sub finem ad illa verba: *Offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum.*

*Volumus*, inquit, *scire apertius, quis sit vitulus de armento immaculatus, & quis aries de ouibus vellere purissimo? intelligamus Moysen & Heliam: quorum prior mansuetissimus fuit inter omnes homines, qui versabantur in terra: alter ab ardore fidei similis Moysi: vnde & audebat dicere: Ego relictus sum solus.* Hæc ibi. Num. 12. v. 3.

Dicit ergo Hieronymus vitulum esse Moysen, & arietem esse Eliam: quo sensu? certè non primo ac proprio. Quonam igitur? nempe mystico & repræsentatiuo, & tamen satis remoto. Nec enim cùm præcepit Dominus offerri talem vitulum, & talem arietem pro peccato, voluit offerri Moysen, & Heliam. Habemus enim maiorem Moyse & Helia, quem offerimus quotidie in altari pro peccato, Dominum nostrum IESVM. Hoc igitur fortè vult Hieronymus, vt mansuetudinem imitemur Moysis, & zelum sectemur Heliæ. Quod æquè gratum Deo futurum sit, ac si vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum immolaremus.

Sed de hoc quidquid sit, saltem id constat, sicut Paullus non impiè dixit: *Petra erat Christus*: nec sanctus Melito, nec sanctus Augustinus impiè dixerunt, *Aries in vepre, erat Christus in cruce, aut spinis coronatus*, nec itidem ipse sanctus Hieronymus, *lapis sub capite, erat Christus*: ita nec impiè dixit Origenes: *duo Seraphim erant Dominus meus* IESVS, *& Spiritus sanctus*; hoc est, Dominum IESVM, & Spiritum sanctum repræsentabant: sed pijssimè hoc dixit, & more multis SS. Patribus, vsitato. Verùm in quo, inquies Seraphini repræsentabant, & quasi vices gerebant Filij, & Spiritus sancti?

In eo, inquam, quòd iisdem fungerentur muneribus, quibus fungi viderant Filium, & Spiritum sanctum, nempe his duobus, illuminandi, & vrendi, siue (quod idem est) docendi alios sanctæ Trinitatis mysterium, clamando: *Sanctus, sanctus, sanctus*, & comburendi, seu expiandi peccata, tangendo Prophetæ labia calculo ignito, vt refertur Esaiæ 6. Quid enim Dominus noster Iesus in terra natus aliud, fecit? Quid Spiritus sanctus in Apostolos, ac Discipulos missus, aliud fecit? An nō Iesus, lux fuit vera, quę illuminauit & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? An non Spiritus sanctus is fuit, qui propterea venit, vt doceret Apostolos omnem veritatem? Illi igitur, illi sunt, qui longè priùs Seraphinos docuerunt mysterium Trinitatis, & per Seraphinos Esaiam, repetita tertiò, & æqualiter voce *Sanctus*. Illi ijdem sunt, qui per eosdem Seraphinos, eiusdem Esaiæ labia purgarunt, & peccata exusserunt. Quibus enim, amabo, alijs propriè & peculiariter conuenit potestas peccata dimittendi, nisi illi, de quo dictum est: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: & illi, de quo prædicatum est: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remis-*

Esaiæ. 6.

Ioan. 1. v. 9.

Ioan. 1. v. 29.

Ioan. 20. v. 22. *ritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt?* Quasi dicat: cùm remiseritis peccata, non tam vos, quàm Spiritus sanctus, quem ad hoc dedi, ea remittit.

Quare hi sunt, qui propriè, & potestate non aliunde acceptâ remittunt peccata, & hi sunt, qui Esaiæ purgarunt labia, non autem sunt duo testamenta, quorum alterum necdum erat, diuque pòst futurum erat.

Et hi sunt, qui in Seraphim clamarunt, eósque clamare docuerunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Sed enim non conuenit, inquies, nec satis decet diuinas personas dici clamare. Verùm, si clamare diuinas personas dedecet, multò magis gemere, & postulare gemitibus inenarrabilibus: attamen hoc de Spiritu sancto dixit Paullus, & optimè quidem ac verissimè dixit, verba bene intelligentibus. Verba enim Paulli ad Romanos 8. ver. 26. sunt hæc: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quem sanè locum nemo ad hunc diem meliùs mihi videtur explicuisse, quàm Origenes, quem & alij secuti sunt. Eum proinde adi & consule, libro 7. in dictam Paulli Epistolam, & cùm legeris atque approbaueris, tunc & illum de Seraphinis similiter intellige, atque approba.

Rom. 8. v. 26.

Lib. 7. in epist. ad Romanos.

Quin ego, quia multis fortasse non est copia Origenis, haud grauabor pauca quædam è multis huc transferre, sic ergo ait:

### VERBA ORIGENIS.

*IGITVR infirmitas nostra ex carnis infirmitate descendit. Ipsa est enim, quæ concupiscit aduersus spiritum, & dum concupiscentias suas ingerit, puritatem spiritus impedit, & sinceritatem orationis offuscat. Sed vbi Spiritus Dei viderit spiritum hominis laborare in aduersando carni, & adhærendo sibi, porrigit manum, & adiuuat infirmitatem eius: ac velut si magister suscipiens ad rudimenta discipulum penitus ignorantem litteras; vt eum docere ac instituere possit, necesse habet inclinare se ad rudimenta sui discipuli, & prius ipsemet dicere nomen litteræ, vt discipulus eandem repetendo addiscat: atque ita magister fit quodammodo incipienti discipulo similis, loquendo & faciendo ea, quæ loqui & facere debet discipulus: eodem modo & Spiritus sanctus nobiscum facit: cùm oppugnationibus carnis perturbari spiritum nostrum viderit, nec eum scire, quid orare debeat, secundùm quod oportet; ipse tanquam magister, orationem prior enuntiat, quam noster spiritus (si tamen discipulus esse sancti Spiritus velit) prosequitur: ipse & gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, ad repropitiandum sibi Deum.* Hæc Origenes pulcherrimè & clarissimè.

Paullus autem, non illo solùm loco, clamantem inducit Spiritum sanctum

ſanctum, ſed etiam in Epiſtola ad Galatas, cap. 4. ver. 6. *Quoniam autem,* Galat. 4. v.
inquit, *eſtu filij, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, claman-* 5.
*tem, Abba pater.* Id eſt, docentem clamare, & magno cordis affectu inuocare Deum Patrem.

Ex quibus, & ex alijs ſuprà allatis, exiſtimo ſatis probatum eſſe, Origenis expoſitionem de duobus Seraphim nihil prorſus facere, nec contra honorem filij, nec contra dignitatem Spiritus ſancti; ſed vtriuſque perſonæ ad noſtram ſe infirmitatem, inſcitiámque accommodantis, infinitam commendare benignitatem.

Hactenus igitur de ijs, quæ circa diuinitatem, & ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, Origeni obiecta ſunt, ſufficienter videtur eſſe reſponſum. Quare ad alias inferioris notæ obiectiones progrediamur, hoc relinquentes pro certo & indubitato, bene ſenſiſſe Origenem, non ſolùm de Patre, ſed etiam de Filio, & de Spiritu ſancto; ac proinde non Arij fontem appellandum eſſe, ſed hoſtem.

Tertium, quod obiecit Hieronymus ſuprà, fuit Origenem malè ſenſiſſe de animabus. Dixit enim inter cetera: *Confitemini animarum de cœlo ruinas impiè protuliſſe.*

## *RESPONSIO AD III. AB HIERO-nymo obiectum. §.*

NON eſt dubium, quin Origenes circa naturam creationémque animarum, quædam aliter olim opinatus ſit (non tamen, vt dogmata aſſeruerit) quàm nunc ab Eccleſia teneatur, qualia ſunt hæc:

1. Animas creatas ante ſua corpora, & cunctas æquales.

2. Meritas eſſe, vt in tale, aut tale corpus mitterentur, pro ratione ſcilicet bonorum aut malorum operum, ex vi liberi arbitrij à ſe deſignatorum.

Verùm aliud eſt opinari de rebus dubijs & incertis, & aliud illas tanquam veras & certas proferre. Aliud item eſt varias in medium adducere opiniones, quæſtionis alicuius dilucidandæ gratia, & aliud vnam aliquam ſententiam, de qua nihil dum ab Eccleſia definitum ſit, temere proponere, illíque adhærere; aut eam, quæ definita ſit, vel ſcienter reprobare, vel pertinaciter impugnare.

Differunt denique, proferre aliquid impium, & proferre impiè. Illud enim etiam viro probo ac pio accidere poteſt, & nõnunquam accidit; hoc verò non item. Quippe cùm iſtud ex ſola ignoratione interdum proueniat: hoc autem, ipſius voluntatis malitiam impietatemque denotet. Quocirca, vt prius de Origene concedatur, non poteſt concedi poſterius. Nec enim Origenes de animabus quippiã impiè protulit, ſed quę de illis ad fidẽ tunc ſpectabant, piè protulit: de alijs autem non protulit, ſed inquiſiuit: ſiue non dogma vllum conſtituit more aſſerentis, ſed cõiecturas varias adduxit ritu differentis. Quæ reſponſio congruit cum ea, quam ſanctus Pamphilus

Martyr in Apologia sua pro Origene attulit. Nam priorem huius responsionis partem approbat, dum dicit *Origenem illud præcipuè seruasse, quod in Ecclesia de anima confessione seruari omnimodè debet: id est, ne diuersas naturas esse diceret animarum* (hoc autem dicebant Valentiniani, vt videre est in Documentis nostris, cap. 23. De Hæreticis) *quin immo & dicentes redarguit, & vehementi assertione conuincit: ipse autem fatetur vnius substantiæ omnes animas, & immortales, & rationabiles, & liberi arbitrij ac voluntatis: iudicandas quoque esse pro his, quæ in hac vita gesserunt: esse itidem factas à Deo, qui vniuersa condidit & creauit.* Ista sanctus Pamphilus Martyr.

*De animabus, dogma Origenis.*

Ecce igitur, quæ Origenes ad fidem spectantia de animabus piè protulit. De alijs autem, vt an creatæ sint ante corpora, & extra corpora, an in corpore seu ex traduce, seu aliter, (de quibus nihil è scriptura, nihil è definitione Ecclesiæ certum fuit) de illis, inquam, tractasse Origenem ipsum non asserendo, sed inquirendo, idem docet Pamphilus, hisce verbis:

*De ijsdem, opiniones tũ temporis controuersæ.*

## *VERBA S. PAMPHILI MARTYRIS:*

NVNC *autem ad ea etiam per nos ipsos respondebimus, quæ ei de anima obijciunt, id est, quod ante corpus eam factam dicat existere. Sciens namque etiam istud dogma de Anima, non apertè, neque manifestè haberi in Ecclesiastica prædicatione, sicubi occasionem aliquam, vel suspicionem potiùs disputandi, Scripturæ sermo ei suggessit; discutiens & pertractans ea, quæ sensui eius occurrerunt; discernenda hæc legentibus exposuit & probanda, non manifesto dogmate, vel abrupta senntentiæ auctoritate definiens: frequenter & illud addens: Si tamen habere videtur, aut probatur aliquid consequentiæ sermo is, quem de anima tractauimus. Denique in tam multis, & tam diuersis eius libris, nusquam omnino reperitur vnus ab eo liber propriè de Anima conscriptus: sicut habet vel de Martyrio, vel de Oratione, vel de Resurrectione.* Et paullo pòst: *Procul dubio hæc obseruatio eius illud indicat, quòd nihil audebat de hac re manifesto dogmate confirmare.*

*Libri Origenis. De Martyrio De Oratione De Resurrectione.*

Deinde ibidem subiungit ex ipso Origene, non censendum esse hæreticum, qui de rebus non contentis in Traditionibus Apostolicis, liberè, quod sibi fuerit visum, exposuerit. *Denique in eo libro*, inquit, *quam in epistolam ad Titum scribit, hæreticum describens, & animæ faciens mentionem, hæc dicit:*

*Origenis commẽtarius in Epistolam Ad Titum.*

### Verba Origenis.

*Sunt verò & alia quædam dogmata, quæ in Apostolicis Traditionibus non habentur: de quibus requires, si oportet eos, qui quomodolibet de his sentiunt vel pertractant, hæreticos putare, vt puta (verbi gratia dixerim) si quis rationem humanæ animæ requirat, cùm de ea neque quod ex semine traducatur, neque quod honorabilior & antiquior corporum compage sit, tradiderit*

*tradiderit Ecclesiastica regula : propter quod multi nec comprehendere potuerunt, qualiter sentire oportet de Animæ ratione: sed & qui aliquid sentire, vel disserere nisi sunt, à nonnullis in suspicione habentur, velut noui aliquid introducentes.*

Deinde post pauca ait:

*Sed & tu ipse apud temetipsum discutiens, considera, si oportet eum, qui quolibet modo de his opinatur, vel hæreticum, vel Ecclesiasticum temerè definiri, aut si non est periculosum de eo pronuntiare, quoniam & ipse peruersus sit & peccet, & sit à semetipso damnatus, (quod hæreticus dicitur) si quis fortè ex his, quæ suprà diximus, quamlibet opinionem, licet nonnunquam plurimis peregrinam, videatur inducere.* Ita Origenes. *Hæreticus & Ecclesiasticus opponuntur.*

Demus igitur nunc Origenem tenuisse Animam fuisse ante corpus, seu (vt ipse loquitur Origenes) *honorabiliorem, & antiquiorem fuisse compage corporis*, Nonne omnis prudens ac sobrius, ex verbis eius iudicabit, hoc ideo eum tenuisse, quia Ecclesiastica regula nihil definierat contrarium? Quare tametsi Origenes, & sanctus Pamphilus magis in eam sententiam inclinarint, quæ existimat animas ante corpora exstitisse, & pro ipsarum meritis talia, aut talia corpora sortiras esse, quia tamen nihil dum eà de re, fuerat ab Ecclesia constitutum, nequaquam hæretici vel esse, vel dici propterea possunt. Et audi pro hoc verba sancti Martyris prorsus Catholica:

## VERBA S. PAMPHILI MARTYRIS:

SI *manifestè*, inquit, *Ecclesia traderet, vel prædicaret contraria his quæ ille sensit* [Origenes scilicet] *sine dubio velut contrarius, & resistens Ecclesiasticis statutis, meritò culparetur; Nunc verò cùm diuersitas sit apud omnes Ecclesiasticos, & alij alia de Anima sentiant, & omnes diuersa; quomodo hic magis quàm ceteri incusandus est? maximè cùm ea, quæ à reliquis affirmantur, multò magis sint & absurda, & sibi ipsis contraria?* Sic ille. *Sub finem Apologia*

Hactenus de illa obiectione satis: nunc ad 4. procedamus.

## RESPONSIO AD IIII. OBIECTIONEM §. V.

OBIECTIO IIII. erat, quòd malè sensisset de corporum resurrectione. *4. Obiectio.*

Huic obiectioni responder sanctus Pamphilus in Apologia sua, citatis ex ipsomet Origene testimonijs.

*Tam ex ipsis ergo libris*, inquit, *quos de resurrectione scripsit, quàm ex ceteris eius diuersis voluminibus, approbabimus etiam in hac parte, quàm catholicè senserit.* *Lib. 2. de resurrectione.*

Deinde profert idem Pamphilus verba Origenis è libro eius primo de

resurrectione, quibus non tantùm corporis aut carnis, sed etiam huius corporis & carnis probat resurrectionem, & sunt hæc:

## *VERBA ORIGENIS DE RESVRRECTIONE.*

*QVOMODO enim non videtur absurdum, vt hoc corpus, quod pro Christo pertulit cicatrices, & pariter cum Anima persecutionum tolerauit sæua tormenta, quod carcerum quoque ac vinculorum & verberum supplicia pertulit, quod igne etiam cruciatum, & ferro cæsum est, insuper & bestiarum cruentos morsus, crucis patibula, ac diuersa pœnarum genera perpessum est, tantorum certaminum præmijs defraudetur? Quippe si sola anima, quæ non sola certauit, coronetur; & corporis sui vasculum, quod ei cum magno labore seruiuit, nulla agonis & victoriæ præmia consequatur; quomodo non contra omnem rationem esse videatur, vt caro naturalibus vitijs atque ingenitæ libidini propter Christum resistens, & virginitatem cum ingenti labore obtinens (qui labor vtique aut maior carnis est, quàm animæ, aut certè vtriusque æqualis est) quomodo, inquam, non contra omnem rationem esse videatur, vt præmiorum tempore, altera velut indigna reijciatur, altera veniat ad coronam?* Hæc Origenes: qui per totam eius voluminis seriem, euidentissimis ad idem probandum, (vt idem testis est Pamphilus) argumentis vsus est.

Post tam luculentum autem Origenis tam de corpore hoc, quàm de carne hac testimonium, satis mirari non possum eos, qui ipsi, & Ioanni Hierosolymitano, & Ruffino Presbytero similiter docentibus, obijcere non vereantur errorem in materiâ resurrectionis, modò quia corpus dicunt, & non carnem, modò quia carnem tantùm, sed non hanc carnem, aut si hanc carnem dicant, non hoc satis esse, sed adijciendum etiàm quòd totam hanc carnem, & capillos, & vngues &c. Quasi non sufficiat credere, quod præscripsit fidei symbolum, aut quasi illud sit mancum & insufficiens. Præclarè profectò magnus ille Hilarius, lib. decimo de Trinitate, contra vanas de Christi resurrectione quæstiones; *Tum porrò*, inquit, *quis humanæ inanitatis error est, de resurrectione eius, lites mouere; cùm sufficiat ad vitam, quòd à Deo suscitatus sit, credidisse? In simplicitate itaque fides est: in fide iustitia est: in confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas, IESVM suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.* Ita Hilarius, ille Pictauorum honos, & (vt Hieronymi verbis vtar) *latinæ eloquentiæ Rhodanus.*

*S. Hilarij dictum egregium de fide resurrectionis.*

*Hieron. lib. 2. in epist. ad Galatas.*

Alia Origenis testimonia profert idem sanctus Pamphilus Martyr, è libro eius secundo de eadem materia, quæ videri in dicta ipsius Apologia possunt.

Post quæ adducit etiam ex commentarijs eius in Esaiam, & in Psal-

mos

mos alia testimonia.

Igitur in 28. libro de Esaia Propheta, super illo capitulo scribens, in quo dicitur: *Resuscitabuntur mortui, & resurgent hi qui in sepulchris sunt*, ita ait Origenes: *28. libro in Esaiam.*

*Melius est ergo dicere, quòd omnes quidem resurgemus, vt & impij veniant in illum locum, vbi fletus & stridor dentium, & iusti vbi recipiant vnusquisque in suo ordine secundùm meritum bonorum gestorum suorum, cùm transformabitur corpus humilitatis eorum, vt fit conforme claritati corporis gloriæ Christi*, &c. Et commentario in 1. Psalmum, hæc sunt: *Resurgent etiam impij.*

ORIGENIS VERBA.

*SICVT enim in nobis eadem species permanet ab infantia vsque ad senectutem, licet characteres multam videantur immutationem recipere: ita intelligendum est hanc speciem, quæ nunc inest nobis, ipsam permansuram etiam in futuro; plurima tamen immutatione meliùs & gloriosius factâ. Necesse est enim Animam in locis corporeis habitantem, vti corporibus talibus, quæ apta sint his locis in quibus degit: & sicut, verbi causa, si in aquis maris nos habitare, vel degere posceret; sine dubio pro habitaculi qualitate, necessarium videretur habere talem corporis statum & compositionem, qualem habent animalia illa, quæ in aquis viuunt: ita nunc, cùm regnum cælorum promittatur; secundùm locorum gloriam consequens est, aptandas esse etiam corporum qualitates. Nec ideo tamen prior hæc species exterminabitur, licet gloriosior eius facta sit permutatio. Sicut enim ipsius Domini IESV, vel Moysis, vel Eliæ species, non erat alia in transformatione, quàm fuerat ante transformationem, ita non erit alia sanctorum species, etiamsi multò gloriosior fiat.* *Comment. in psal. 1.* *Corpora post resurrectionem retinebunt pristinam speciem.*

Sed & in 15. psalmo exponens illum versiculum: *Insuper & caro mea requiescet in spe*, de carne Domini ait hæc:

ORIGENIS VERBA:

*DOMINVS IESVS Christus hæc dicit, cuius primò caro requieuit in spe. Crucifixus enim promogenitus ex mortuis factus, & post resurrectionem assumptus in cælum, secum terrenum corpus euexit, ita vt terrerentur & obstupescerent cælestes Virtutes videntes carnem ascendisse in cælum. De Elia enim scriptum est, quia quasi in cælum assumptus est: & de Enoch, quia translatus est, non tamen dictum est, quia ascendit in cælum. Offendatur qui vult ex nostro sermone: ego autem omni cum fiducia asseuero, quia sicut primogenitus ex mortuis Christus est; ita primus carnem euexit ad cælum. Denique nouitate ipsa terrentur cælestes Virtutes, quia quod nunquam viderant antè, nunc eandem videbant carnem ascendisse in cælum, & propterea dicebant: Quis est iste qui venit de Edom, id est, à terrigenis? Rubor vestimentorum eius ex Bosor, id, est, in carne susceptâ.* Hæc ibi & plura: sed hæc sufficiunt.

RESPON-

## RESPONSIO AD V. OBIECTIONEM §. VI.

Hieron. in epist. ad Pammach. & Oceanum.

OBiectio hæc fuit, Origenem dixisse *post multa sæcula atque vnà omnium resurrectionem, idipsum fore Gabrielem, quod Diabolum; Paulum, quod Caipham; Virgines, quod prostibulas.*

Notandum hîc ante omnia, non poni hæc ab Hieronymo, tanquam verba Origenis, cùm nusquam illa habeat Origenes, sed tantùm afferri tanquam consequentia ex ijs, quæ habet Origenes. Hoc enim Hieronymus non raro facit, vt non ipsa verba eorum quos refellit, sed sensum ex illis à se elicitum, proferat. Quod cùm aliunde multis ex locis, tum ex epistola eius ad Auitum cognoscitur, vbi referens errores è libro de principijs corruptissimo collectos, ita addit: *Sicque*, inquit, *permiscet omnia, vt de Angelo possit Diabolus fieri, & rursum Diabolus in Angelum reuertatur.* Quæ conformia sunt ijs, quæ suprà dixerat in epistola ad Pammachium.

Videndum nunc, è quibus verbis Origenis istas deduxerit sequelas. Primò certum est, quòd è libris *De principijs*. Hoc enim discitur è dicta ad Auitum epistola, vbi referre se profitetur, quæ cauenda sint in ijs libris, & inter alia recenset ea, vnde hæc deducuntur. Secundò, quòd è primo libro *de principijs* cap. 6. sicut indidem liquet. Inscribitur autem istud, *De fine, vel consummatione*. Et rursus è libro 3. *de principijs*. cap. 1. In quibus omnibus locis, nulla prorsus fit nominatim mētio, nec Gabrielis, nec Paulli, nec Caiphæ, nec Virginum, nec prostibularum, sed generatim tantùm, & quidem cum præmunitione, ac protestatione, non tāquam dogmata se proferre, sed vt res controuersas. Sic enim in dicto primo libro, cap. 6. antequam aggrediatur opiniones suas exponere, præfatur:

### VERBA ORIGENIS.

*QVÆ quidem à nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur, discutientibus magis & pertractantibus, quàm pro certo ac definito statuentibus. Indicatum namque à nobis in superioribus est, de quibus manifesto dogmate determinandum sit: quod & pro viribus nos fecisse puto, cùm determinatè loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis, quàm definiendi, prout possumus, exercemur. Finis ergo mundi, & consummatio dabitur* &c.

Deinde paulatim eò descendit, vt dicat se opinari aliquos Angelorum lapsos remediabiliter, alios irremediabiliter.

### VERBA ORIGENIS.

*HI verò, qui de statu primæ beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis quos suprà descripsimus sanctis, beatisque ordinibus subiecti sunt ad regendum; quorum adiutorio vsi, & in*

stitutioni-

*ſtitutionibus ac diſciplinis ſalutaribus reformati, redire, ac reſtitui ad ſtatum beatitudinis poßint.*

Quibus in verbis, videtur Origenes ſentire, ita quoſdam Angelos propter peccata cælo pulſos, ſicut Adamum & Euam paradiſo terreſtri: atque vt his, ita illis locum pœnitentiæ relictum, & tempus recuperandæ beatitudinis.

Hæc autem opinio, illa ætate non adeo viſa eſt reiectanea, quin eam aliqui ſancti Patres Origene poſteriores ſint amplexi, & nominatim S. Ambroſius & S. Hieronymus, vti ad hunc Origenis locũ, annotauit Genebrardus. Locus Ambroſij exſtat in cap. 3. epiſt. ad Epheſios, vbi de Paullo loquens, *Tam bene*, inquit, *de hoc ſenſit Deus, vt non ſolùm Gentibus hunc magiſtrum daret, verùm etiam vt veritas Chriſti innoteſcat Spiritibus in cæleſtibus, qui ſunt Principes & Poteſtates (Poteſtates ideo, quia potentiores ſunt inter ceteros ſpiritus: Principes autem, eò quòd principentur in Poteſtatibus) vt agnoſcentes per eccleſiam, quæ multifariè ad vitam attracta eſt, in Chriſto vnius Dei manere myſterium, deſinant ab errore. Id enim agitur, vt prædicatio Eccleſiaſtica, etiam his proficiat, & deferant aſſenſum tyrannidis Diaboli, quâ ſe aduerſus Dei vnius fidem, impia præſumptione armauit.*

Et paullò pòſt ibidem: *Dicitur ergò*, inquit, *his Principibus, qui in errore ſunt in cæleſtibus, ſiue miniſtris eius in terris, vt auferant portas Principis ſui, id eſt, Diaboli de mentibus ſuis, per quas multorum Deorum aſſerendorum error intrauit.* Sic ibi.

Dicitur porrò & Hieronymus in pſalmum 23. idem ſenſiſſe, fortaſſis propter illa verba, quæ in explicatione illius verſiculi: *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ*, addidit inter alia: *vel virtutum dicitur: quia Diabolus nouem ordines Angelorum ſub ſua habuit dominatione, ſiue bonos, ſiue malos*: tanquam innuat aliquos reſipuiſſe. Alioquin nihil ibidem reperio, quod trahi poſſit in ſententiam Ambroſij, aut Origenis.

Sed alia ſunt verba Origenis in ſuprà citato capite, difficiliora excuſatu, præſertim illa.

## VERBA ORIGENIS IBIDEM.

*IAM verò, ſi aliqui ex his ordinibus, qui ſub principatu Diaboli agunt, ac malitiæ eius obtemperant, poterunt aliquando in futuris ſæculis conuerti ad bonitatem, pro eo quod eſt in ipſis liberi facultas arbitrij; an verò permanens, & inueterata malitia, velut in naturam quandam ex conſuetudine conuertatur, etiam tu qui legis, probato, ſi omnimodè neque in his quæ videntur temporalibus ſæculis, neque in his quæ non videntur, & æterna ſunt, penitus pars iſta ab illa etiam finali vnitate, atque conuenientia diſcrepabit.*

Hæc ille, quibus indicat nihil certò ſe ſtatuere, ſed relinquere lectoris iudicio, quid de his ſentiat. *Probato*, inquit, *lector* id eſt, examina & perpende,

pende, vtrum illi, qui nunc Diaboli imperio subditi sunt, in æternum tales futuri sint, an verò per vim liberi arbitrij, in futuris sæculis, ad bonum conuertendi, postquam scilicet multa perpessi fuerint tormenta, & à bonis Angelis eruditi, atque ad virtutis gradus incitati. Hoc enim innuunt illa, quæ ibidem subdit, & coniungenda sunt cum superiore periodo, hîc autem, quòd prolixiora sint, omitto. Quid autem ex illis colligat (sunt enim quæ sequuntur excusatu difficillima) ipsius verbis subiungam.

## VERBA ORIGENIS.

Ex quo, *vt opinor*, inquit, *hoc consequentia ipsa videtur ostendere, vnamquamque rationabilem naturam, posse in alterum ordinem transire, & per singulos, in omnes, & ab omnibus, in singulos peruenire, dum accessus profectuum defectuumue varios, pro motibus, vel conatibus propriis, vnusquisque pro liberi arbitrij facultate perpetitur*. Hæc Origenes.

Quorum sensus mihi videtur esse: iuxta prædicta consequi, tam homines, quàm Angelos, posse ab vno ordine superiori, descendere ad inferiorem, atque inferiorem, vsque ad infimum, si accideret ex vi liberi arbitrij, semper deficere à bono magis ac magis: & è contrario, ab ordine aliquo inferiori, concurrente scilicet Dei gratia (id enim in bonis operibus semper intelligit Origenes, vt videre est in documentis suprà positis, titulo, *liberum arbitrium*) si accideret, inquam, ex illo gratia Dei adiuto resipiscere à malo, & semper assurgere ad bonum.

Ex his ergo, vti & ex ijs quæ paullò pòst proferam, collegerunt aliqui, futuram ex sententia Origenis reuolutionem animarum, & Angelorum à beatitudine summa, ad summam infelicitatem, & contrà: Non autem dixit Origenes, futuram, sed certis conditionibus fieri posse, vt modò indicatum est: cùm autem conditiones poni non possint, ita neque potest sine illis fieri, quod cùm illis futurum dicebatur.

Atque, vt in pessimam quamque partem capiantur verba Origenis, tamen illum excusant, & ab hęresi defendunt, tam illa, quę præmuniendi gratia antè posuit, quàm illa, quæ mox capitis proximi initio subiunxit, his verbis.

## VERBA ORIGENIS IN CAP. VII. LIBRI PRIMI. De Principijs.

Hæc quidē, inquit, *quæ suprà disseruimus, in generali nobis sermone digesta sunt, per cōsequētiā magis intellecta, quàm definito dogmate pertractata atque discussa, de rationabilibus naturis, secundùm eum locum, quem de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, pro nostris viribus exposuimus: nunc ergo videamus, quæ sint, de quibus disserere in consequentibus conuenit, secundùm dogma nostrum, id est, secundum ecclesiæ fidem* &c. Sic ibi.

Iam

Iam ad alterum Origenis locum quod attinet, in quo idem opinatur, is reperitur libro 3. De principijs cap. 1. sub finem, his verbis:

### VERBA ORIGENIS.

*VNDE & arbitrandum est*, inquit, *possibile esse aliquos, qui primò quidem à paruis peccatis cœperint, in tantam malitiam diffundi, & in tantum malorum venire profectum, vt nequitiæ modo etiam aduersarijs Potestatibus exæquentur, & rursum si per multas pœnarum graues animaduersiones, resipiscere aliquando potuerint, & paullatim medelam vulneribus suis requirere tentauerint, cessante malitia reparari posse ad bonum. Ex quo opinamur, quoniam quidem ( sicut frequenter diximus ) immortalis est anima & æterna, quòd in multis & sine fine spacijs per immensa & diuersa sæcula possibile fit, vt à summo bono, ad infima mala descendat, & ab vltimis malis ad summa bona reparetur.* Sic ibi. Peccata parua.

Ex quibus certè cognoscitur, non de absolutè futuro loqui, sed de possibili, & ex conditione, quæ conditio in regressu ad bonum sic est intelligēda, vt diximus, & sicut ipse vult Origenes, nempe vt auxilium Dei comitetur.

Quod ex ipsiusmet verbis Origenis ibidem proximè consequentibus probatur. Volens enim duos Paulli locos, vnum è capite 9 ad Romanos, & alterum è capite 2. epistolæ 2. ad Timotheum, qui videntur esse contrarij, inter se conciliare, atque ad rem suam accomodare, sic scribit:

### VERBA ORIGENIS IBIDEM.

*VERVM, quoniam Apostolus in his quidem, quæ de vasis honoris, vel contumeliæ dicit : quòd si quis seipsum emūdauerit, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum semper paratum, nihil videtur in Deo posuisse, sed totum in nobis : in his verò, in quibus ait : habet potestatem figulus luti, de eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, totum videtur in Deo posuisse, nihil in nobis, non est existimandum illa sibi esse contraria; sed vterque sensus ad vnum reuocandus est, & è duobus vnus effici debet intellectus, vt neque illa quæ in nostro arbitrio sunt, putemus absque nostris actibus, & studijs, & proposito consummari : quòd scilicet neque nos velle vel efficere, ex nostro ita habeamus arbitrio, vt non scire debeamus hoc ipsum quod possumus velle, vel efficere, à Deo nobis datum esse, secundùm eam distinctionem, quam suprà diximus.* Sic ibi Origenes. 2. Tim. 2. v. 21. Rom. 9. v. 21. Liberum arbitriū nihil boni potest sine gratia Dei.

Ex his porrò omnibus datur intelligi.

1. Quidem, nihil tanquam dogma ab Origene hîc allatum; sed opinionem tantùm differentis & inquirentis more propositam.

2. Non dictum esse nominatim Gabrielem fore id ipsum, quod Diabolum, seu natura, seu qualitate : sed generatim tantùm, posse quempiam à supremo ordine ad infimū delabi, & è contrario ab hoc ad illum ascendere, nō

 tamen

tamen absolutè, sed certis, conditionibus: ac propterea quantum interest inter opinionem & dogma, inter futurum & possibile, inter propositionem indefinitam & singularem, inter conditionatam & absolutam, tantum interesse, inter dictum Origenis, & obiectum Origeni.

Verùm nihil magis faciet pro Origene, quàm ipsius Origenis epistola, de cuius germanitate, inter Hieronymum & Ruffinum conuenit. Ea est epistola, quam ad caros quosdam Alexandriæ degentes misit, in qua negat se vnquam dixisse, Diabolum esse saluandum: quin & tanquam maledictum improbè in se coniectum, acerbè reijcit, suósque libros à perditis hominibus corruptos ac depravatos conqueritur. Excerpsit Ruffinus ex ea epistola, quæ in hanc rem faciunt, eáque libro suo, *de adulteratione librorum Origenis* inseruit, & sunt hæc:

## *VERBA ORIGENIS EX VERsione Ruffini:*

*Ruffini versio.* *QVIDAM eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis & doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, quod à nobis nunquam audierunt (de quo ipsi viderint) nolentes obseruare mandatum illud, quod dicit: quia maledici regnum Dei non poßidebunt, dicentes patrem malitiæ ac perditionis, & eorum qui de regno Dei eijciuntur, id est, Diabolum me dicere esse saluandum: quod ne aliquis quidem mente motus & manifestè insaniens dicere potest. Sed nihil mirum mihi videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est epistola Paulli Apostoli &c.* *1. Cor. 6.*

Approbat quidem Hieronymus, vt antè indicaui, illam Origenis germanam esse epistolam, sed in Ruffini versione, duo reprehendit: vnum, quòd fraudulenter aliqua reticuerit; alterum, quòd sensum inuerterit. Quod an ita sit, videndum est. Nam non rarò accidit, vt auctoritas re non accuratiùs examinata præiudicet veritati. Ego proinde, cui veritas ante omnem humanam auctoritatem venerationi est, perquirendum duxi in vtrã potiùs partem veritas inclinaret, præsertim quod inter viros olim amicissimos, & non solùm à doctrina, sed etiam à sanctitate commendatissimos, nunc autem discordes, & in diuersa raptos, hæc agitetur quæstio, facilèque sit eum, qui aduersus inimicum scribat, vel sermone, vel stilo labi. Quocirca Spiritu sancto priùs inuocato, & re attentiùs impensiúsque considerata, deprehendi in neutro, quod obijcitur, peccasse Ruffinum; sed incepisse vnde debebat, & vertisse vt oportebat. Nam illa, quæ præcedunt in illa epistola, nihil attinent ad librorum adulterationem, vt vno aspectu apud ipsum Hieronymum apologia 2. aduersus Ruffinum videre est. Solùm enim querimonias Origenis continent de quibusdam Episcopis generatim (nullo prorsus nominato) qui ipsi aduersabatur; & hæreticis librorum eius corruptoribus, nimis facilè fidem attribuebant. Igitur, vbi in *In Apol. 2. aduersus Ruffinum.*

illa

illa epistola cœptum est agi contra librorum adulterationem, inde inchoauit Ruffinus, propterea quòd antecedentia nihil ad propositum facerent. Vnde consequitur, nihil illum fraudulenter reticuisse: sed contrà vtiliter, & more scriptoribus vsitato, ea solùm prætermisisse, quæ ad propositum nihil facerent. Iam sicut hoc loco dicit Hieronymus, Origenem illa Epistola tota Demetrium Alexandriæ vrbis Pontificem lacerasse, ita dixit è contrario, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Demetrium tanta in Origenem debacchatum esse insania, vt per totum mundum super nomine eius scriberet.* Et hoc quidem posterius scripsit ante inimicitias, prius autem feruente cum Ruffino inimicitia: ita vt plus fidei tribuendum sit ei, quod ante inimicitias dictum est. Quòd si Demetrius, homo nec à doctrina, nec à sanctitate commendatus, in Origenem sic debacchatus est, & socios suæ debacchationis in sua diœcesi nactus est, mirúmne, est si Origenes S. Alexãdri Hierosolymorum Episcopi, iam semel Confessoris, postea autem & Martyris fultus subsidio, nec illius solùm, sed & Theoctisti, Cæsareæ Palestinæ (vbi tum degebat & florebat Origenes) Antistitis, & omnium Achaiæ, nec paucorum aliorum Episcoporum, qui propiùs eum ex benefactis cognouerant, ope & communione, communitus; mirúmne est, inquam, si de suis aduersarijs male à Demetrio subornatis, (quod generatim solùm fecit) conquestus sit? Querimonias igitur illas reticuit Ruffinus, quæ primum locũ in epistola Origenis ad caros suos Alexandrinos tenebant, & ab ea periodo incepit, in qua de corruptoribus suorum librorum agere aggressus est. Nam hoc agebat Ruffinus, vt Origenem viuentẽ ac videntẽ introduceret contra illos librorũ suorũ adulteratores conquerentẽ. Et hoc quidẽ scripsit permanẽte cũ Hieronymo amicitia, Hieronymus autẽ, nõ nisi eâ ruptâ cõtradixit. *Querimonia Origenis non iniusta.*

Nunc, quod spectat ad sensum verborum Origenis, quæ malè vertisse Ruffinus dicitur, tametsi verba Origenis greca nos deficiant, tamen ex vtriusque tam Hieronymi, quàm Ruffini verbis, cum re, qua de agitur, compositis, haud difficile erit homini prudenti ac sagaci, vter meliùs ac veriùs sensum ac mentem Origenis assecutus sit, colligere.

Primò enim id constat, voluisse Origenem in illa epist. ostendere libros suos ab hereticis fuisse corruptos, sibique ab inimicis aliqua obijci, quæ nunquam dixerit. Igitur Ruffinus librum scribens de adulteratione librorum Origenis, postquam ostendit hæreticos etiam aliorum Catholicorũ libros adulterasse, nimirũ Clementis Romani, Clementis Alexandrini, Dionysij Alexandrini; tum cupiens etiam ostendere eosdẽ hæreticos Origenis libros corrupisse, ab ijs verbis exorsus est, quibus propriè id ostendit Origenes, & sunt illa, quæ paullò antè posui, nempe *Quidam eorum, qui libenter habent criminari,* quæ Hieronymus in dicta Apologia sic corrigit:

*Quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis, & nostræ doctrinæ blasphemiam, super qua ipsi viderint, quomodo illud audiãt: Neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt: licet patrem malitiæ & perdi-*

*& perditionis eorum, qui de regno Dei eijcientur, dicant posse saluari, quod ne mente quidem captus quis dicere potest.*

Si ipsa Origenis græca verba exstarent, consuli possent, vter meliùs illa vertisset, certè quòd Ruffinus verterit veriùs, res ipsa ostendit.

Nam Hieronymi versio contra ipsummet pugnat. Cùm enim in Epistola ad Pammachium & Oceanũ (vt initio huius quęstionis ostendimus) itemque alibi, scripserit ex doctrina Origenis sequi, id ipsum fore Gabrielem quod Diabolum, & hunc posse saluari, aliaque similia; in hac versione, Origenem inducit, hoc ipsum obiectantem aduersarijs, vt patet ex illis verbis: *licet patrem malitiæ & perditionis eorum, qui de regno Dei deijcientur, dicant posse saluari.*

Atqui, hoc non potest dicere Origenes de aduersarijs suis Valentinianis, contra quos agit potissimè, sed ipsi potiùs de Origene. Nam dicebant illi, Diabolum nullo modo posse, nec potuisse vnquam saluari, eò quòd naturæ esset perditæ: Neque rursus Gabrielem potuisse damnari, quia naturę esset saluandę. Quibus dicebat Origenes è contrario, vtrumque eius esse naturæ, vt posset vel saluari, si libero arbitrio rectè vteretur, vel damnari, si prauè. Vnde, illi contra ipsum retorquebant, sed malè; quòd diceret Diabolum esse saluandum. Quod modò clarissimum fiet ex ipsius Hieronymi verbis, in eadem secunda eius apologia, paullò pòst superiora, in medio positis.

*Verba Hieronymi.* *Rursus*, inquit, *ad secundam veniunt quæstionem* [ Origenes scilicet catholicæ fidei defensor, & Candidus hæreseos Valentini propugnator ] *Asserit Candidus Diabolum pessimæ esse naturæ, & quæ saluari nunquam possit: contra hoc rectè Origenes respondit, non eum perituræ esse substantiæ, sed voluntate propria corruisse, & posse saluari. Hoc Candidus vertit in calumniam, quasi Origenes dixerit Diaboli naturam esse saluandam: quod ille falsò obiecerat, hic refutat.*

Hactenus ipsa Hieronymi verba, quibus & Origenes absoluitur, & Ruffini versio comprobatur. Quare quoties dicit Origenes Diabolum posse saluari, intelligendus est dicere ex parte naturæ, non ex parte malitiæ: siue quòd natura eius non sit repugnans saluti. Hoc enim tenebant Valentiniani, eam esse eius & omnium qui pereunt naturam, vt quidquid agant, quidquid patiantur, saluari non possint.

Et quia sæpius mentio facta est, sæpiusque postmodò facienda est libri Ruffini de adulteratione librorum Origenis, sciendum est, librũ illum compositum esse, dum adhuc essent amici Ruffinus & Hieronymus: quandoquidè in eo laudet Ruffinus Hieronymũ, etsi tacito nomine, in illis verbis:

*Hieron. laus.* *Damasus Episcopus cùm de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionẽ Ecclesiasticæ fidei; (cui editioni ijdẽ, si Ecclesiæ iungi vellẽt, subscribere deberent) conscribendã mandauit cuidã amico suo Presbytero, viro disertissimo, qui hoc illi ex more negotiũ procurabat, &c.* Vbi ille amicus Presbyter, est Hieronymus. Quare, quod in eodẽ lib. sub finẽ, ad illa verba: *Denique quidam ex*

*dam ex ipsis, qui se velut Euangelizandi necessitatem per omnes gentes, & per omnes linguas habere putat*, &c. Quod, inquam, ad dicta verba adscriptum est in margine, *Hic notatur Hieronymus*, perperam & falsò adscriptum est. Non enim ibi notatur, nec perstringitur Hieronymus, quippe qui proximè laudatus est, sed perstringitur Epiphanius, qui multarũ linguarum sciens, qua fere cumque transibat, concionabatur, & interdum sacros ordines extra suam Diœcesim conferebat. Quæ fuit caussa dissensionis inter ipsum, & Ioannem Hierosolymorum Episcopum: quòd scilicet Epiphanius Paulinianum fratrem Hieronymi, in Diœcesi Hierosolymitana Sacerdotem consecrasset: quod per statuta primæ Synodi Nicænæ non licebat. Et quod ibi notetur Epiphanius, patet quoque ex illis ibidem verbis: *De Origene malè loquens, sex millia librorum eius se legisse quàm plurimâ fratrum multitudine audiente confessus est.* Nam Hieronymus ipse Apologiâ secundâ contra Ruffinum, ista esse ab eo dicta aduersus Epiphanium scribit, & eadem refutat. De quibus alibi. Denique hoc certum ex verbis Hieronymi clarissimis maneat, Candidum Valentinianæ Hæreseos propugnatorem falsò obiecisse Origeni, quòd dixisset naturam Diaboli saluandam, & Origenem benè refutasse. Vnde satis mirari non possum, etiam hodie reperiri, qui contra Origenem iactent. *Dixit Diabolum esse saluandum, dixit animas è corporibus in alia corpora transituras.* Tametsi enim aliqui eius loci prima fronte id videantur præferre: illi nimirum, quos suprà protulimus, atque vnus præterea libro 4. de Principijs cap. 2. post medium, qui metempsychosin, seu animarum in alia, atque alia corpora transmigrationem videtur inducere: tamen hi loci, aut obscuri, aut opinantis tantùm more, producti, ex alijs pluribus manifestis, affirmatè productis, intelligendi sunt, & refutandi. Atque hoc fecit sanctus Pamphilus, ac nominatim de hac metempsychosi, seu transformatione, de qua dubitanter scripserat loco iam citato Origenes, ab illis verbis: *Fortassis enim, sicut hi qui de hoc mundo secundùm communem istam mortem recedentes, pro actibus suis ac meritis dispensantur, prout digni fuerunt iudicati, &c.*

*Caussa dissensionis inter Epiphanii & Ioannem Hierosolymitanum.*

Et paullò pòst, in his verbis potissimè: *Vnusquisque ergo descendentium in terram, pro meritis, vel loco suo quem inhabitauerat, dispensatur in hoc mundo in diuersis locis, vel gentibus, vel conuersationibus, vel infirmitatibus, nasci, vel à religiosis, aut certè minùs pijs parentibus generari, ita, vt aliquando contingat Israëlitam in Scythas descendere, & Ægyptiũ pauperem deduci in Iudæam. Verumtamen, Saluator noster congregare venit oues quæ perierant domus Israël: & cùm plurimi non acquieuissent doctrinæ eius, hi qui ex gentibus erant, vocati sunt.* Sic ibi.

*Origenis locus difficilis.*

Qui locus, nonnullis videtur fauere animarum transmigrationi: perinde videlicet, ac si dicat: ex animabus quæ antehac in cælo erant, aliquæ in terram descendentes, pro meritorũ ratione induerunt corpora, vel Israëlitarum

ëlitarum verbi gratia, vel Scytharum, ita vt alicuius Israëlitæ anima propter demerita sua mittatur in corpus Scythæ cuiuspiam, & huius itidem propter merita in alicuius Israëlitæ. Quod valde rationi aduersum est. Nec video quid possit ad defensionē Origenis hoc loco meliùs afferri, (si eius quidem sint verba) nisi illa protulisse ex aliena persona per figuram à Rhetoribus *occupationem* appellatam, ac pro responsione subiecisse illud postremum membrum loci: *Verumtamen Saluator noster congregare venit oues, quæ perierāt domus Israël,* &c. vt hîc suprà. Quasi dicat: non aliter ea est intelligenda transmigratio, quàm quòd Scythæ fide suscepta fiēt veri Israëlitæ, & Israëlitæ fide deperdita fient Scythæ. *Non enim omnes qui ex Israël sunt,* [inquit Paullus,] *ij sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.*

Quidquid tamen de hoc loco sit, & de alijs (si qui sunt) huic similibus, defendit ab hac opinione Origenem sanctus Pamphilus ex locis eius certis & claris & multis. Cuius non pigebit aliquanta proferre verba.

## CRIMINATIO VLTIMA EX IIS QVAS refutat S. Pamphilus.

### VERBA SANCTI PAMPHILI PRO ORIGENE.

*NOVISSIMA criminatio,* inquit, *est metensomatóseos [hoc est, trans incorporationis seu animarum ex vno corpore in aliud transmigrātionis] ad quam, sicut in ceteris fecimus, ipsius qui accusatur, respondebimus verbis, illud primò necessariò commonentes: quòd accusatores eius non intelligentes, qualiter ab eo de ista quæstione tractatum sit, vel quòd ratio disputationis ita se habeat, vt non semper velut ex vna persona pronuntiari videantur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ è contrario dici potuerunt, disputentur: & hanc esse disputandi artem non aduertentes, obijciunt ei de hoc dogmate: quòd quasi senserit ea quæ ex aduersantis persona disseruit.* Ita Pamphilus verissimè: quemadmodum & proximè suprà patuit è disputatione Origenis cum Candido.

Profert deinde idem Pamphilus locos Origenis, ac primò quidem è libro eius septimo in euangelium secundùm Matthæum, & sunt hæc quæ sequuntur.

### ORIGENIS VERBA.

1. Locus. *QVIDAM autem opinantur ex eo quod dictum est: ipse est Elias qui venturus est, animam Eliæ eandem esse quæ Ioannis. Quòd enim dixit, ipse est Elias, non ad aliud, sed ad animam referendum putauerunt, & hoc penè solo sermone dogma introduxerunt,* metensomatóseos, *id est, transmutationis animarum, quasi etiam ipso Iesu id confirmāte. Quòd si* hoc

*hoc verum esset in multis utique Prophetarum vel Euangeliorum scriptis simile aliquid inueniri deberet.*

Et paullò pòst: *Addendum autem & illud est, quia si peccatis (secundùm quod ipsi sentiunt) transmutatio fiat animarum: propter quæ peccata, Eliæ anima transmutata est in Ioannem, qui ab Angelo nasciturus prænuntiatur, à quo & Iesus saluator noster* &c.

Ex quibus colligitur, locutum fuisse Origenem alibi ex aliorum sententia; hîc autem ex sua. 2. locus.

Deinde profert alium locum ex vndecimo libro in idem Euangelium.

VERBA ORIGENIS:

*QVIDAM, qui alieni sunt à Catholica fide, transferri animas ex humanis corporibus in corpora animalium putant, secundùm differentiam peccatorum; nos verò, qui id nusquam cautum inuenimus in diuina Scriptura, dicimus, quod per multâ vitæ negligentiâ, humana prouidentia, cùm fuerit inculta atque neglecta, efficitur velut irrationabile pecus, per imperitiam, vel negligentiam, non per naturam: similiter autem & hi, qui fuerunt tales effecti ex propositi sui negligentia, qua erudiri neglexerint, si eruditioni se atque exercitio rationali tradant, rationabiles efficiantur atque prudentes.* &c.

Producit & alium locum in libro 13. in idem Euangel. 3. locus.

VERBA ORIGENIS.

*IN his Elias, non anima Eliæ mihi videtur, vt ne incurramus in dogma alienum ab Ecclesia Dei, de transmutatione animarum: quod nec ab Apostolis traditum est, nec vsquam in scripturis cautum.* Vide ibi plura. *Quanti faciat Origenes doctrinã Ecclesiæ.*

Denique affert vnum locum è lib. eius in Prouerbia Salomonis. 4. locus.

VERBA ORIGENIS.

*VIDETVR autem mihi & illa assertio, quæ transformari animas de corporibus in alia corpora asseuerat, peruenisse etiam in aliquos eorum qui Christo credere videntur, è quibusdam Scripturæ sanctæ occasionibus, non intelligentes, quomodo intelligi debeant, quæ scripta sunt.* &c.

Hactenus è S. Pamphilo.

Adiungam alios duos locos alijs in libris Origenis à me repertos, è quibus manifestissimè agnoscatur, quàm fuerit ipse ab ista animarum transformatione, quæ falsò illi attribuitur, alienus.

Prior exstat libro quinto in epistolam ad Romanos ante medium, vbi Basilidem hæresiarcham conantem ex verbis S. Paulli ad Romanos cap. 7. probare animarum transformationem, ineptæ & impiæ interpretationis redarguit. Verba porrò, quibus abutebatur Basilides, erant hæc: *Ego autem viuebam sine lege aliquando: sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum.* Quæ Origenes postquam rectè & catholicè Rom. 7. v. 9.

 exposuit,

exposuit, tum de Basilide ita subiecit:

Origenis verba. *Sed hæc Basilides non aduertens de lege naturali debere intelligi, ad ineptas & impias fabulas, sermonem Apostolicum trahit: & Pythagoricum dogma, quod animæ in alia atque alia corpora transfundantur, ex hoc Apostoli dicto conatur adstruere.*

Basilidis interpretatio. Dixit enim Apostolus, *inquit* Basilides, *Viuebam sine lege aliquando*, hoc est, antequam in istud corpus venirem, in ea specie corporis vixi, quæ sub lege non erat, pecudis scilicet, vel auis. Origenis refutatio. *Verum non respexit ad id quod sequitur: Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit.* Non enim dixit [ Paullus ] se venisse ad mandatum, sed aduenisse mandatum: & non dixit, peccatum non fuisse in se, sed mortuum fuisse, & reuixisse.

*In quo, vtique ostendit, quòd de vna eademque vita vtrumque dixerit. Verùm Basilides, & si qui cum ipso idem sentiunt, in sua impietate relinquantur: nos autem, sensum Apostoli secundùm pietatem ecclesiastici dogmatis amplectamur.* Hæc ibi Origenes, se præstans vbique ecclesiastici dogmatis defensorem.

Alter autem locus è libro eius quinto *Contra Celsum* desumptus est, vbi adducens differentiam, quæ est inter Christianos, & Pythagoreos, in abstinentia à quibusdam cibis, ita cum horum irrisione scribit:

### VERBA ORIGENIS.

Abstinentia Christianorum & Pythagoreorum quàtum differant. ILLI, inquit [ Pythagorei ] *ab animatis abstinent, propter fabulam migrationis animæ in varia corpora.*

*Quid enim sua pignora cara*
*Mactaret demens sacras operatus ad aras?*

*Nos autem*, inquit, *dum tale quippiam facimus, mortificamus corpus nostrum, & in seruitutem redigimus.*

Iudicat igitur Origenes metempsychosin, siue transformationem illam Pythagoream, esse fabulam risu dignam, & Pythagoreos ideo abstinere ab esu animatorum, ne fortè accidat ipsos edere, ac vorare parentes suos, & cōsanguineos, & amicos, quorum animæ in illa transierint corpora, quæ dentibus manderent. Quomodo iam dici potest tenuisse Origenes, quod ipse irridet?

Sed iam satis, opinor, responsum est præcipuis Hieronymi obiectis contra Origenem: illis, inquam, obiectis, quæ initio huius Quæstionis ex eius Epistola ad Pammachium & Oceanum protulimus. Nam reliqua quæ Origeni obijciuntur, minoris esse momenti ipse iudicauit Hieronymus. Quia tamen, de pœnis ęternis damnatorum, non rectè sensisse Origenem, non pauci hodieque ex ignoratione veritatis mussitant, non frustra hæc tractabitur Quæstio.

QVÆSTIO V.

# QVÆSTIO V.

## *AN TENVERIT ORIGENES POENAS damnatorum non fore æternas?*

HIC ferè præcipuus est error, quem hoc æuo aduersarij Origenis contra illum iactitant, & de quo erga eum beneuoli sollicitiùs inquirunt. Dixisse porrò Origené expressè & in terminis (vt loquuntur Philosophi) pœnas damnatorũ esse finiendas, aut non esse æternas, nusquam reperio: nec vllus ex antiquis, quod sciam, locum quempiam profert Origenis, vbi expressè ac disertè id dicat. Qui primus contra Origenem insurrexit Epiphanius, & primus inter hæreses recensuit opiniones quasdam Origenis, & qui fusissimè de ijs disputauit, hac de re nihil habet. *An pœnæ damnatorum sint æternæ.*

Theophilus item Alexandrinus, ętate suppar Epiphanio, secundus contra Origenem (pro quo totus antea fuerat) ex occasione quarundam inimicitiarum, vehementiùs quoque quàm Epiphanius insultauit, nihil tamen directè de pœnis æternis, tanquam ab Origene expressè negatis, egit.

Hieronymus quoque, postquam Origenis errores, summa diligentia perquisiuit & recensuit, nullam de pœnis æternis expressam mentionem fecit: licet aliqua attulerit, ex quibus, si vera essent, consequi videretur, pœnas damnatorum non fore æternas. Nam, si verum esset, Origenem dixisse, Diabolum fore saluandum, & docuisse futuram reuolutionem Angelorum & hominum, à beatitudine ad miseriam, & è contrario; haud dubium foret, quin rectè colligeretur, statuere illum, pœnas non fore æternas.

Verùm in extrema præcedenti Quæstione ostendimus ex ipsiusmet verbis Origenis, immo & ex ipso Hieronymo, non dixisse Origenem, Diabolum esse saluandum, neque item absolutè docuisse, nedum dogma asseruisse, illam à beatitudine ad miserias, & à miserijs ad beatitudinem, post multa sæcula futuram reuolutionem, sed tantùm contra Valentinianos hęreticos, statuentes Diabolum ideo esse damnatum, quia talis esset naturę, vt non posset non damnari, & bonos Angelos è contrario talis naturæ: vt non quirent non saluari; tantùm, inquam, contra illos docuit, neutrum esse verum, sed vtrosque eius naturæ esse, quæ posset saluari, & saluaretur, si libero arbitrio sibi cælitus indito (quod negabant Valentiniani) ad virtutes capessendas, atque in Dei seruitium vterentur: eosdémque, si secus facerent, atque eo abuterentur, posse damnari, & esse damnandos. Quin etiam, cùm & in altera vita maneat, tam in Angelis, quàm in hominibus, tam in beatis quàm in damnandis, liberum arbitrium; si fieri posset, vt damnati eo bene

vte-

vterentur [cum Dei auxilio scilicet] & beati contrà eo abuterentur, tum quoque fieri posset, vt bene vtentes saluarentur, & abutentes damnárentur, & pro modo ac proportione boni vsus aut mali, varios locos nanciscerētur; ita vt primus fieri posset vltimus; & vltimus, primus; si ille scilicet malitia omnes superaret, & hic vniuersos bonitate vinceret. Adeò non in natura ipsa (cùm naturæ omnes æquè sint ad bonum & malum indifferentes) sed in libero arbitrio, Dei gratia adiuto, aut eâ destituto, salus & perditio consistit.

Atque hæc est, vt arbitror, sententiæ Origenis vera & commoda interpretatio, vti & superiore Quæstione ostendimus Non enim de futuro locutus est Origenes, sed de possibili; nec absoluta propositione vsus est, sed conditionata: quod aduersus Valentinianos sufficiebat, contra quos perpetuò ferè luctatus est (vt in Documentis suprà, titulo *De Hæreticis*, videre licet) & de quibus insignes palmas retulit.

Quidam tamē (vt est humana infirmitas, aut vt magnis ingenijs cuncta diligentiùs examinare interdum non vacat, ita vt nonnunquam dicentis aut scribentis cuiuspiam auctoritati plus deferant, quàm rationi) quidam tamen, inquam, viri magni, se in deteriorem trahi partem, non malo sanè animo, sed ex bonitate nihil sinistri suspicante, permiserunt.

Hinc S. Augustinus aliquorum, quos magni faciebat, auctoritate permotus, & præsertim Theophili Patriarchæ Alexandrini, qui & Concilium contra Origenem coëgit, ipse, inquam, S. Augustinus, cui libros Origenis Græcè scriptos nec legere vacabat, multo minus examinare, vera esse credidit, quæ aduersus illum à viris non indoctis scribebantur. Ergo è libris Origenis *de Principijs*, qui præ alijs erant valde corrupti, & sine vlla correctione ab Hieronymo recens latinè conuersi, credidit omnia, quæ in illis erant, verè esse Origenis, & tradita tanquam dogmata: cùm tamen, si S. Pamphili Martyris Apologiam legisset, longè aliter iudicaturus fuisset. Quippe qui deprehendisset plurima, quæ Origeni attribuuntur, ex ipsismet scriptis Origenis, à sanctissimo Martyre conuicta esse falsitatis. Verùm, quando illam non legit, haud mirum est, si in libro suo *De Hæresibus*, *ad Quod-vult-deum*. numero 43. post allata quædam contra Origenem, ita subiecerit: ***Hæc quidem de Origene Epiphanius refert; sed defensores eius dicunt, Origenem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnius eiusdemque substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum: sed qui eius plura legerunt, contradicunt.***

*Libri de principijs versi sunt ab Hieronymo tempore sui cum Ruffino dissidij.*

Ex quibus verbis videtur ire in sententiam eorum, quos existimat plura legisse. Atqui non iis, qui plura legerunt, sed ijs, qui meliùs legerunt, & intellexerunt, assentiendum est, præsertim S. Pamphilo, & S. Athanasio, & Didymo Alexandrino, Hieronymi magistro, & ipsius Origenis exemplaribus emendatis, quæ hi tres potissimè nacti sunt.

Denique, de his duobus punctis sic suprà responsum est: vt nemo, qui

rem seriò examinauerit, habeat iustè refragari. Quemadmodum igitur in illis duobus trahi se siuit Augustinus in partem minùs probabilem; ita & in his, quæ ita subdit: *Sunt & alia huius Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recipit, in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione, & liberatione; ac rursus post longum tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuersæ creaturæ.* Sic ipse. Quibus respondetur, Origenem, si quidem illa tenuisset (quod supponere videtur Augustinus) excusari non posse: sed, si contraria tenuit, vti tenuit, quemadmodum suprà in documentis cap. 14. ex parte ostendimus, & hîc paullò pòst ex toto ostendemus, non solum excusari posse, sed etiam re ipsa excusatum esse. Et si qua eiusmodi protulit; non ex sua, sed ex aduersariorum persona protulit. Immo etsi protulisset, non tamen vt dogmata protulit, ipsomet confitente Hieronymo, in epistola ad Auitum, & (quod plus est) S. Pamphilo Martyre id conuincente. Vnde nil mirum, si Ecclesia non receperit, vt pote existimans eum ex se illa protulisse, & quidem vt dogmata; quemadmodum indicant illa eiusdem Augustini verba præcedentibus continenter subiecta: *Quis enim, inquit, Catholicus Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit, purgationem malorum, id est, etiam eor, qui hanc vitam flagitijs, & facinoribus, & sacrilegijs, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremò Diabolum, atque Angelos eius, quamuis post longißima tempora, purgatos atque liberatos, regno Dei, lucique restitui? & rursus post longißima tempora, omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi ac reuerti? & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ, semper fuisse, semper fore?* Ita Augustinus, supponens esse vera, quæ sunt alioqui falsissima: cùm clarè constet suprà ex verbis Origenis, ipsum nec de facto, nec de futuro locutum esse, sed tantùm de possibili; nec absolutè, sed ex conditione, quæ si non ponatur, (sicut non ponetur, nihil eorum fiat, quę ibi dicuntur.

Affertur tamen ab Origene conditio, quia valet illa contra Valentinianos, salutem & perditionem ponentes in ipsa natura animæ, non in benefactis eius, aut malefactis.

Valet quoque hæc responsio, ad alium S. Augustini locum, lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 17. vbi agit contra illos, qui misericordia moti, homines saltem eripiendos pœnis æternis dicebant, quamuis non dæmones. *Qua in re*, inquit, *misericordior fuit Origenes, qui & ipsum Diabolum, atque Angelos eius, post grauiora pro meritis, & diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos sanctis Angelis credidit.* Ita Augustinus. Quę tantum abest, vt crediderit Origenes, vt potiùs sua Epistola ad quosdam caros Alexandriæ, ab Hieronymo & Ruffino citatâ & approbatâ (vti antè monstrauimus), dixerit, *ne mente quidem captum hoc esse dicturum.* Membrum illius epistolæ necessariũ protuli in medium Quæstione præcedenti.

Non

Non legerat porrò Augustinus, cùm illa scripsit, librum 5. Origenis in Epistolam Paulli ad Romanos. Nam in extremo illo libro clarissimè exponit illam obiectionem aduersariorum: quòd beati in cælo propter arbitrij libertatem peccare possint: & suam responsionem, quæ ibi videnda est: aut in Documentis nostris suprà, cap. 14. Enimuerò melius est, vt integrum Origenis locum, qui suprà tantùm ex parte citatus est, hîc apponam, quòd non vnius solius, sed plurium obiectionum contineat repulsionem. Est igitur huiusmodi:

### Origenis Verba.

§. 1. HOC igitur modo, *inquit*, Christus voluntate sua *exinaniuit semetipsum; & formam serui accepit*; passusque est dominatum tyranni, *factus obediens vsque ad mortem*, per quam mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum, & liberauit eos, qui tenebantur à morte. Ipse enim alligato forti, & in Cruce sua triumphato, perrexit etiã in domum eius, in domum mortis, in infernum, & inde vasa eius diripuit, id est, animas, quas tenebat, abstraxit. Et hoc erat, quod ipse per ænigmata loquebatur in Euangelio dicens: *Quis potest introire in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem?* Priùs ergo alligauit eum in Cruce, & ingressus est domum, id est, infernum; & inde ascendit in cælum, & captiuã duxit captiuitatẽ, eos scilicet, qui cum ipso surrexerunt, & ingressi sunt sanctam ciuitatem, Hierusalem cælestem. Vnde rectè Apostolus in præsenti loco dicit: quia *mors ei vltrà non dominabitur*. Non enim dabit vltrà semetipsum in dominationem tyranni: *Neque iterum exinaniet se, vt formam serui accipiat*, & fiat obediens vsque ad mortem, neque rursum in forma serui, quamuis voluntate & non necessitate positus, dominationem tyranni mortisque patietur.

(Philipp. 2. v. 8.; Matth. 12. v. 29.; Roman. 6. v. 9.)

§. 3. Vnde miror quosdam contra hanc euidentissimam Paulli sententiam, velle asserere, quòd in futuris iterum sæculis, vel eadem, vel similia pati necesse sit Christum, vt liberari possint etiam hi, quos in præsenti vita, dispensationis eius medicina sanare non potuit. Aiunt enim: *Numquid potest sæculum esse aliquod in futuro, vbi neque boni aliquid, neque mali agatur, sed stupeant res, & maneant profunda silentia?* Absurdum hoc videri asserunt. Dabitur ergo illis, agi aliquid. *Iam vbi agitur aliquid, necesse est*, inquiunt, *vt aliquid rectè, & aliquid etiam minus rectè agatur: & in ipso actu aliqui proficiant, & meliores fiant, alij verò deteriores. Libertas enim arbitrij semper naturæ rationabili permanebit: & sicut possibile fuit, etiam illum, qui ob splendorẽ gloriæ Lucifer, & propter lumen scientiæ mane oriebatur, commutari de gloria sua, & effici tenebras, propter malitiam quam recepit: & illum, qui fuit immaculatus à natiuitate sua, & habitauit cum Cherubim, & in medio lapidum ignitorum conuersatus est, & omni virtutũ ornamento indutus, ita vt non esset vlla arbor in paradiso Dei virtutum, quæ illi comparari posset, post hæc inuentæ sunt*

(§. 2. at "Apostolus in præsenti loco"; Verba Hæreticorum.)

*in eo iniquitates, & de cælo in terram proiectus est: ita potest fieri, vt in quocumque fuerit statu Anima, & in quacumque perfectione virtutum (quoniam virtus mutabilis est) lapsum possit incurrere: vt sicut à vitijs ad virtutem, ita & à virtutibus inclinet ad vitia. Quod si est, consequens videbitur requirere medicum vbi languor est. Quia secundùm Saluatoris vocem, opus est medicus his, qui malè habent.* Matthæi 9. v. 12.

Hæc ergo & his similia proponentes, easdem etiam in futuris sæculis dispensationes à Christo repetendas esse arbitrantur. Sed ad hæc nos breuiter, vt poterimus, respondebimus.

§. 4.

Manere quidem semper naturæ rationabili liberum arbitrium non negamus: sed tantam esse vim Crucis Christi, & mortis eius, quam in sæculorum fine suscepit, asserimus: vt ad sanitatem & remedium non præsentis solùm & futuri, sed etiam præteritorum sæculorum, & non modò huic nostro ordini humano, sed etiam cælestibus Virtutibus, Ordinibúsque sufficiat. Nam secundùm ipsius Paulli Apostoli sententiam, Christus pacificauit per sanguinem Crucis suæ, non solùm quæ in terra sunt, sed & quæ in cælis. *Refutatio illorum ab Origene.* Ephes. 1. v. 10.

Quid autem sit, quod in futuris sæculis teneat arbitrij libertatem, ne rursum corruat in peccatum, breui nos sermone Apostolus docet, dicens: *Charitas nunquam excidit.* Idcirco enim & fide, & spe maior Charitas dicitur: quia illa sola erit, per quam delinqui vltrà non poterit. Si enim in id perfectionis Anima ascenderit, vt ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis diligat Deum, & proximum tanquam seipsam, vbi erit peccato locus? Idcirco denique & in lege hoc dicitur primum mandatum esse, & in Euágelijs supra cetera omnia de Charitate mandatur, & Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super petram, fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius, nisi Charitatis ab eo exigitur. Et Ioannes, cùm alia multa de Charitate, tum etiam hoc dicit: *Qui manet in Charitate, in Deo manet.* 1. Cor. 13. v. 8. *Charitatis excellentia.* 1. Ioan. 4. v. 16.

Et ideo Charitas, quæ sola omnium maxima est, meritò omnem creaturam continebit à lapsu, tunc cùm erit Deus omnia in omnibus. Ad hunc enim perfectum gradum ascenderat Apostolus, & in hoc stans confidenter dicebat: *Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo* IESV? *Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius?* Et iterum: *Certus sum enim, quia neque vita, neque mors, neque præsens, neque futurum, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo* IESV *Domino nostro.* Ad Rom. 8. v. 35. Ibid. v. 38.

Ex quibus omnibus euidenter ostenditur, quia si hæc omnia, quæ enumerauit Apostolus, separare nos non possunt à charitate Dei, cùm in illud quis culmen perfectionis ascenderit, multo minùs libertas arbitrij, ab eius nos charitate poterit separare. Quamuis enim illa sit etiam virtus, & maneat

vindicétque virtutes: maximè cùm charitatis caussas prior nobis dederit ipse Deus, *qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit* Rom. 8. v. 32. *illum, & cum illo omnia nobis donauit.* Vnde vel ille qui Lucifer fuit, & in cælo operabatur, vel ille qui immaculatus fuit à natiuitate sua, & cum Cherubim positus, labi potuit antequam erga beneficia Filij Dei, charitatis vinculis stringeretur: postea verò quàm Charitas Dei diffundi in cordibus §. 5. omnium cœperit per Spiritum sanctum; certum illud erit, quod pronuntiauit Apostolus, quòd *Charitas nunquam excidet.*

Hæc prout potuimus, ad ea quæ hoc loco commemorata sunt, diximus, vt manifestiùs clarescetet, quomodo Christus mortuus est semel peccato, vt vltra iam non moriatur, & quia quod iam viuit, viuit Deo. Viuere autem Deo, ita intelligendum est, vt tanquam expleto eo, quod in forma *Filius æqualis Patri.* Dei positus exinaniuit semetipsum, & formam serui accepit, & factus est obediẽs vsque ad mortẽ; rursum permaneat in forma Dei, & æqualis Patri.

Hactenus ista omnia continenter, nullo nec addito, nec detracto, Origenes Quæ si vidisset Augustinus, minimè profectò scripsisset ea, quæ, si modò viueret, fateretur esse falsissima, nec aliunde, quàm à calumniatoribus, aut librorum corruptoribus primùm profecta (vt de aliquibus non semel ipsemet conquestus est Origenes) deinde ad alios atque alios, seu nimis credulos & mali nihil suspicantes, seu plus quotundam auctoritati, quàm iusto examini tribuentes. Certè auctoritas Theophili Alexandrini permultos eius odij atque iracundiæ in Origenem & S. Ioannem Chrysostomum, ignaros decepit, & in falsas de illis opiniones pertraxit.

In ijs porrò, quæ proximè citauimus ex Origene, licet vnicuique intueri ea ipsa, quæ S. Augustinus produxit tanquam Origenis, ea inquam ipsa refutari ab Origene. Qui & rationem affert, quamobrem Anima semel beata, tametsi retinens liberi arbitrij, non possit in cælo peccare, quia nimirum perfectâ ardeat charitate, quæ est Deus, quâ si arsisset Lucifer, è cælo non cecidisset. Cecidit enim, vt ait ibi Origenes, antequam illis perfectæ charitatis vinculis stringeretur.

Per eadem quoque suprà posita Origenis verba, refelluntur aliquot aliæ Theophili Alexandrini calumniæ: vna quidem, quasi dixisset Origenes: *Animã Christi se exinanisse*, cùm hoc nunquam dixerit Origenes, sed vt verba Scripturæ habent, *Christum exinaniuisse semet ipsum*: sicut tet reperitur in verbis Origenis iam allatis, semel §. 1. & rursus §. 2. & iterum §. 5. Altera calumnia est, Origenem dixisse: *Christum pro dæmonibus passurum.* Quod tamen à suis dictum aduersarijs refutauit Origenes ipse §. quinto, vbi docuit Christum semel peccato mortuum, vt nunquam ampliùs moriatur, sed permaneat semper in forma Dei, & æqualis Patri. Per quæ vltima verba: *& æqualis Patri.* Redarguuntur etiam illi, qui falsò ei attribue- *Filius æqualis Patri.* runt, quòd filium dixisset inæqualem Patri.

Ex his autem, mi Lector, collige, quàm non facilè quantęcumque auctoritati

ritati credendum sit, sed exactam verámque disquisitionem, magnis præsertim in rebus, adhibendam. Videntur porrò ij omnes, qui posteris temporibus sibi persuaserunt Origenem tenuisse pœnas damnatorum non esse æternas, occasionem sumpsisse, aut ex illis præcipuè Augustini verbis, aut ex ipso Origene haud probè intellecto. Certè Epiphanius, qui plurimos legisse Origenis libros creditur, & qui tanquam illi valdè infensus errores eius collegit, de hoc errore, qui illi imponitur tanquam vnus è præcipuis, nec verbum fecit: seu quòd illa senserit aliter esse ab eo dicta, quàm acciperentur, seu quòd iudicarit, non tanquam dogmata, sed tanquam coniecturas prolata esse. Quanquam & hoc ipsum, non obstante quacunque præmunitione, aut subiecta excusatione, visum est quibusdam, non omni carere culpa. Quam Hieronymus aliquanto vehementiùs exaggerans, ita in Origenem: *Et ad extremum,* inquit, *ne teneretur Pythagorici dogmatis reus, qui asserit μετεμψύχωσιν, [ id est animarũ transmigrationem ] post tam nefandam disputationem, quâ lectoris animum vulnerauit, Hæc,* inquit, *iuxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita tantum atque proiecta, ne penitus intractata viderentur.* *In epist. ad Auitum.*

Itaque concedit Hieronymus, professum esse Origenem, non docendo illa dixisse, sed inquirendo. Ex quo sequitur non posse poni inter dogmata Origenis, neque lectoris item animum, nisi maleuoli, aut admodum rudis vulnerari, præsertim cùm eadem μετεμψύχωσις, siue animarum transmigratio, pluribus in locis clarè distinctéque ab Origene refutetur. Quòd si obijciatur, in Libro de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti, qui reperitur inter opera S. Athanasij, Origenem vocari miserum, & dici accusatum quòd constituerit finem pœnarum; nihil respondendum est aliud, quàm librum illum nequaquam esse S. Athanasij, sed hominis indocti, & Philosophiæ ac Theologiæ prorsus ignari, nec eius interpretationem Latinam, hominis esse accurati, & fidelis, sed negligentis cuiuspiã, & in Origenem malè animati. Hinc Petrus Nannius, vir Græcè Latinéque doctus, & in discernendis libris sagax, qui primus post inuentam Typographiam, Athanasij opera in vnum collegit, & ex parte est interpretatus, dum illa omnia in tres classes, seu tomos diuideret; is, inquam, hunc librũ *De communi essentia,* in tertiam classem, quæ est suppositiriorum librorum coniecit, quemadmodum videre est in eius epistola ad Perrenottum, Atrebatensem Episcopum, nuncupatoria; vbi sic inter alia: *In tertiam relegaui omnes suppositítios libros, quos Athanasij non puto.* In illa autem classe reperitur hic, de quo agimus. Et infrà: *Adscripsissem singulis adulterinis voluminibus nostram censuram; sed nolui litem meam facere.* Et inferiùs: *In veris Athanasij scriptis summa fide & religione versatus sum, &c. in falsis libris curam illam relaxaui;* Hoc est, reliqui ferè omnia, vt inueni. Sed vt re ipsa cognoscatur, quàm longè absit huius libri Auctor à doctrina & sapientia S. Athanasij, paucula è multis inde annotabo.

*Petrus Nãnius insignis è nostro Belgio Scriptor.*

*Verba eiusdem Nannij.*

*Liber de cõmuni essentia Patris in Fil. & Sp. S. nõ est Athanasij.*

 Primò

Primò igitur in dicto libro post medium, titulo, *Aduersùs eos, qui dicunt Filium postulare*, sic aduersùs Arianos probantes Filium minorem Patre, eò quòd Filius roget Patrem, argumentatur: *Affirmat hæreticus*, inquit, *& dicit, minorem esse petentem datore. Si igitur Patrem petentem inuenias in veteri Testamento, quid mihi hic, quæso, respondebis? Et nunc, Israel, quid Dominus tuus à te petit, nisi vt ipsum metuas?* Sic ipse perquàm absurdè. Nam Ariani afferebant exemplum, vbi Filius Patrem rogat cum submissione: in hoc autem exemplo Pater non rogat Filium, immo nec populum Israël, cum submissione; sed exigit ab eo cum auctoritate, tanquam dominus & creator, à seruo & creatura. Locus est Deuteronomij decimo, vers. duodecimo, vbi Moyses sic populum alloquitur: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius? &c.*

Deuter. 10. v. 12.

Secundò, idem Auctor dicit esse hæreticum, vocare Spiritum sanctum *Donum Dei*; & quasi hæreticè dictum refutat. Atqui Athanasius sciebat Spiritum sanctum verè esse *Donum Dei*, & sic vocari Actor. 8. vers. 20. *Quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri.* Et nunc omnis Ecclesia sic vocat in Hymno illo vbique celebratissimo: *Veni creator Spiritus*, cùm ait:

Act. 8. v. 20.

*Qui Paracletus diceris,*
*Donum Dei altissimi,*
*Fons viuus, ignis, charitas,*
*Et spiritalis vnctio.*

Tertiò quærit in eodem libro sub finem, quæ sit definitio naturæ Angelicæ, & respondet: *ζῶον λογικὸν, ἄϋλον, ὑμνολογικὸν, ἀθάνατον:* I. *animal rationale, immateriale, hymnisonum, immortale*, Quàm absurda definitio? At magnus Athanasius haud adeò & Philosophiæ & Theologię rudis erat, vt nesciret Angelum esse Spiritum; & dictum ab Apostolo de Angelis ad Hebræos primo, versu vltimo: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?*

Angelus quid sit, absurdè definitum à mentiente nomẽ Athanasij. Ad Heb. 1. v. vltimo.

Quin idem Athanasius in epistola ad Serapionem ante medium, vocat Angelum *πνεῦμα διακονίας, Spiritum ministerij.* Et in Orat. secunda contra Arianos, sub finem, de Angelis citat illud Scripturæ: *Qui facit Angelos suos spiritus, &c.* ad Hebræos 1. ex Psalmo 103. ver. 4.

Quare locus ille contra Origenem allatus tanquam ex Athanasio, minimè est Athanasij, qui nusquam Origenem citauit nisi cum laude. Epitheta quibus Origenẽ ornauit Athanasius, sunt hæc: *φιλόπονος, πολυμαθὴς, θαυμάσιος*, quæ Interpretes Latini reddiderunt *industrius, vel laboriosus, vel laboris amans*: secundum *vir multarum disciplinarum*, aut *multiscius*: tertium *admirabilis*, seu *admirandus*: nullum autem reperi probrosum in S. Athanasio.

Epitheta Origeni data ab Athanasio.

Cùm

Cùm ergò nullus antiquorum verba protulerit Origenis, quibus disertè & expresè negauerit pœnas damnatorum esse æternas, sed tantùm collegerint aliqui ex alijs propositionibus eius non benè intellectis, & in deteriorem partem interpretatis, ego è contrario non paucos locos proferam, in quibus pœnas æternas expresè profitetur.

## LOCI ORIGENIS DE POENIS ÆTERNIS damnatorum. §. 2.

IN vna eadémque Homilia, quæ est secunda in Psalmum 37. aliquoties expresè ac disertè pœnas æternas confitetur. Nam ad illa verba: *Quoniam ego in flagella paratus sum*, sic ait inter alia: §. 2. Ex Homil. 2. in Psalm. 37.

VERBA ORIGENIS:

*Propone tibi ante oculos peccatorem dicentem ad dominum: Ego, quoniam peccaui, iam nunc in flagella paratus sum: noli me reseruare igni æterno: noli me reseruare exterioribus tenebris. Dum in hac vita sum, redde mihi peccata mea; quoniam flagellas omnem filium, quem recipis.* Locus 1. Origenis.

Et paullò pòst: *Ego in flagella paratus sum, id est, si volueris superducere languores in me, miscere ægritudines, tolerabiliter feram. Scio, quia dignus sum, vt non solùm per ægritudines peccata mea soluantur; sed per omnes afflictiones purgari desidero: tantùm vt æternis pœnis & cruciatibus non reseruer, &c.* Locus 2.

Et inferiùs: *Si per mortem carorum, & propinquorum vis me purgari, moriantur etiam ipsi, vt & ipsi ex huiusmodi vinculis liberentur: auferantur filij, dum adhuc pueri sunt, & in rudibus annis positi, nondum grauioribus peccatorum sordibus maculati sunt. Omnibus igitur flagellis emendari verberarique paratus sum, & nihil horum recuso: tantùm vt supplicia æterni ignis effugiam.* Locus 3.

Et rursus ad finem: *Si circa oculos aliquis acerbus humor se infuderit; sollicitus es, & perquiris, quomodo succurras, & præuenias cæcitatem: cùm anima tua ægrotat, & peccatorum languoribus vrgeatur, securus es, & contemnis gehennam, atque ignis æterni supplicia despicis & irrides?* Sic ibi.

Ac ne dubitetur, quin illa Homilia sit Origenis germanissima, ecce testimonium probabilissimum. Nam in fine illius, post illa verba: *Perfecto odio oderam illos, Marcionistæ*, inquit, *& Basilides, & Valentinus, oderunt Deum, &c.*

Nam perpetuò ferè illos, in refutando cōiungit Origenes, & nemo quod meminerim alius, neque vbi sic coniuncti reperiuntur dubitari potest, quin opus sit Origenis. Vide suprà in *Documentis* titulo: *Heretici.*

Idem & in alijs libris docet. Nam in Prouerbia Salomonis refutans μετεμψύχωσιν, seu transformationem animarum de corporibus in alia corpora, deinum ita subijcit: E libro de Prouerbijs Salomonis.

VERBA ORIGENIS IN PROVERBIA Salomonis:

Locus 4. *Sed superfluæ sunt omnes istæ adinuentiones. Manifestum est enim, quòd vna pœna tam Dæmonum naturæ, quàm humano generi peccatorum à Domino præfinita sit; illa, quam Dominus sua sapientia designauit*, *dicens*; Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius; *ostendens, quia eadem species pœnarum peccatoribus hominibus, & Diabolo & Angelis eius parata sit; licet in eadem pœna diuersa sit quantitas pœnæ. Alius enim grauius & vehementiùs cruciatur pro magnitudine peccatorum; alius autem remissiùs cuius leuiora & faciliora peccata sunt.*

Matt. 25. v. 41.

Hæc ipsa ex Origene citat totidem verbis S. Pamphilus Martyr in Apologia sua extrema, quibus & eam finit.

E lib. 2. de Principijs cap. 10. Iam in libro secundo *de Principijs*, capite decimo in fine, post alia de felici bonorum resurrectione ad gloriam, dicta, sic subdit de inferioribus beatis.

VERBA ORIGENIS.

Locus 5. *His verò, qui inferioris meriti fuerint, vel abiectiores, vel etiam vltimi & abstrusi, pro vniuscuiusque vitæ atque animæ dignitate, etiam gloria corporis & dignitas datur: ita tamen, vt eorum, qui ad ignem æternum, vel ad supplicia destinandi sunt, per ipsam resurrectionis permutationem, ita corpus incorruptum resurgat, vt ne supplicijs quidem corrumpi valeat ac dissolui.* Sic ibi.

E tractat. 34. in Matthæi cap 24. Idem Origenis tractatu 34. in cap. 24. Matthæi, post medium, sic inter alia:

VERBA ORIGENIS.

Locus 6. *Qui autem recedunt ab IESV, decidunt in ignem æternum; qui alterius generis est ab hoc igne, quem habemus in vsu. Nullus enim ignis inter homines est æternus, sed nec multi temporis; extinguitur enim citò. Æternus autem ignis est ille, de quo Esaias dicit in fine Prophetiæ suæ:* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur. &c.

Esaias c. 66. v. vltimo.

E lib. 6 in cap. 6. ad Rom. Idem lib. 6. in cap. 6 ad Romanos, sub finem, ad illa verba · *Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna, in* CHRISTO IESV *Domino nostro*, sic inter alia:

VERBA ORIGENIS.

Locus 7. *Bene autem metaphoram, id est, figuram militiæ ab initio propositam seruat, vt militantibus sub peccati rege, immo potius tyrannidi eius obtemperantibus stipendia debita, mortem dicat exsolui. Deum verò non erat dignum militibus suis stipendia, quasi debitum aliquod dare,*

*sed*

*sed donum & gratiam, quæ est vita æterna in* CHRISTO IESV *Domino nostro. Equidem neque puto vacuum esse, quod ad vitam æternam addidit* : in CHRISTO IESV Domino nostro; *sed quia sciri voluit, aliud esse vitam æternam solum, & aliud, vitam æternam in Christo* IESV. *Illi enim, qui resurgent in confusionem & opprobrium sempiternum, habent quidem vitam æternam, non tamen in* CHRISTO IESV, *sed in confusione, & opprobrio æterno: iusti autem, qui resurgent in vitam æternam, in* CHRISTO IESV *habebunt vitam æternam.* Sic ibi.

Denique, quid senserit Origenes tam de æternis pœnis, quàm de resurrectione corporum, licebit non ex ipso tantùm, sed etiam ex eius aduersario, & infestó Christiani nominis hoste, Celso Philosopho addiscere. Igitur Celsus Gentilis Philosophus, exquisitæ quidem doctrinæ vir, sed in Christum atque Christianos admodum virulentæ, in libro Origenis octauo, post medium, sic loquitur (ipsa enim eius verba excepit de ipsius libro Origenes) sic, inquam, loquitur de suis mystagogis.

VERBA CELSI CONTRA ORIGENEM:

*Maximè quidem, vir optime, sicut tu censes pœnas esse æternas, ita & illi sacrorum istorum interpretes, & initiatores, & mystagogi: & quas tu quidem pœnas illis interminaris, illi quoque tibi: vtri autem veriora fortioráque argumenta afferant, considerandum est.* Sic ille. Lib. 8. cont. Celsum.

VERBA ORIGENIS CONTRA CELSVM.

Cui respondens Origenes: *Ergo*, inquit, *hoc ait Celsus, tam nos, quàm istos initiatores, pœnas æternas in terra affirmare, atque examinandum, vtri veriora dicant. Equidem penes eos dixerim esse veritatem, qui dictis suis ita possint afficere auditorem, vt ita viuat, tanquam illa habeat persuasissima. Atqui Iudæi & Christiani vehementer ea afficiuntur persuasione, quam habent de futuro, quod vocant, sæculo, déque præmijs iustorum tunc recipiendis, & pœnis impiorum. Proferat nunc Celsus, seu quisquis vult, aliquos ab istis mystagogis permotos terrore futuri supplicij, &c.* Locus 8.

Tum rursus paullò pòst idem Celsus & animæ immortalitatem confitens, & corporis resurrectionem irridens, sic ait:

CELSI PHILOSOPHI VERBA CONTRA Origenem, & Christianos.

*Præterea verò*, inquit, *quomodo hæc vestra non absurda sunt, desiderare corpus, & sperare idem ipsum resuscitatum iri, propterea quòd nihil sit vobis illo carius, nec pretiosius; & tamen illud idem corpus tanquam vile in pœnas & cruciatus proijcere? Verùm minimè dignum est cum hominibus ita persuasis, & corpori intabescentibus de hoc differere. Sunt enim ipsi cùm cetera agrestes & impuri, tum etiam*

*excordes, & seditione laborantes. At verò cum illis, qui animam seu mentem (siue illam spiritualem appellare velint, siue spiritum intellectualem, sanctum ac beatum, siue animam viuentem, siue diuinæ & incorporeæ naturæ sobolem supercælestem & incorruptam, siue quodcunque aliud nominare gestierint) cum illis, inquam, qui se æternam illam habituros sperant, de hoc, Deo adiuuante, disceptabimus. Isti enim rectè id censent, eos, qui bene vixerint, beatitatem adepturos: qui verò prorsus iniqui fuerint, æternis pœnis cruciandos. A qua doctrina nec ipsi, nec alius quispiam mortalium resiliat.*

*Approbat ethnicus Philosophus articulum fidei de vita æterna.*

Hæc Celsus, quæ è Græco verti quàm potui fidelissimè & clarissimè. Omisi enim Græca, metu fastidij.

Respondit autem Origenes, quæ oportuit.

1. Quidem falsum esse, Christianis nihil esse carius neque pretiosius corpore; eos enim præferre animā corpori; ea scilicet de causa, quòd imago conditoris insit animæ. non corpori.

2. Ista non esse inconsistentia: sperare honorem resurrectionis in corpore, & simul corpus in quosuis cruciatus proijcere: nec enim propterea corpus vile censeri, quandoquidem vile non sit tormenta propter pietatem pati, & propter virtutem obijcere se aduersis: sed hoc omne vile esse, quod cum vitio in voluptatibus consumitur.

*Quid vile in hominibus reputandum sit.*

3. Probare se dogma Celsi de iustorum æterna felicitate, & iniustorum æternis miserijs. Deinde ad extremum hæc addit: *Ex omnibus porrò Celsi dictis nihil æquè miror, quàm id, quod antè dictis subintulit: Ab hac doctrina nec Christiani, nec alius quispiam mortalium resiliat:* De æternis scilicet, seu pœnis, seu præmijs. Vnde quid colligitur? nisi Origenem pœnas approbare æternas, & id præcipuè in gentili Philosopho admirati, quòd non modò eas approbet, sed etiam votum faciat, vt cuncti mortales approbent, nec ab huiusmodi approbatione vnquam resiliant? Ex his autem liquidò apparet Celsum doctrinā fuisse Platonicum.

*Votum Philosophi Gentilis de fide æternitatis pœnarum & præmiorum.*

Sunt & alij multi de ijsdem pœnis in Origene loci minimè obscuri, quos ego optem ac velim tam diu à nostris aduersarijs approbari, donec ipsi pro sua præsumpta opinione plures proferre & clariores possint.

Non possum autem, quin & ista ibidem Origenis de Celso verba hîc subijciam.

### Verba Origenis contra Celsum.

*Debuerat igitur Celsus,* inquit, *semel approbato dogmate de æternis iustorum & iniustorum præmijs atque supplicijs, pergere, quā cæperat viā, & pluribus argumentis demonstrare, iniustos æternis malis prorsus afficiendos, & iustos itidē præmijs. Nam & nos quoque ante omnia plurimis rationibus, quæ nos ad Christianè viuendū perpulerunt, omnes homines, quantū fert facultas, conamur eodē adducere, cùm autem calumnijs in gentem Christianā ita reperimus occupatos, vt ne ad aures quidem dicta nostra admittant, propter imaginationem, qua impios esse Christianos opinātur; ex humanitate,*

prout

*prout possumus, operam damus, vt per ea, quæ de æterna impiorum punitione ingerimus, doctrinam suscipiant, & qui nolebant, fiant Christiani, &c.*

Ac de pœnis quidem æternis, quòd eas minimè negauerit Origenes, sed potiùs ad Gentiles ad fidem conuertendos inculcauerit, hactenus satis.

# QVÆSTIO VI.

## *QVÆNAM ADVERSVS ORIGENEM præcipuè criminatus sit Theophilus Alexandrinus; & quid eis respondeatur?*

§. 1.

CONTRA Origenem nemo acerbiùs insurrexit, quàm Theophilus Alexandrinus; quippe quem & Patriarchæ dignitas armabat, & graues cum magnis ac fortibus viris inimicitiæ exagitabant. Is est, qui sanctum Ioannem Chrysostomum sibi contra Origenem, & Origenis fautores assentiri nolentem perpulit in exilium, atque ad mortem vsque immaniter diuexauit. De quo multa pòst dicenda erunt, cùm de Concilijs agemus: nunc autem hærebimus in ijs afferendis, & diluendis, quæ in tribus Epistolis Paschalibus imporenter contra Origenem criminatus est. *Theophili Alexandrini criminationes refutantur.*

In earum igitur prima epist. appellat Origenē *Hydram omniū hæreseon.* *1. Criminatio & calumnia.*

Cui retundendæ calumniæ satis est dicere, nos maius pro Origene, & longè verius habere testimonium à sanctissimo Martyre Pamphilo, qui eundem Origenem *omnium hæreseon prædicat debellatorem.* Posui verba S. Pamphili in fronte huius Operis, inter veterum de Origene elogia. Pamphilo autem consentit B. Theodoretus, vir in dijudicandis ac recensendis Hæresibus, earúmque Auctoribus oculatissimus, qui nusquam Origenem inter Hæreticos, persæpè autem inter oppugnatores recenset Hæreticorum. De quo consuli possunt quatuor eius libri Hæreticarum fabularū. Sed plurima & maxima pro Origene testimonia sunt ea, quæ in frōte, vt indicaui, totius huius operis proposui.

*Quòd allegoriæ vmbris, & cassis imaginibus, Scripturarū sustulerit veritatē.* *2. Criminatio.*

Cui respondetur, Origenem nec sustulisse, nec tollere voluisse veritatem, sed quà pro viribus licuit, aperire eam & extollere: adeóque neminem, nec cum illo, nec post illum in depromendis Scripturarum sensibus allegoricis illo fuisse feliciorem: hinc & singulariter eo nomine dilaudatum à S. Sidonio Apollinare, epistola 2. libri 9. ad Euphronium Augustodunēsem Episcopum, vbi Hieronymus laudatur vt interpres, Augustinus vt dialecticus, Origenes vt allegoricus. Quærere autem in Scripturis sensus allegoricos didicit Origenes à Paullo, didicit à Christo Domino, cuius plurima dicta, sensu dicta sunt allegorico, seu parabolico: vt dixerit de illo

Matthæus cap. 13. *Hæc omnia locutus est in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* A scopo autem si quando Origenes aberrauit; quis semper eum attigit?

3. Criminatio. Quòd dixerit Origenes, *propter ruinam & lapsus de cælis animarum, Deum esse compulsum corpora fabricare, &c.*

Respondetur, non id Origenem dixisse, sed animas ante corpora creatas esse, & iuxta merita tale aut tale corpus nactas esse. Quod tamen professus est, se non asserendo, sed inquirendo proferre. Inde autem multas ineptas sequelas detorsit odio hostili Theophilus. Vide suprà quæst. 2. ad 3. ab Hieronymo obiectum.

4. Criminatio. Quòd docuerit, meritos esse Angelos, vt fierent Principatus, Potestates, &c.

Eadem valet responsio: nempe non asserendo, sed inquirendo id protulisse: quod ipsemet indicauit Origenes, cùm ea quę de Angelis certa sunt, & credenda, seiunxit ab alijs.

5. Criminatio. Quòd Spiritum sanctum dixerit non operari ea, quæ in anima sunt, nec peruenire ad irrationalia; Filium autem ad sola rationalia, &c.

Ad hæc respondi suprà Quæst. 1. in Notabilibus ad Apologiam S. Pamphili, Notabili quarto, nihil aliud ibi voluisse Origenem quàm distinguere Personarum proprietates, seu actiones singulis personis singillarim à Scriptura attribui solitas, hoc est, sanctificationem Spiritui sancto, & gratiæ donationem, quæ gratia in Solis sanctis reperitur: Illustrationem Filio, qui Lux appellatur: Creationem Patri, vt fontanæ omniũ origini: quàuis omnia Personis omnibus cõueniant, quę ad extra fiũt, vt loquuntur Theologi. Vide suprà loco iam indicato. Quin & illam in proprietatibus Personarum distinctionem allatam ab Origene, & quandam similem productam à Theognosto vetere Theologo, citat cum vtriusque laude S. Athanasius in illud Euangelij: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis &c.* Matthæi 12. vers. 3. dicitque amborum expositionem continere sensum occultum & profundiorem; non autem dicit continere sensum blasphemum. Matthæi 12. v. 3.

Origenis laus à S. Athanasio. Theognostus Scriptor ecclesiasticus. Vide ibi ab illis verbis: *Prisci igitur homines*, inquit, *inter quos & Origenes, vir multarum disciplinarum, & multùm industrius, & Theognostus ille admirandus, & perquàm studiosus (horum enim opera legebam, cum epistolam tuam acciperem) tradunt nobis, hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, cùm ij, qui dignati sunt per Baptisma donis Spiritus sancti, recurrunt ad peccata, &c.* Deinde producit vtriusque rationes, & varium explicandi modũ, in quibus & verba sunt Origenis, quę malè reprehẽdit hoc loco Theophilus, & quæ Athanasius dicit cõtinere sensum profundiorem.

Tantum autem abfuit, vt Origenes & Theognostus Filium minorem Patre, aut Spiritum minorem Filio tenuerint, vt ambo potiùs attributã Spiritui sancto sanctificandi proprietate (quę sanctificatio hominem Deo carum reddit & perfectum ac consummatũ, estque velut supremum eius in hac

hac vita complementum) vt ambo, inquam, timentes, ne viderentur præferre Spiritum ſanctum Filio, vſi fuerint Occupatione, & explicuerint, quo modo id minimè conſequatur. Quod Origenes quidem fecit lib. 1. *de Principijs*, cap. 3. Theognoſtus autem apud Athanaſium loco ſuprà citato. Nam operum Theognoſti nihil nunc exſtare integrum puto; cuius nomen inter Scriptores ab Euſebio & Hieronymo omiſſum eſt, vti & aliorum non paucorum, quos ipſi non viderunt, quemadmodum ipſimet profeſſi ſunt. *Theognoſti opera vel latent, vel perierunt.*

*Ille*, inquit, *auſus eſt dicere, quòd anima Chriſti ſe euacuauerit*, ſiue exinaniuerit. *Sexta criminatio.*

Non animam Chriſti, ſed Filium Dei, ſeu Chriſtum ſe exinaniſſe dixit, vt videre eſt lib. 5. eius in epiſtolam ad Rom. ſub finem, vbi eadem in pagina bis nominat Chriſtum, ſicut & alibi paſſim. Vide Documenta ex Origene allata, titulo *Incarnationis myſterium*, ſuprà: vbi in multis locis detegetur Theophili calumnia.

Quòd ψυχὰς, id eſt, *animas*, à voce ψῦχος, id eſt, *frigus*, appellatas dixerit, quòd calorem amiſerint charitatis. *7. Criminatio.*

Reſpondetur, diſputando dixiſſe, non aſſerendo. Nam expreſſè diſtinxit in procemio libri primi *de Principijs*, quænam ſint, quæ de animabus tenenda ſint, tanquam fidei dogmata, & quænam ſint alia, de quibus liceat inquirendo diſputare; in quorum poſteriorum numero ſunt ea, quę tam à Theophilo, quàm ab alijs ei objiciuntur; de quibus nihil dum ab Eccleſia erat definitum.

In eadem prima ſua Paſchali ſic ait: *Aliam rurſus Filio Dei nectit calumniam, & ijs verbis loquitur: ſicut Pater & Filius vnum ſunt; ita & anima, quam aſſumpſit Filius, & ipſe Filius Dei vnum ſunt.* *8. Criminatio.*

Reſpondetur, id, quod ibi dicit Origenes, non eſſe calumniam, ſed veritatem. Nam verè Filius Dei, & anima, quam aſſumpſit, vnum ſunt, & quidem vnione hypoſtatica, hoc eſt, maxima & indiſſolubili. Et benè dicitur: *Sicut Pater & Filius vnum ſunt, ita & anima, quam aſſumpſit Filius* &c. Quia ſimilitudo non per omnia conſtare debet; alioqui non omnimodè vnum ſunt, ſed eſſentia tantùm, non ſuppoſito. Aliàs enim non diſtinguerentur; eſſétque idem Pater, qui Filius; & Perſona eſſet vnica, non duæ. Iam autem ſimilitudo Origenis eſt hæc: ſicut Pater & Filius vnum ſunt, eſſentia ſcilicet, non ſuppoſito; ſic Filius Dei & anima, vnum ſunt, ſuppoſito, non eſſentia.

Et ſi Apoſtoli vnum eſſe poſſunt, ſicut Pater & Filius vnum ſunt (dicit enim Filius Ioan. 17. ver. 11. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos*) quanto magis anima Chriſti coniuncta Filio Dei inſeparabiliter, vnum erit cum illo, ſicut Pater & Filius vnum ſunt? Quod autem addit Theophilus in ſua reprehenſione: *Nec intelligit Origenes, Patrem & Filium vnum eſſe propter communionem ſubſtantiæ,* *Ioan. 17. v. 11.*

Matthæus cap. 13. *Hæc omnia locutus est in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* A scopo autem si quando Origenes aberrauit; quis semper eum attigit?

3. Criminatio. Quòd dixerit Origenes, *propter ruinam & lapsus de cælis animarum, Deum esse compulsum corpora fabricare, &c.*

Respondetur, non id Origenem dixisse, sed animas ante corpora creatas esse, & iuxta merita tale aut tale corpus nactas esse. Quod tamen professus est, se non asserendo, sed inquirendo proferre, Inde autem multas ineptas sequelas detorsit odio hostili Theophilus. Vide suprà quæst. 2. ad 3. ab Hieronymo obiectum.

4. Criminatio. Quòd docuerit, meritos esse Angelos, vt fierēt Principatus, Potestates, &c.

Eadem valet responsio: nempe non asserendo, sed inquirendo id protulisse: quod ipsemet indicauit Origenes, cùm ea quę de Angelis certa sunt, & credenda, seiunxit ab alijs.

5. Criminatio. Quòd Spiritum sanctum dixerit non operari ea, quæ in anima sunt, nec peruenire ad irrationalia; Filium autem ad sola rationalia, &c.

Ad hæc respondi suprà Quæst. 1. in Notabilibus ad Apologiam S. Pamphili, Notabili quarto, nihil aliud ibi voluisse Origenem quàm distinguere Personarum proprietates, seu actiones singulis personis sigillatim à Scriptura attribui solitas, hoc est, sanctificationem Spiritui sancto, & gratiæ donationem, quæ gratia in Solis sanctis reperitur: Il lustrationem Filio, qui Lux appellatur: Creationem Patri, vt fontanæ omniū origini: quáuis omnia Personis omnibus cōueniant, quę ad extra fiūt, vt loquuntur Theologi. Vide suprà loco iam indicato. Quin & illam in proprietatibus Personarum distinctionem allatam ab Origene, & quandam similem productam à Theognosto vetere Theologo, citat cum vtriusque laude S. Athanasius in illud Euangelij: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis &c.* Matthæi 12. vers. 3. dicitque amborum expositionem continere sensum occultum & profundiorem; non autem dicit continere sensum blasphemum.

Matthæi 12. v. 3.

Origenis laus à S. Athanasio. Theognostus Scriptor ecclesiasticus. Vide ibi ab illis verbis: *Prisci igitur homines*, inquit, *inter quos & Origenes, vir multarum disciplinarum, & multùm industrius, & Theognostus ille admirandus, & perquàm studiosus (horum enim opera legebam, cùm epistolam tuam acciperem) tradunt nobis, hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, cùm ij, qui dignati sunt per Baptisma donis Spiritus sancti, recurrunt ad peccata, &c.*. Deinde producit vtriusque rationes, & varium explicandi modū, in quibus & verba sunt Origenis, quę malè reprehēdit hoc loco Theophilus, & quæ Athanasius dicit cōtinere sensum profundiorem.

Tantum autem abfuit, vt Origenes & Theognostus Filium minorem Patre, aut Spiritum minorem Filio tenuerint, vt ambo potiùs attributâ Spiritui sancto sanctificandi proprietate (quę sanctificatio hominem Deo carum reddit & perfectum ac consummatū, éstque velut supremum eius in

hac vita complementum) vt ambo, inquam, timentes, ne viderentur præferre Spiritum sanctum Filio, vsi fuerint Occupatione, & explicuerint, quo modo id minimè consequatur. Quod Origenes quidem fecit lib. 1. *de Principijs*, cap. 3. Theognostus autem apud Athanasium loco suprà citato. Nam operum Theognosti nihil nunc exstare integrum puto; cuius nomen inter Scriptores ab Eusebio & Hieronymo omissum est, vti & aliorum non paucorum, quos ipsi non viderunt, quemadmodum ipsimet professi sunt. *Theognosti opera vel latent, vel perierunt.*

*Ille*, inquit, *ausus est dicere, quòd anima Christi se euacuauerit*, siue exinaniuerit. *Sexta criminatio.*

Non animam Christi, sed Filium Dei, seu Christum se exinanisse dixit, vt videre est lib. 5. eius in epistolam ad Rom. sub finem, vbi eadem in pagina bis nominat Christum, sicut & alibi passim. Vide Documenta ex Origene allata, titulo *Incarnationis mysterium*, suprà: vbi in multis locis detegetur Theophili calumnia.

Quòd ψυχὰς, id est, *animas*, à voce ψύχος, id est, *frigus*, appellatas dixerit, quòd calorem amiserint charitatis. 7. *Criminatio.*

Respondetur, disputando dixisse, non asserendo. Nam expressè distinxit in procemio libri primi *de Principijs*, quænam sint, quæ de animabus tenenda sint, tanquam fidei dogmata, & quænam sint alia, de quibus liceat inquirendo disputare; in quorum posteriorum numero sunt ea, quę tam à Theophilo, quàm ab alijs ei objiciuntur; de quibus nihil dum ab Ecclesia erat definitum.

In eadem prima sua Paschali sic ait: *Aliam rursus Filio Dei nectit calumniam, & ijs verbis loquitur: sicut Pater & Filius vnum sunt; ita & anima, quam assumpsit Filius, & ipse Filius Dei vnum sunt.* 8. *Criminatio.*

Respondetur, id, quod ibi dicit Origenes, non esse calumniam, sed veritatem. Nam verè Filius Dei, & anima, quam assumpsit, vnum sunt, & quidem vnione hypostatica, hoc est, maxima & indissolubili. Et benè dicitur: *Sicut Pater & Filius vnum sunt, ita & anima, quam assumpsit Filius* &c. Quia similitudo non per omnia constare debet; alioqui non omnimodè vnum sunt, sed essentia tantùm, non supposito. Aliàs enim non distinguerentur; essétque idem Pater, qui Filius; & Persona esset vnica, non duæ. Iam autem similitudo Origenis est hæc: sicut Pater & Filius vnum sunt, essentia scilicet, non supposito; sic Filius Dei & anima, vnum sunt, supposito, non essentia.

Et si Apostoli vnum esse possunt, sicut Pater & Filius vnum sunt (dicit enim Filius Ioan. 17. ver. 11. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos*) quanto magis anima Christi coniuncta Filio Dei inseparabiliter, vnum erit cum illo, sicut Pater & Filius vnum sunt? Quod autem addit Theophilus in sua reprehensione: *Nec intelligit Origenes, Patrem & Filium vnum esse propter communionem sub-* *Ioan. 17. v. 11.*

*stantiæ,*

*stantiæ, & eandem diuinitatem*; *Filium autem & animam eius, diuersæ & multùm distantis naturæ*. Immo optimè intelligit Origenes, ac multo melius, quàm Theophilus; vt ex plurimis locis cognosci potest è documentis eius suprà, titulo: *Trinitas sanctissima*, & titulo *Incarnatio*: sed hîc agit Origenes de vnitate suppositi, siue de vnione hypostatica.

*Theophili perabsurda ex absurdis suis consequela.* Denique illa Theophili consequela, quam educit è similitudine Origenis, videtur perabsurda, & falsa ad sensum Origenis. Dicit enim: *Si sicut Pater & Filius vnum sunt, sic & anima Filij, & ipse Filius vnum sunt, vnum erit Pater cum anima Saluatoris; & ipsa dicere poterit: Qui videt me, videt & Patrem.*

Negatur enim sequela, quantum ad illam partem: *vnum erit Pater cum anima saluatoris*. Nec enim quod tribuitur Filio Dei, ratione incarnationis, tribui potest & Patri. Nam licèt Pater vnum sit cum Filio, non tamen, vti Filius Dei dicitur incarnatus, passus, mortuus; ita etiam potest dici Pater, incarnatus, passus, mortuus. Qui enim hoc dixerunt, Patripassiani sunt à Catholicis appellati.

Non satis autem habuit Theophilus ea reprobasse, quæ bona sunt, sed ex vna ad aliam criminationem transiens, etiam quæ sunt bono sensu dicta, interpretatus est in pessimo. Sic enim de Origene subiecit: *9. Criminatio.*

*Non ei sufficit ista blasphemia, sed trans flumina Æthiopiæ cursum stultitiæ suæ dirigens, iterum furibundus exsultat, tot dicens voluntate suâ condidisse creaturas rationabiles, quot poterat gubernare; vt virtutem Dei imbecillitati hominum, & ceteris, quæ creata sunt, compararet.* Ita Theophilus; qui & paullò pòst: *At ille verbositatis seminarium contexit, & replicat, & ait: Tanta fecit Deus, quanta poterat comprehendere, & habere sibi subiecta, suaque prouidentia gubernare.*

*Theophili maligna verborū Origenis interpretatio.* Respondetur, Theophilum demutasse verba Origenis, vt voluit, & in pessimam deflexisse partem, vt potuit; & tamen ex illis, quæ adfert, satis intelligi, quo sensu dixerit sua Origenes; nempe illo, quod cuncta Deo sint subiecta; & quòd eius omnipotentiæ in creando, æqualis sit sapientia in gubernando; ita vt nunquam fieri possit, vt tot tantáque creet, quin tot & tanta gubernare possit; vt sapientia gubernatoris æquiparetur potentiæ conditoris. Quare vt vnaquæque res duas habet ansas, Theophilus læuam, ego dextram, quoad eius fieri potest, apprehendo. Et sanè nemo vel mediocris ingenij, vel pertenuis doctrinæ, id de Deo dixerit, quod Origeni affingit Theophilus. Plurimis enim in locis & potentiam Dei infinitam, & sapientiam eius pariter infinitam deprædicat. Sed Theophilus suo more, non quid dixerit Origenes, sed quid ipsemet ex eius dictis perperam acceptis inferat, aut posse inferri credat, odio dictante, scribit. *10. Criminatio.*

Idem Theophilus istud ad extremū proijcit in Origenem epiphonema vanissimū: *Et non erubescit*, inquit, *cōtra Dei fortitudinem disputans, dicere, quòd tantum possit Deus, quantum ei ad operandum materia ministrârit.* Respon-

Respondetur, contra Dei fortitudinem nunquam disputasse Origenem, sed semper pro illa: nec dixisse, Deum in operando dependere à materia, sed omnem à Deo creatam esse materiam: & eos, qui aliter sentiunt, occasione capta, refutasse. Quod non ignorant, qui in Origene versati sunt; ij autem, qui versati non sunt, è Documentis nostris ex illo decerptis habent condiscere, ac præsertim è capite 23. §. 10. in refutatione Hermogenis. Denique videtur Theophilus admodum oscitanter legisse librum 2. Origenis *De Principijs*, quandoquidem cap. 1. sub medium, de illa ipsa loquens materia dicat: *Nescio quomodo tanti ac tales viri ingenitam, id est, non ab ipso Deo factam, conditore omnium putauerunt, sed fortuitam quandam eius naturam virtutémque dixerunt.* Origen's verba lib. 2. de Principijs.

Hactenus quæcunque Theophilus in prima sua Paschali epistola contra Origenem obiecit: nunc afferam, quæ in 2.

Ex epistola 2. Paschali Theophili. §. 2.

In hac epistola quod præcipuè obijcit Origeni, est, quòd tenuerit regnũ Christi finiendum; quæ est calumnia Theophili atrocissima; quam sub huius initium epistolæ sic tractat: IESVS CHRISTVS *heri & hodie, ipse est & in æternum, nunquam habiturus regni sui finem, iuxta sceleratum Origenis errorem; ne, cessante regno, etiã æternitate priuetur.* Sic ille. 11. Criminatio.

Dum hoc dixit Theophilus, videtur cæcitatem affectasse, quandoquidem Origenes regnum & imperium Christi æternum passim prædicet; & cunctas ferè homilias suas, quas scripsit plurimas, his aut similibus finiat verbis: *Domino* IESV CHRISTO, *cui est gloria & imperium, in sæcula sæculorum, Amen*; vt homilia quarta in Genesim. Sic & homilia sexta ibidem: *Quæ sapientia Dominus noster* IESVS CHRISTVS *est; cui est gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.* Sic & in sequenti. *Actu & intellectu spiritales efficiamur in* CHRISTO IESV *Domino nostro; cui est gloria & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.* Sic ferè & in alijs omnibus; vbi *sæcula sæculorum* significant *omnia sæcula*, siue *æternitatem.* Ecce autem vnum locum Origenis (quem ideo omittere non possum, quia ipsius in IESVM fidei, & pietatis plenus est) ex ipsius homilia duodecima in caput vigesimum primum Leuitici, in testimonium contra Theophili criminationem affero. Agens igitur ibi de Aarone Pontifice, qui typus fuit Christi æterni Pontificis; de quo Aarone dicit Scriptura: *Non auferet de capite suo cidarim* [sic enim legunt LXX. Interpretes; vulgata autem lectio: *Caput suum non discooperiet* ] ita scribit Origenes: *Iam & priùs diximus*, inquit, *cidarim genus esse operimenti; quod capiti superpositum Pontifici præstat ornatum. Hic ergo magnus Pontifex meus nunquam deponit sacri capitis ornatum. Quod sit autem caput Christi; ab Apostolo disce, qui dicit*: Caput verò Christi, Deus. Theophilus mentis cæcitate percussus. Leuitici c. 21. v. 10. Hom. 12. in cap. 21. Leuitici.

*Meritò igitur istum capitis sui, qui Deus est, nunquam deponit ornatum, quia semper est Pater in Filio, sicut Filius sẽper in Patre.* Quibus in verbis

Dd Christum

Christum appellat ex amore, Pontificem suum; sicut & paullo antè ibidem: *Hic est*, inquit, *mei magni Pontificis habitus, &c* Simúlque dicit Christum Pontificem semper futurum in Patre: igitur regnum eius æternum est, sicut & Pater æternus est, & regnum eius. Ecce & alterum locum è libro decimo in epistolam ad Romanos, capite decimo sexto ad illa verba: *Gratia Domini nostri* IESV CHRISTI *vobiscum: Sciendum sane est*, inquit, *quòd omnia quæ habent homines à Deo, gratia est. Nihil enim ex debito habent. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei: Gratia ergo est, quicquid habet is qui non fuit & est accipiens ab eo, qui semper fuit, & est, & erit in æternum.* In quibus manifestè indicat IESVM CHRISTVM, datorem gratiæ semper fuisse, esse, & futurum in æternum.

Non veretur tamen Theophilus iterum, iterúmque suam criminationem cum maledicentia repetere. Subdit enim ibidem post pauca: *Nunquam post resurrectionis gloriam perditurus est regnum, licèt innumeros contra eum lapides blasphemiarum Origenes iaciet.*

Atqui nullos lapides blasphemiarum iecit Origenes in Christum, sed plurimos potiùs violarum cumulos & rosarum, quos videre licet suprà, inter *Virtutes ex eius scriptis depromptas*, titulo *Pietas*, vbi crebrò amatoriæ illæ voces resonant: *Dominus meus IESVS.* Quòd si lapides aliquos iactauit in IESVM suum Origenes, non fuerunt tales quales quæsiuit cum scandalo Theophilus, sed quales requisiuit ex misericordia Deus, ad constructionem cælestis Ierusalem, nempe lapides viuos & expolitos, de quibus canit Ecclesia in hymno sacro:

*Vrbs Ierusalem beata,*
*Dicta pacis visio,*
*Quæ construitur in cælis,*
*Viuis ex lapidibus*, &c.

Et infrà:

*Tunsionibus, pressuris,*
*Expoliti lapides,*
*Suis coaptantur locis.*
*Per manus artificis,*
*Disponuntur permansuri*
*Sacris ædificijs.*

Tales lapides fuerunt S. Gregorius Thaumaturgus, & eius frater Athenodorus Martyr, à Gentilismo ad Christum ab Origene adducti. Tales lapides fuerunt S. Heraclas, & S. Dionysius, ambo postea Alexandrinæ Ecclesię Episcopi. Tales & plurimi alij Martyres fuerunt, de quibus in vita Origenis suprà egi, quos Origenes ab errore ad fidem, & per fidem ad Christum adduxit; atque in illis insignes aliquas Virgines, ac nominatim S. Barbaram Virginem & Martyrem. Vtinam & Theophilus tales in Christi sinum lapides iecisset! nec amore lapidum è terra effossorum ita exarsisset, vt λιθομανὴς id est, *lapidum insanè amans*, à S. Isidoro Pelusiota diceretur.

Lib. 1. ep. 152.

Sed vnde habuit Theophilus dixisse Origenem, Christi regnum finiendum? An alicunde locum aliquem clarum, & indubitatum adeptus est, vbi hoc expressè dicat Origenes? Minimè gentium. Nam se prodidit ipsemet, & ex intẽperantia frequentis repetitionis eiusdem calumniæ, indicium dedit agnoscẽdi, vnde eam sequi putauerit, nempe ex ijs, quæ scripsit Origenes in libro primo de Principijs, vbi professus est se nonnulla scribere, non tanquam dogmata fidei, sed tanquam opiniones liberas è conditionatis propositionibus deductas. Scripsit autem contra Valentinianos, negantes in naturis rationalibus liberum arbitrium, & dicentes aliquas ex illis naturis necessariò saluandas, alias necessariò damnandas, quia hoc ipsarum natura exigeret, adeò vt nunquam potuerit Michaël damnari, neque Diabolus saluari; scripsit, inquã, Origenes adeò falsum hoc esse, vt etiamnum cùm in illis inesset liberum arbitrium, si accideret post multas reuolutiones temporum, & circulos futurorum sæculorum, bonos Angelos eo malè vti, tum damnari possent: & contrà, si mali suo benè vterentur, possent saluari. &c.

*Valentinianorũ hæresis ab Origene refutata.*

Inde igitur Theophilus, tanquam absolutè dictum esset ista futura, & non subconditione tantùm, collegit etiam ipsum Christum, tanquam rationalem naturam malè arbitrio suo vsurum, atque ita regnum eius finiendum; quod Origenes ne somniauit quidem.

Et quòd inde collègerit Theophilus, ipsa eius verba indicant, quæ in eadem secunda Paschali epistola sic habent: *Si enim, iuxta Origenis insaniam, post multorum circulos sæculorum, Christi regnum est finiendum, consequens impietatis eius est dicere, vt & Deus aliquando esse desistat.*

*Theophili verba vesana.*

Deinde fingens sibi ex summa mentis amentia & iracundia Origenem esse in inferno, optánsque, vt eius fautores illò quoque viui descenderent, ac damnarentur, sic ait: *Facessant igitur stultissimi mortalium, immo descendant in infernum viuentes, sicut Psalmista testatur, & præceptorem impietatis suæ ibi esse cernentes, clamitent: Et tu captus es: & tu, sicut nos, reputatus es: descendit in infernum gloria tua: &c.*

*Psal. 54. v. 16.*

Ex his verbis natam & consutam arbitror fabellam illam, de Origene in flammis inferni viso, postquam aliqui Origenis hostes nocturna congerronibus suis somnia, vel etiam diurna phantasmata denarrarunt, & fidem simplicibus ac credulis hominibus habuerunt, vsque eò, vt & rem falsissimam in litteras nonnulli miserint. Et miror sanè virum quempiam doctum ei narrationi, quæ apud Ioannem Moschum cap. 26 refertur, eo tãtùm nomine fidem accõmodasse, quòd liber ille in 7. Synodo generali citatus fuerit. Cùm enim in Concilijs liber aliquis citatur, nõ quicquid in eo libro est, approbatur. Alioquin etiã quicquid est in Socratis historia, quę in codẽ ipso Cõcilio citata reperitur, Actione primâ, appro-

*Ioãnes Moschus in Prato spirit. cap. 26.*

bandum esset. Illa igitur sola approbantur, quæ in medium è libris proferuntur, non alia.

Iam autem, si fabella illa in eo Concilio lecta fuisset, non existimo defuturum fuisse, qui diceret, totam illam visionem niti testimonio vnius Monachi Nestoriani, qui vagabundus, vt sui hospitis (quem videbat Origeni infensum) gratiam promereretur, finxit sibi apparuisse, sub horam diei nonam, hominem quendam terribilem adspectu, qui duxerit ipsum in infernum, & in ignibus ipsi ostenderit Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem: quibuscum si esse nollet, amplectendam sibi esse communionem Catholicam. Quod cùm fecisset, vt ibi dicitur, receptus est à sene Catholico, eique annos quatuor conuixit & mortuus est.

*Nestoriani monachi vagabundi figmentum.*

Hæc est summa visionis, quæ ibi plausibiliùs enarratur, quando autem acciderit, & quo referente Moschus acceperit, conticetur: sed is, qui eam scripsit, post Iustiniani Imperatoris tempora, hoc est, trecentis post Origenem annis vixit, intra quod tempus nihil tale auditum est, nisi quòd, vt paullò antè dixi, Theophilus suo illo figmento occasionem isti fabulæ fortassis dederit. Nam Origenis sepulchrum, vt in extrema eius vita conscripsi, ad hæc nostra vsque tempora fuit gloriosum. Præclarè enim vitam finiuit teste S. Theotimo Episcopo Thaumaturgo, & Tyri in Phœnicia honorificè sepultus est, & annis plus mille trecentis ibi honoratus est, atque etiamnum vt Scriptores tradunt, honoratur.

*2. Criminatio in 2. Paschali.*

Progreditur in suis calumnijs & mendacijs Theophilus, & Origenem appellans morbidi gregis Pastorem, ita scribit: *Talis pastor gregis morbidi Christum vbique sugillat iniurijs, & Diabolum honore sustollit, dum hunc asserit purgatum vitijs atque peccatis, pristinam aliquando gloriam recepturum, & illum regnare destiturum, &c.* O calumniosa mendacia, & dolosa odij figmenta.

Huic calumniæ, & paullò antè, & aliquoties suprà respondi: ipse autem non desistit alijs atque alijs verbis replicare: *Magi, inquit, fatentur Christum Regem; & Origenes negat, dicens eum non perpetuò regnaturum.*

Tam aperta falsitas & calumnia ex antè dictis, & ex se ipsa corruit. Nititur enim illo mendacio, quòd Origenes dixerit, regnum Christi finiendum.

*3. criminatio.*

Obijcit deinde dixisse Origenem, frequenter hominem mori. *Nec quisquam, inquit, hominum crebriùs moritur, quod Origenes ausus est scribere, &c.* Vbi autem scripserit, non monet, quia nusquam, nisi fortè illo sensu, quo Paullus dixit: *Quotidie morior per vestram gloriam.*

*1. Cor. 15. v. 31.*

Respicit tamen opinor, ad μετεμψύχωσιν, seu transformationem animarum; de qua & S. Pamphilus Martyr, & ego suprà respondi.

Præte-

Præterea, Origenem in tantam dicit irrupisse dementiam, vt scripserit Christum pro dæmonibus, ac spiritalibus nequitijs apud superos affigendum cruci. O amentem Theophili, minimè theophili impudentiam. 4a. Criminatio.

Respondetur, non id scripsisse Origenem, sed Theophilũ, aut id è suo finxisse cerebro, aut nescio vnde, & è quibus sequelis hoc deduxisse; sicut & ista: *Si pro hominibus, factus est homo: & si Christus fiat dæmon, dicet quoque dæmonibus: Hoc est corpus meum.* Quarum sequelarũ quis non videt plenam ignorantiæ absurditatem? Nam sicut non vnicus modus fuit saluandi hominem, tametsi vnum Deus delegerit; sic nec vnus esset saluandi Diabolum modus siquidem saluandus esset. Quod tamen negauit plurimis in locis Origenes, quos vide suprà, & apud Merlinum, & Genebrardum in suis pro Origene Apologijs.

Repetit & alias quasdam criminationes in superiori epistola positas; quibus ibi satis responsum est.

Sed noua criminatio est, Origenem dixisse, non esse orandum Filium; nec cum Filio Patrem. 5a. Criminatio.

Quod impudenter obiectum est sine probatione; prudenter contemnitur sine refutatione. Simile quiddam obiecit & S. Ioanni Chrysostomo tam impiè, quàm impudenter.

Et illa: *Confundatur Origenes, inter cetera flagitiorum genera, quæ confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens,* &c. 6a. Criminatio.

Quamuis hoc relinqui posset inter cetera calumniarum genera, tanquam responso indignum; si quis tamẽ aliquam exposcat responsionem; reperiet optimam apud doctissimum Genebrardum ante ipsius Origenis opera ab illo diligenter edita.

Hæc autem sunt omnia, quæ in tribus epistolis Paschalibus contra Origenem attulit Theophilus. Nam in tertia eius Paschali nihil nouum affertur, sed eadem, quæ in duabus prioribus Paschalibus allata sunt, ad nauseam repetuntur.

Quare satis hactenus respondisse mihi videor præcipuis contra Origenem obiectionibus, quæ desumptæ sunt ex Hieronymo, Epiphanio, Theophilo. Aliæ enim non sunt cum ijs comparandæ, & in his ferè fundatæ sunt; adeò, vt si illis sufficienter ac plenè responsum sit, aliæ omnes sponte concidant. Nam si quærat quispiã quamobrem isti aut isti condemnarint Origenem, hoc responderi solet, quia malè sensit de Trinitate: quia animas dixit esse ante corpora: quia negauit resurrectionem corporum: quia dixit pœnas damnatorum finiendas: quia dixit Diabolum saluandum: quia dixit Christi regnum finem habiturum: & alia his similia: quæ si falsa esse ostensa sunt, consequitur & damnationes etiam à Concilijs factas, propter informationum falsitatem esse nullas; ac verissimum esse, quòd mihi ipsamet Veritas de reuoluendo, seu amoliendo lapide grauissimo laboranti (sic enim interpretabar oppositionem Conciliorum *Conclusio refutationis omnium obiectionum ex Hieronymo, Epiphanio, Theophilo, deductarũ.*

 rum

rum aduersus Origenem ) visa mihi est, inquam, Veritas ipsa animo meo intus suggerere, eum lapidem, antequam ad ipsum peruenirem, repertum iri reuolutum. Et sic reuera vsu venit, citò occurrente, quam quærebam, difficultatis illius resolutione.

Quò tamen res tota meliùs intelligatur, & quæ aduersus Origenem Concilia opponantur, clariùs appareat, statui de illis pauculas hîc pro Origene Quæstiones pertractare.

Sit igitur de illis,

# QVÆSTIO VII.

*QVÆNAM CONCILIA ADVERSVS Origenem hac in vita superstitem facta referantur? & quid illis responderi possit? ac primum de Concilio Alexandrino sub Antistite eius vrbis Demetrio.*

§. 1. AGGREDIAR, post profusas ad Deum preces, de ijs, quæ ab auctoritate Conciliorum atque Pontificum aduersus Origenem afferuntur, ea scriptis mandare, quæ Veritas ipsa, crebris inuocata votis, mihi suggesserit. Sine illa enim nec verbum loqui velim, si possim. Et quia nonnunquam accidit, etiam pacatis, atque animo bene compositis Scriptoribus, vt, quod existimant à veritate prodijsse, id ab infirmitate humani ingenij processerit; minimè is esse velim, qui maiorum iudicia, examénque rationũ sequi refugiam: immo & cuncta quæ scribo, & scripsi, & scribam, censuræ S. matris Ecclesiæ volens lubénsque submitto.

Iam hoc satis constat, non ratione modò, sed multarum quoque caussarum certa experientia, res iudicatas ( si quid noui argumenti tempus protulerit antehac incognitum, & parti condemnatæ fauens ) posse absque vlla Iudicum labe, ad examen reuocari, & manifestatâ veritate, secundùm eos, qui caussa priùs ceciderant, iudicari. Id quoque persuasum veri boníque studiosis esse debet: si qua fortè à sanctis viris, dum in vita mortali degerent, secus quàm oporteret, dicta factáue, studio aperiendæ aut protegendæ veritatis detegantur; tantũ abesse, vt ea ipsis in cælo iam beatis displiceant, aut in aliquam ipsorum redundent ignominiam; vt potiùs propter amorem Veritatis, ( quam nunc clarè intuentur, & amant ) maximè grata habeant, atque in ipsius Dei honorem, quem præferunt suo, referri arbitrentur, multúmque gaudeant.

Quibus tanquam ex confesso assumptis, dico Concilia quædam aduersus Origenem, etiam tum in humanis superstitem, facta esse; quædam autem illo dudũ vita defuncto: & priora quidem, Prouincialia tantùm fuisse: in his

in his autem posterioribus vnum potissimè afferri Generale; cuius auctoritatem, quædam alia secuta sunt. De vtrisque agemus singillatim.

## *CONCILIVM ALEXANDRINVM.* §. 2.

CONCILIVM igitur primû, florente tum Origene, coactum fuit Alexandriæ à Demetrio Antistite Alexandrino, sub annum Christi ducentesimum trigesimum primum, Alexandri Seueri Imp. temporibus. Cuius quidem occasio ex eiusdem Demetrij inuidia creditur desumpta, quòd scilicet Origenes, ipso insciente, quamuis castratus, permisisset se ab extraneis Episcopis ordinari Sacerdotem: caussa autem prætexta est hæc, quod in eius scriptis (multos enim iam libros scripserat) non pauci dicerentur reperiri circa fidem errores. Qui autem illi fuerint, dicere nullus potest. Nam acta illius Concilij cuncta perierunt: nec eorum quicquam ipsis Theophili, Epiphanij, Hieronymi temporibus exstabat. Fieri enim haudquaquam potuisset, quin hi in suis aduersus Origenistas scriptis non semel, sed sæpius obiectassent. Equidem solum reperio Hieronymum, qui eius Concilij nominatim meminerit, sed nullo speciatim errore allato, qui in eo damnatus sit. Et quia idem Hieronymus diuersa diuersis temporibus de illo scripsit Concilio, vtraque nobis, vt æquitas postulat, proferenda sunt, & benigno animò audienda. *Concilium primum aduersus Origenem.*

Igitur ante eam tempestatem, quæ Hieronymum à Ruffino, Theophilum à Chrysostomo, Epiphanium à Theotimo diuisit, cuncti vnanimiter fauebant Origeni; & tum de Concilio Demetrij ita scribebat Hieronymus in fauorem Origenis: §. 3.

*Videtisne & Græcos pariter & Latinos vnius labore superatos? Quis enim vnquam tanta legere potuit, quanta conscripsit? Pro hoc sudore, quid accepit pretij? damnatur à Demetrio Episcopo, exceptis Palæstinæ, & Arabiæ, & Phœnicis, atque Achaiæ Sacerdotibus. In damnationem eius consentit vrbs Roma: ipsa contra hunc cogit Senatum, non propter dogmatum nouitatem, non propter hæresim, vt nunc aduersus eum rabidi canes simulant; sed quia gloriam eloquentiæ eius & scientiæ ferre non poterant; & illo dicente, omnes muti putabantur.* Ita Hieronymus in libro de comparatione librorum Origenis & Varronis. *Origenis laus.* *Concilium Rom. contra Origenem.*

Idem libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 54. ita de eodem Origene; *Cùm iam mediæ esset ætatis, & propter ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto & Alexandro, Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis, Presbyter ordinatus, Demetrij offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania; vt per totum mundum super nomine eius scriberet.*

Hæc omnia Hieronymus, ante illam, quam dixi, tempestatem, & antequam idem Hieronymus dissideret à Ruffino; hoc est centum quinquaginta annis circiter post mortem Origenis; ita vt mutari Origenes

quieuerit, potuerit Hieronymus. Post tempestatem verò & dissidium stans pro Demetrio contra Origenem, huiúsque vnam Epistolam ad quosdam caros suos in vrbe Alexandrina degentes scriptam citans; sic ait: *Cumq; illa epistola tota Demetrium Alexandrinæ vrbis Pontificem laceret, & in totius orbis Episcopos & Clericos inuehatur, & frustra ab Ecclesijs excommunicatum esse se dicat, nec velle in maledictis referre vicem, ne scilicet maledicens videatur esse homo, qui in tantum cautus sit ad maledicendum, vt ne Diabolo quidem audeat maledicere; vnde & Candido Valentiniani dogmatis sectatori, calumniandi se occasionem dederit, quòd Diabolum saluandæ dixerit esse naturæ.*

Hieronymi verba in 2. aduersus Ruffinum Apologia.

§. 4. Ista Hieronymus, quę pro Demetrio faciunt contra Origenem, sicut priora pro Origene faciebant contra Demetrium, sed vtrobique, vt videtur, ex affectu nimio, tunc amoris, nunc odij. Vtinam autem tota illa, cuius fit mentio, exstaret Origenis epistola! Tunc enim quousque progressa fuisset Origenis contra Demetrium indignatio, clariùs cerneretur. Ex his tamen verbis, quæ sequuntur, tam Hieronymi, quàm Origenis, videtur idem Origenes generaliter conquestus esse de ijs, qui Demetrio ipsum infamanti nimis facilè fidem accommodarant, eósque verbis Scripturæ sacræ satis acriter perstrinxisse, sed in primis Demetrium: non tamen nominatim, neque tam acriter, quàm eundem Demetrium Hieronymus suprà. Igitur Hieronymus membrum quoddam Epistolæ Origenis proferens, sic scribit:

Verba Hieronymi. *Contra Sacerdotes ergo Ecclesiæ generaliter disputans, à quibus indignus communione eius fuerat iudicatus, hæc citauit:*

Verba Origenis ex versione Hieronymi libro 2. contra Ruffinum. *Quid necesse est de Prophetarum sermonibus dicere, quibus sæpissime Pastoribus, & maioribus natu, & Sacerdotibus ac Principibus populi comminantur, & arguunt eos? quæ absque nobis, de sanctis Scripturis elicere potestis, & liquidò peruidere, quòd forsitan hoc tempus sit, de quo dicitur: Nolite credere amicis, nec speretis in principibus; & nunc impleatur vaticiniũ: Duces populi mei me nescierunt: filij stulti sunt, & non sunt sapientes. Sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nesciunt. Quorum magis misereri, quàm eos odisse debemus; & orare pro illis, quàm eis maledicere. Ad benedicendum enim, & non ad maledicendum creati sumus. Vnde & Michaël, cùm aduersus Diabolum disputaret de Moysis corpore, ne tanto quidem malo ausus est iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit:* Increpet tibi Dominus. *Cui simile quid etiam in Zacharia legimus: Increpet tibi Dominus, Diabole: & Increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem. Itaque & nos cupimus increpari à Domino eos, qui nolunt à proximis increpari. Dicente autem Michaële:* Increpet tibi Dominus, Diabole; *& Zacharia similiter; vtrum increpet aut non increpet Deus Diabolum ipse viderit: & si increpat, quomodo increpet, ipse agnoscat.*

Epist. Iudæ v. 9.

Zacharia 3. v. 2.

*Hieronymi verba. Et post multa, quæ prolixum est scribere, addit:*

*Nos*

*Nos hoc sentimus, quod deijcientur de regno cælorum non solum, qui grandia peccauerunt, verbi gratiâ, fornicatores, & adulteri, & masculorum concubitores, & fures; sed & qui minora deliquerunt, ex eo, quod scriptum est: Neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt; & tam in bonitate, quàm in seueritate Dei, esse mensuram. Vnde cuncta nitimur agere consilio, in vini quoque potu, & in moderatione sermonis, vt nulli audeamus maledicere. Ergo cùm propter Dei timorem caueamus in quempiã maledicta conferre, recordantes illius dicti,* [in Iudæ epist. vers. 9.] Non fuit ausus iudicium inferre blasphemiæ, *quod dicitur de Michaele contra Diabolum: & in alio loco* ibid. v. 8. Dominationes quidem reprobant, glorias autem blasphemant: *quidam eorum, qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis & nostræ doctrinæ blasphemiam, super qua illi viderint, quomodo illud audiant:* Neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt: *licet patrem malitiæ & perditionis eorum, qui de regno Dei eijcientur, dicant posse saluari. Quod ne mente quidem quis captus dicere potest.*

. Huc vsque sunt ipsissima verba Origenis ab ipso Hieronymo Latinè reddita, in libro secundo contra Ruffinum medio. Vnde haud satis possum demirari Hieronymum, qui illa vertit & edidit, non reuocasse ea, quæ contra Origenem scripserat in epistola ad Pammachium & Oceanum mediâ, nempe illum docuisse, *post multa sæcula atque vnam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem quod Diabolum.* Nec enim illa possunt consistere cum verbis illis extremis Origenis ab ipso proximè hîc positis.

Iam porrò, cùm inter alia aduersus Origenem maledicta, etiam illud fuerit, quòd dixisset Diabolum esse saluandum, certè mirum videri non debet, si acriùs contra tales maledicos scripserit. Quin si propter hoc, & similia maledicta, & calumnias à Demetrio excommunicatus est inauditus, certum fit, excommunicationem fuisse nullam. Quod ex eo, quoque confirmatur, quòd planissimè constet, non destitisse S. Alexandrum Hierosolymorum Episcopum & Martyrem, & alios Palæstinæ, & Arabiæ, & Phœnicis, & Achaiæ Antistites cum illo communicare, & pro illo aduersus Demetrium stare. Quòd si fortè vrbs Roma consenserit litteris Demetrij circumquaque volantibus (id tamen aliunde non habetur, quàm ex Hieronymi Romanis tum infensi testimonio suprà posito) excusabilis sanè fuit ex informatione & auctoritate Demetrij, qui alium, quàm esset, descripserit Origenem. Et perquàm probabile est Romanos à suprà laudatis Episcopis meliùs fuisse postea informatos: cùm ne apex quidem ab vrbe Roma tum extiterit contra Origenem, & ipse Origenes in Ecclesiæ magisterio, quoad vixit, semper perseuerauerit, ac post mortem quoque ad Damasi vsque tempora mirè celebratus sit; donec illa, quam dixi, tempestas à dæmone inuidiæ concitata, totum orbem fœdè commouit, & §. 5.

S. Ioan-

*Chrysostomus & Theotimus stãt pro Origene.* S. Ioannem Chrysostomum à sua Ecclesia in exsilium, immo & in mortem protrusit. Cur autem?

Quia Theophilo contra Origenem furenti restitit, nec se damnaturum, quem Ecclesia non damnasset, professus sit. Idem dixit S. Epiphanio sanctus Theotimus, miraculorum illa ætate præcipuus patrator. Quę profectò tanti viri non dixissent, si Origenes fuisset aliquando antehac iustè condemnatus.

§. 6. Accedit quòd Theophilus nullam prioris damnationis mentionem fecerit, vti nec Epiphanius; quorum tamen, vt inimicorum, maximè intererat non silere. Quod magno argumento est, inanem eam fuisse, si qua fuit, ac pro nihilo habitam. Certè & illam, & quæcunque alia de Origene sinisteriùs fuere sparsa, pro nihilo duxit tum Hieronymus, cùm in Traditionibus Hebraicis super Genesim ita scripsit in procemio: *De Adamantio autem sileo (cuius nomen, si parua licet componere magnis, meo nomine inuidiosius est) qui cùm in homilijs suis, quas ad vulgum loquitur, communem editionem sequatur; in tomis, id est, in disputatione maiori, Hebraïca veritate stipatus, & suorum circundatus agminibus, interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia. Hoc vnum dico, quòd vellem cum inuidia nominis eius, habere etiam scientiam Scripturarum, flocci pendens imagines vmbrásque laruarum, quarum natura esse dicitur, terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis.* Quod certè nemo vnquam de eo dixerit, quem ab Ecclesia condemnatum putet, aut hæreticum credat.

*Verba Hieronymi pro Origene.*

At enim, inquies, nondum viderat Hieronymus, cùm illa scripsit, librum Origenis *de Principijs*, propter quem erroribus scatentem videri possit condemnatus. Sit ita, non viderit: sed viderat illum S. Pamphilus Martyr talem, qualis ab Origene scriptus est, & cùm vidisset defendit, nihilque eum habere, propter quod condemnari hæreseos posset, ostendit. Quem autem nactus est vno post Pamphilum sæculo Hieronymus, fuit ab Hæreticis, vti & quædam alia eius scripta, contaminatissimus. Et tamen qualiscunque etiamnunc est, se ipse satis tuetur, dum in procemio profitetur, quænam sint, quæ doceat tanquam fidei dogmata; & quænam sint, de quibus inquirat; & dum sæpius in ipsis libris, præmunitione & cautela super rebus dubijs atque arduis vtitur; quemadmodum aliquoties in quæstionibus suprà positis indicauimus.

*S. Pamphilus defendit libros Origenis de Principijs.*

§. 7. Adde, quòd Origenes, etiam in vita hac superstes, de corruptione librorum suorum conquestus sit, & litteras quaquauersum de recta sua fide miserit; & errores, qui sibi iniustè ac falsò adscribebantur, suos esse negauerit, ac detestatus sit. Exstat etiamnum epistola Origenis de libris suis corruptis: cuius partem vnam Hieronymus, maiorem alteram retulit Ruffinus in Apologia pro Origene; éstque ea epistola quæ ad caros Alexandrinos scripta est, quam & Cæsar Baronius refert tomo secundo Annalium, Anno Christi ducentesimo trigesimo secundo

Alexandri

Alexandri Imp. 9. post quam epistolam ita subdit idem Baronius:

*Hæc & alia Origenes pro sui excusatione. Videri vtique possent hæc ad Origenis excusationem satis idonea: sed quid Hieronymus? Intelligimus*, inquit, *in hoc tantùm dialogo ab Origene argui falsitatem hæreticam, & non in ceteris libris, de quibus nunquam quæstio fuit? Alioquin, si omnia, quæ hæretica sunt, non erunt Origenis, sed hæreticorum (omnes autem propemodùm illius tomi his erroribus pleni sunt) nihil Origenis erit, sed eorum, quorum ignoramus vocabula.* Ad hoc responderi potest, dicta hæc esse ab Hieronymo hyperbolicè; sicut & ista in Præfatione ad Damasum Papam, de Homilijs in Canticum Canticorum. *Origenes*, inquit, *cùm in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit.* Non potuisset enim Origenes, verè loquendo, in ceteris libris omnes vincere, si omnes propemodum eius tomi fuissent pleni erroribus. *Baronij verba. Hieronymi verba tempore dissidij.*

Baronius autem post verba illa priora Hieronymi, hæc subdit: *Verùm enimuerò*, inquit, *illud de Origene non prætermittimus, quòd vtcunque res acciderit, cùm neget eos à se dictos vel scriptos errores (vt illud, quod ijdem suprà referunt, de saluandis Dæmonibus) hæreticus dici non potuit, quantumlibet eius, & aliorum id genus prauorum dogmatum fuisset assertor. Satis enim ea improbasse videri potuit, dum non modò non defendit, sed constanter sua esse negauit.* Hæc est igitur Baronij sententia, Origenem non posse dici hæreticum; nequidem, si dixisset Dæmones aliquando esse saluandos; neque ob quoscunque alios errores in ipsius scriptis repertos, quos quidem esse suos negauerit. Et hæc est quoque omnium Theologiæ Doctorum, sententia, ad hæresim non modò requiri errorem in fide, sed etiam obstinationem ac pertinaciam in errore. Nullus autem ad hoc tempus probauit, Origenem in vllo errore fidei fuisse pertinacem, & consequenter nec fuisse hæreticum. Quòd si qui antehac vocarunt eum hæreticum, illi abusiuè vsi sunt nomine *hæretici*; nimirum pro eo, qui aliquos circa fidem habet errores. Quo etiam modo dixit aliquando Hieronymus, se in scriptis Augustini aliqua reperisse hæretica, hoc est, talia, vt, si pertinaciter defenderentur, essent hæretica. Atqui plurimi SS. PP. talia habent, quæ tamen exploratæ ipsorum sanctitati nihil propterea offecerũt; quia crediti sunt semper parati fuisse, si Ecclesia ab ipsis diuersa sentiret, eius sensum sequi, & suũ dimittere. *Baronij verba pro Origene. Quanā requirantur, vt quis dicatur hæreticus. Hieronymus epistola 92. Augustino.*

§. 8. Nec verò dissimulandum, quòd Baronius post excusatum à nota hæreseos Origenẽ, vt nunc visũ est, subdat ibidẽ hęc in ipsius reprehensionẽ: *At in eo certè minùs excusatione dignus videtur, quòd cùm sciret, sua ab omnibus impugnari, retractatoriũ nullũ ediderit cõmentariũ, cùm ipsi tamẽ satis otij, & tẽporis superfuerit, vt ad omnes Catholicæ fidei numeros cũcta, quæ à se scripta essẽt, attẽperaret.* Ita Baronius. Cui respõderi potest, Origenẽ nescire potuisse, quid quisque sibi affingeret; quæ tamẽ sciuit, ea propalasse, & fraudes detexisse, quas ipse partim Athenis, partim Ephesi, partim Antiochiæ, *Baronij insimulatio refellitur.*

chiæ, per se, ac suos detexerat; vt videre est in epistola antè citata. Nam quid vbique, & quouis tempore in suis deprauaretur aut reprehenderetur libris, ne scire quidem fuit illi possibile, nedum retractare. Adde, quòd si eo viuo, corrupti sint libri; quanto ampliùs, & licentiùs eo mortuo? Nam tempore S. Pamphili Martyris, qui non longè ab eius excessu collegit & refutauit ea, quæ ipsi obijcebantur, valde pauca tum erant; itidémque aliquanto pòst, cùm illum S. Athanasius contra Arianos suscepit defendendum. At post dictam suprà tempestatem, & post exortam inter viros sanctos super Origene discordiam, tum demum nihil non ausi sunt hæretici: quod in libris manuscriptis (cùm nulla esset typographia) facillimum fuit. Adde præterea, eundem Origenem contra illos corruptores & alios homines sui osores, ac maledicos, scripsisse epistolas plurimis Episcopis Ecclesiarum, & nominatim S. Fabiano Pontifici Romano, postea Martyri; in quibus declarauit, quæ sua fides esset, & quàm orthodoxa. Quod testatur Eusebius libro sexto Historię Ecclesiasticę capite vigesimo nono, & ex eo Baronius Anno Domini ducentesimo quadragesimo octauo his verbis: *Origenes autem, cùm tot tantáque à se scripta, iam edita, haud facilè corrigere, & emendare posset, aut vellet, hac vna tantùm via suæ integritati consulere satis arbitratus, rectæ fidei professionem primò ad Fabianum, Romanum Pontificem, tanquam ad totius Ecclesiæ Catholicæ Præsulem, mox ad alios misit Episcopos. Intexuit illam Eusebius in sua pro Origene, vt testatur, scripta Apologia, quæ excidit.* Ita Baronius.

*Quando potissimè corrumpi cœperint libri Origenis?*

§ 9. Fecit igitur Origenes, quod optimi Catholici, ac soli verę Ecclesię, atque orthodoxæ Fidei amatores (nulli autem hæretici) facere solent. Dedignantur enim hæretici summum Pontificem, seque ab illo separant, pluris sua, quàm auctoritatem vllam facientes, & gloriam suam gloriæ Dei anteponentes; quippe superbi admodum & vani, & timoris Dei expertes. Quibus quàm contrarius fuerit Origenes, videri potest suprà inter *Virtutes*, titulo *Humilitas*, & titulo *Timor Dei*; & in *Documentis*, titulo *Ecclesia*. Equidem ne vnum quidem inueni verbum in scriptis omnibus Origenis, quę exstant (& perlegi tamen omnia diligenter) quod vel minimum cuiusquam, aut summi Pontificis, aut Cleri Romani despectum sonet, cùm aliqui interim Origenis impugnatores, nec pauca habeant, nec leuia. Ac si de erroribus (quos in tanta librorum à se scriptorum multitudine necessum fuit obrepere) scripsit Fabiano Pontifici, se pœnitere, causámque in Ambrosium illum ἐργοδιώκτην, siue *exactorem operum* retulerit; hoc sanè magis pro Origene, quàm contra Origenem facit; nec potest ille dici hæreticus, qui non modò errores suos non defendit (quod hæreticorum est) sed illorum se pœnitere ostendit, quod solorum ferè Catholicorum est, & quidem haud multorum. Pauci enim id fecerunt: fecisse autem Origenem testatur ipse Hieronymus in epistola ad Pammachium, & Oceanum, his verbis: *Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum*

*Quam diuerso ab hæreticis ingenio fuerit Origenes.*

*Libri quidã Origenis præproperè ab Ambrosio euulgati.*

*Romana*

*Romana vrbis Episcopum, pœnitentiam agit, quòd talia scripserit, & caussas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita, in publicum protulerit.* Nempe Ambrosius scripta Origenis maximi faciens, nunquam desistebat illum vrgere ad scribendum; & scripta ipsa neque dum correcta, mox in publicum proferebat. Origenis tamen plurimum in scribendo laborem atque assiduitatem in laude posuit S. Athanasius, qui propterea solitus est eum gratanter *laboris amantem*, appellare. Posuit & Hieronymus, nec semel, sed sæpius, & idcirco illapsos errores excusauit, dum scripsit in hac ipsa epistola (quemadmodum & alibi indicauimus) *Quòd si quis Iudas zelotes opposuerit nobis errores suos, audiat liberè: Interdum magnus dormitat Homerus. Verùm operi longo fas est obrepere somnum.* Et tamen hæc scripsit Hieronymus post dicta cum æmulis suis, ob versionem librorum De Principijs contentionem; multo autem maiora ante illam. Denique potest ex iam dictis liquidò cognosci, Concilium illud particulare à Demetrio Alexandrino celebratum contra Origenem viuentem, vim nullam habuisse; illum pro virili defendentibus, & semper cum eo communicantibus, S Alexandro Hierosolymorum Episcopo, tunc Confessore, & postea Martyre, & alijs, præsertim autem Palæstinæ, Arabiæ, Phœnicis, Achaiæ, Episcopis, quorum, simulque aliorum operâ, tandem omnis molitio Demetrij concidit, & nomen Origenis circumquaque diffusum magis magisque ad Nicænum vsque Concilium, immo & multis post illud annis, vt mox videbitur, effloruit.

*Athanasius Origenē φιλόπονον solitus appellare. Hieronymi verba pro Origene.*

---

# QVÆSTIO VIII.

*QVÆNAM CONCILIA PARTICVLARIA post mortem Origenis, aduersus eum concitata sint, quâue ex caussa & occasione.*

§. I.

FECIT aliquando scriptorum Origenis excellentia, vt ea secundùm Scripturam sacram, præcipuo fere apud omnes in honore ac pretio haberentur. Et hoc quidem, si vnquam aliàs, maximè quarto à Christi natiuitate sæculo: quod sæculũ plurimis doctrina peræquè & sanctimonia præstantibus viris abundabat. Tum enim inter alios florebant in Oriente illi quatuor celeberrimi Ecclesiæ Doctores, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus: in Occidente verò Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus. Isto igitur quarto sæculo, præsertim ineunte, omnia scripta Origenis permagna in

*Quartum à Christo sæculum viris doctis & sanctis florentissimum.*

auctoritate erant. Hinc auidè perquiri, certatim describi, magno comparati, illorum auctoritas pro varijs hominum affectibus & studijs diuersas in partes trahi, non à Catholicis dumtaxat, sed etiam ab hæreticis atque schismaticis. Quid mirum? Nam & in sacra Scriptura id factitatum: vnde & hæreses natæ. Propter quas tamen neque ipsa Scriptura exterminata est, neque facta vilior: non quia primæ pepercerint mundi potestates (quæ potiùs tota vi impugnarunt, & abolere conatæ sunt) sed quia cunctis potestatibus fortior Veritas fuit. Ita quodam modo (si parua licet componere magnis) cum operibus Origenis factum est. Ijs enim cùm multi vterentur, multi quoque abuterentur, tentata est eorũ à nonnullis abolitio, & exterminatio, etiã ab illis qui plurimùm vsi fuerant, qui crebrius laudauerant, qui animosiùs defenderant. Verùm hodiéque perdurant, perdurabuntque, sublatis nimirum & exstinctis, quæ tunc ardebant, hæresibus, & cõsopitis inter Catholicos dissensionum caussis. Quamdiu enim pax & concordia inter illos olim vigebat, tamdiu Origenes ab omnibus ferebatur in cælum, Græcis pariter & Latinis; neque Latinis quicquam erat molestius, quàm quòd interpretum penuriâ seriùs ad ipsos peruenirent ea, quibus Græci iam potirentur & abundarent. Verùm interuenientibus deinde inter magnos ac præstantes viros dissidijs, quidam eorum, qui potestate magis, quàm æquitate caussæ præpollebant, Concilia quædam, colore quidem exstirpandarum hæreseon, re autem vera, calore vindicandarum priuatarum iniuriarum, tumultuosè coëgerunt.

§. 2. Tria igitur Concilia, contra Origenis studiosos præcipitanter & tumultuosè, sæculo Christi quarto exeunte concitata sunt: vnum Alexandriæ in Ægypto, alterum Constantiæ in Cypro; tertium Constantinopoli in Thracia. Quorum omnium primus auctor & concitator, maximo Ecclesiæ damno, fuit Theophilus Alexandrinus, & quidem priuato aduersus Isidorum Presbyterum odio stimulatus. Hic enim contra illum, sed pro veritate, perhibuerat quadam in re ecclesiastica testimonium. Ecclesiâ igitur à Theophilo eiectus refugium habuit ad Monachos, qui in Sceti, monte Ægypti, habitabant; vtpote veteres suos fratres ac sodales. Theophilus autem ob vnius vindictam persecutus est omnes, & caussam in eos prætexuit, quòd essent Origenistæ. Ita coacto derepente vicinorum, sibíque subditorum, & hinc facilè obsecundantium Concilio eos damnat, damnatos tota Ægypto vi armísque expellit. Quod postquã iracundiùs fecit, quàm prudentiùs, tum (quòd facere antè debuerat) huc illuc & quaquauersum ad Episcopos scribit, vt cogantur contra Origenistas Concilia, se enim pulchram scilicet de illis in Ægypto reportasse victoriam. Tum ergo binas ad Epiphanium, quo sibi eum conciliaret, & suorum adiutorem consiliorum haberet, epistolas propere mittit, vnas ipsi proprias, & peculiares; alteras autem circulares, & omnibus

*Cõcilia aliquot tumultuosa, vrgẽte Theophilo Alexãdrino.*

*Theophilus Epiphanium varijs litteris cõtra Origenem sollicitat.*

omnibus Episcopis communes, quarum hæ perierũt, priores autem etiamnum exstant, quarum hoc est exemplum:

THEOPHILVS EPIPHANIO.

*Dominus, qui locutus est ad Prophetam:* Ecce, constitui te hodie super gentes & regna; eradicare, & suffodere, & disperdere, & rursum ædificare ac plantare, *singulis temporibus eandem Ecclesiæ suæ largitur gratiam, vt integrum corpus conseruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant. Quod quidem nunc videmus expletum. Nam Ecclesia Christi, quæ non habet maculam, neque rugam, aut aliquid istiusmodi, egredientes de cauernis suis Origenis colubros Euangelico ense truncauit, & secundum Nitriæ Monachorum agmen contagione pestifera liberauit. Pauca ergo ex ijs, quæ gesta sunt in generali epistola, quam ad omnes in commune direxi, prout patiebatur temporis angustia, comprehendi. Dignationis tuæ est, quæ in huiusmodi certaminibus sæpe ante nos pugnauit, & positos in prælio consolari, & congregare totius insulæ Episcopos, ac Synodicas litteras tam ad nos, quàm ad Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, & si ad quos alios putaueris mittere, vt consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur. Didici enim, quòd calumniatores veræ fidei Ammonius, Eusebius, & Euthymius nouo pro hæresi furore bacchantes Constantinopolim nauigarunt, vt & nouos, si quos potuerint, decipiant, & veteribus suæ impietatis socijs coniungantur. Curæ igitur tuæ sit, vt cunctis Episcopis per Isauriam, atque Pamphiliam, & ceterarum prouinciarum, quæ in vicino sunt, rei ordinem pandas; & nostram, si dignum putas, epistolam subijcias; vt omnes vno spiritu congregati, cum virtute Domini nostri* IESV CHRISTI *tradamus eos Satanæ, in interitum impietatis, quæ possidet eos. Et vt celeriùs nostra Constantinopolim scripta perueniant, mitte industrium virum, & aliquem de Clericis, sicut & nos de ipsis Nitriæ Monasterijs Patres Monachorum, cum alijs sanctis & continentissimis viris misimus, qui possint cunctos in præsenti docere, quæ gesta sunt. Et super omnia quæsumus, vt impensas ad Dominum fundas preces, quò possimus etiam in isto certamine victoriam consequi. Non enim parua lætitia, & in Alexandria, & per totam Ægyptum, populorum corda peruasit, ex quo pauci homines eiecti sunt, vt purum corpus Ecclesiæ permaneret. Saluto fratres, qui tecum sunt. Te plebs quæ nobiscum est, in Domino salutat.*

*Ieremiæ 1 v. 10.*

*Is erat Ioãnes Chrysostomus.*

En tota Theophili epistola; in qua hæc sunt notanda: §. 3.

Primò, eos quos vocat Origenis colubros, fuisse monachorum sanctissimos, & in Græcorum Menæo celebratos; nec fuisse Euangelico ense truncatos, sed gladio barbarico fusos fugatósque. De quibus in

*Menæum Græcorũ 10. Iunij, in editione veteri.* Menæo Græcorum reperi: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τῶν ἁγίων μυρίων πατέρων, οὓς διά πυρὸς καὶ θανάτῳ βιαίῳ παρέδωκε Θεόφιλος ὁ ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας διὰ Ἰσίδωρον τὸν πρεσβύτερον.

*Eodem die sanctorum plurimorum Patrum, quos Theophilus Alexandriæ Episcopus igni, & violenta morte, propter Isidorum Presbyterum enecauit.* Quibus conformia scribit Nicephorus Callistus, libro decimo tertio historiæ Ecclesiasticę, capite decimo, in fine.

*Nicephorus lib. 13. c. 10.* *Theophilus*, inquit, *vbi consilium suum sibi succedere vidit, cum magna multitudine, militibus etiam consequentibus, montem Nitriæ, vbi plurima erant monasteria, occupat, & Monachorum cateruas aduersus Dioscorum, & fratres eius armis instruit, ignéque iniecto monasterium eorum incendit, & prorsus vastat. Atque illi in summum discrimen coniecti, vix tandem nudi è puteis, quò se abdiderant, euadentes capitis periculum effugerunt.*

*Quibus de caussis Theophilus Epiphanium potissimè delegerit adiutorem.* Secundò, quòd petit ab Epiphanio, vt Synodum cogat, & Synodicas litteras tam ad se, quàm ad Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, hoc est, Chrysostomum, mittat; & quòd rursus paullò pòst vrget, vt citissimè Constantinopolim ableget aliquem de Clericis, cùm ipsemet rectâ viâ vnum è suis Clericis mittere potuisset, eúmque à semetipso melius informatum, quàm ab altero; huius, inquam, rei caussa hæc videtur fuisse præcipua, quòd alienior esset à Ioanne Chrysostomo, quem & impedire conatus fuerat, ne fieret Episcopus Constantinopolitanus. Dedignabatur ergo prior ad illum scribere.

Altera item caussa, cur Epiphanium rogaret potiùs, quàm alium, pro hoc sibi præstando opere vicario, est, quòd Epiphanius ob ætatem, & sanctitatem credebatur plus auctoritatis habiturus apud Chrysostomum, quàm quiuis alius; & tertia, quòd illum sciret præ omnibus odisse Origenem.

*Theophilus ob vexationẽ Monachorum pessimè apud Ægyptios audijt.* Tertiò, quòd dicit non paruam lætitiam peruasisse corda Alexandrinorum, & omnium Ægyptiorum, paucis hominibus eiectis; id tantum abesse certum est à veritate; vt potiùs ea ipsa de caussa pessimè audierit Theophilus apud Alexandrinos, maximámque apud omnes Ægyptios sibi inuidiam compararit. Cuius rei testem locupletissimum habemus Postumianum, virum probum, & sancti Seueri Sulpitij Episcopi amicissimum, qui tum in Ægypto fuit, & in ipsa vrbe Alexandriæ à Theophilo exceptus est hospitio, sed demorari apud illum diutius propter istam inuidiam, qua ob cædem Monachorum flagrabat, recusauit, vt ipsemet refert apud eundem Seuerum Dialogo primo, capite secundo, his verbis:

*S. Seueri Sulpitij verba ex persona Postumiani.* *Istiusmodi ergo turbatione, cùm veni Alexandriam, fluctuabar. Me quidem Episcopus illius ciuitatis benignè admodum, & meliùs, quàm opinabar, excepit, & secum tenere tentauit; sed non fuit animus ibi consistere, vbi*

*recens fraternæ cladis feruebat inuidia. Nam etsi fortasse videtur parere Episcopis debuisse; non ob hanc tamen caussam multitudinem tantam sub Christi confessione viuentem, præsertim ab Episcopis, oportuisset affligi. Igitur inde digressus, Bethlehem oppidum petij.* Sic ille.

Persuasit tamen Theophilus Epiphanio seni decrepito, & ad credendum facillimo, quicquid in votis habuit: sed non persuasit Ioanni Chrysostomo, neque per se, neque per Epiphanium. Nôrat enim Chrysostomus Theophilum, eiúsque mores. Nôrat & Monachorum, quos Theophilus persequebatur, sanctitatem, & sciebat afflictorum misereri, & eos contra affligentes defendere. Sciebat itidem Isidorum Monachum & Presbyterum, virum esse probum, & doctum, & ab ipso Theophilo haud ita pridem dignum Episcopatu Constantinopolitano iudicatum, nunc autem pro testimonio veritatis persecutionem ab illo pati. Illum proinde & cunctos à facie furoris Theophili profugos Constantinopoli suscepit; communione tamen sacra non priùs donauit, quàm eorum fidem & caussam explorasset. Qua explorata, litteras pro ipsis ad Theophilum dedit, ad communionem illis reddendam cohortatorias. Hic autem ratus eos à Ioanne ad sacram admissos communionem, litteras contempsit, & hortatori pacis bellum atrocissimum indixit. Quod omnes propè antiqui historici, & vitæ S. Chrysostomi scriptores prodiderunt, qui vnanimiter Theophilum damnant, Monachos autem & S. Chrysostomum tuentur ac defendunt. Nec illi solùm, sed alij quoque viri sancti, & docti, & qui in Ægypto ipsa, vbi istam Theophilus agebat tragœdiam, versabantur. E quibus pro multis sit S. Isidorus Pelusiota, tantæ viræ auctoritatis, vt S. Cyrillus, sororis Theophili filius, patrem eum appellitaret. Hic ergo Isidorus lib. 1. epist. 152. respondens Symmacho desideranti intelligere, quo pacto res inter Chrysostomum, & Theophilum transacta esset, & quâ ex occasione, tanta excitata tragœdia, sic rescripsit: §. 4.

*Isidorus monachus & Presbyter vir probus.*

*S. Isidorus Pelusiota.*

## *ISIDORVS SYMMACHO.*

*PETIS à me, vt diuini viri Ioannis tragœdiam tibi exponam; at eam explicare nequeo. Mentem enim res ista superat. Verùm pauca quædam audi. Vitina Ægyptus hoc semper in more habuit, vt iniquè at perditè se gereret; Mosem videlicet repudians, & Pharaonem adsciscens; humiles ac demissos flagris lacerans, & laborantes opprimens; vrbes ædificans, & mercedē negans, atque ijsdem studijs ad hoc tempus vsque inhærēs. Nam Theophilum insano amore lapidum flagrantem, & aurum pro numine habentem, quatuor socijs, immo coapostatis septum ac munitum proferens; hominem Dei amantem, & diuina scientia præditum expugnauit, odium atque inimicitiam cum viro mihi cognomine, improbitatis suæ faciens propugnaculum. Attamen Dauidis domus inualescit: domus autem Saülis, vt cernis, debilitatur. Tametsi vir ille, superata vitæ huius tempestate, ad cælestem tranquillitatem emigrarit.* §. 5.

*Ioannes Chrysost. vir diuinus à S. Isidoro appellatus.*

*Socij 4. Acacius. Antiochus. Seuerianus. Cyrinus.*

Hæc est tota Isidori Pelusiotæ epistola. In qua, per virum sibi cognominem intelligit Isidorum Presbyterum & Monachum, decus singulare Monachorum, de quo hîc agitur. Talem enim fuisse testatus est etiam ipse Theophilus, cùm, mortuo Nectario Episcopo Constantinopolitano, eum conatus est in illius locum sufficere, excluso Ioanne Chrysostomo; quod non potuit, alijs hunc præferentibus, cùm vterque tamen eo loco dignus esset. De eodem Isidoro Presbytero, ita Palladius Helenopoleos Episcopus, in Dialogo de Vita S. Ioannis Chrysostomi, alloquens Theodorum Ecclesiæ Rom. Diaconum: *Isidorus quidam*, inquit, *Presbyter, à beato Athanasio, magno illo viro, ordinatus, octogesimum agens ætatis annum, quem nouerunt Romanorum plurimi (Ecclesiasticorum enim negotiorum gratiâ ad hanc Vrbem venit, dum esset peregrinorum Alexandriæ susceptor) nosti & ipse virum, quando cum Acacio profectus Flauiani ad Theophilum communionem detulit, quæ viginti annis segregata fuerat beati Euagrij gratiâ, qui multa certamina in laboribus Ecclesiasticis pertulit. Huic itaque Isidoro vidua quædam ex principalibus ciuitatis mille Aureos dedit, adiurans eum ante altare venerandum, coëmptis vt vestibus pauperculas Alexandriæ mulieres indueret, ignorante Theophilo, ne, si sciret, acceptos lapidibus emendis impenderet. Quædam enim ædificandi rabies, Pharaonis instar, illum obsedit minimè Ecclesiæ necessaria.* Sic ille. Ex quibus intelliguntur ex parte, quæ breuiter Isidorus Pelusiota in epistola sua perstrinxit. Cuius epistolæ totius hic est sensus: Omnis tragœdiæ contra S. Ioannem Chrysostomum excitatæ Theophilus Alexandrinus, genere Ægyptius, est auctor, moresque maiorum suorum est imitatus, qui semper erga optimos pessimè se gesserunt. Nam vt olim Ægyptij Moysen eiecerunt virum optimum & mansuetissimum, & eorum vtilitati studentem: sic & Theophilus Isidorum Presbyterum, & ex illius odio optimos Monachos, & propter hos etiam Chrysostomum. Attamen domus Dauidis, hoc est, Chrysostomi pars corroboratur, ac præualet: Saülis autem, id est, Theophili factio in dies debilitatur, ac deficit. Postquam scilicet S. Innocentius Papa secundùm Ioannem Chrysostomũ iudicauit, & Theophilum eius aduersarium excommunicauit. Scripta est enim hæc Epistola post felicem eiusdem Chrysostomi obitum.

*Isidorus Presbyter, vir præstans, & Peregrinorum Alexandriæ susceptor.*

*S. Innocẽtius 1. Papa Theophilum Chrysostomi persecutorẽ excommunicauit.*

§. 6. Iam Seuerus Sulpitius in persona Postumiani, Dialogo 1. cap. 2. ista certamina (quæ nimiũ sui amans Theophilus vocitabat gloriosa) appellat fœda certamina. Et verè talia fuerũt; quippe inter Episcopos & Monachos assũpto in auxiliũ aduersus Monachos meliorẽ tuẽtes partẽ, brachio sæculari, & hoc, vt Sulpitij verbis loquar, *sæuo exẽplo*. Dixi Monachos meliorẽ tuentes partẽ, quia tenebant, non vetandã esse librorũ Origenis lectionẽ, propter plurima, quæ in illis essent, bona. Quam sententiã tota hodie Ecclesia amplectitur: & Baronius ipse, qui Origeni vbicumque vel leuissima apparet occasio, se opponit, ipse, inquam, Baronius non diffitetur hanc sententiam esse

*Monachorũ sententia de libris Origenis multo melior fuit quàm Theophili.*

esse meliorem, ac propterea negat hanc fuisse quæstionem, an libri Origenis prohibendi essent, sed tantùm an errores? Miror autem ego, negare hoc Baronium, quod plerique omnes docent planissimè; & quod Seuerus in primis loco iam citato refert his verbis: *Prospero*, inquit, *cursu, septimo die Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter Episcopos & Monachos certamina gerebantur, ex ea occasione, quia congregati in vnum sæpius Sacerdotes frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet; qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur. Sed Episcopi quædam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant, quæ assertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potiùs fraudulenter inserta dicebant, & ideo non propter illa, quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda: cùm legentium fides facilè posset habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen Catholicè disputata retineret: non esse autem mirum, si in libris neotericis & recens scriptis fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere Euangelicam veritatem.* Seueri Sulpitij verba.

*Aduersum hæc Episcopi obstinatiùs renitentes, pro potestate cogebant recta etiam vniuersa cum prauis, & cum ipso auctore damnare: quia satis superque sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset, respuendam esse penitus lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm profutura sapientibus. Mihi autem ex illius libris quædam curiosiùs indaganti admodum multa placuerunt; sed nonnulla deprehendi, in quibus illum praua sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror, vnum eundemque hominem tam diuersum à se esse potuisse; vt in ea parte, quæ probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem; in ea verò, quæ iure reprehenditur, nemo deformiùs doceatur errasse.* Hæc omnia, & his plura Sulspitius, qui addit ex studijs partium ortam esse seditionem, *quæ*, inquit, *cùm reprimi Sacerdotum auctoritate non posset, sæuo exemplo ad regendam Ecclesiæ disciplinam Præfectus assumitur, cuius terrore dispersi fratres, ac per diuersas oras Monachi sunt fugati; ita vt propositis edictis, in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permouebat*, inquit idē *quod Hieronymus, vir maximè Catholicus, & sacræ legis peritissimus Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipuè vel omnia illius scripta damnaret. Nec verò ausus sum de quoquam temerè iudicare: præstantissimi tamen viri & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen siue illud error est, vt ego sentio; siue hæresis, vt putatur; non solùm reprimi non potuit multis animaduersionibus Sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione creuisset.* Hactenus è Sulpitio. Origenis scripta falsata. Monachi à militibus Præfecti Alexandriæ dispersi.

Cùm autem tam clarè dixerit, ac repetierit, decertatum esse ab Episcopis, ne quis libros Origenis legeret, aut haberet, & vt vniuersa eius scripta etiam recta cum prauis, & cum ipso auctore damnarentur; tamen non veretur

scribere Baronius ad annum Christi 402. hæc verba: *Ceterùm, vt quis libros Origenis omnino damnandos esse senserit, neminem præter Faustinum inuenimus, cuius ipse Hieronymus meminit.* Atqui si credit Baronius Faustinum sensisse libros Origenis omnino damnandos, quia hoc de illo dixerit Hieronymus: cur etiam non credit Episcopos multos vnà cum Epiphanio idē sensisse, cùm id expressè S. Seuerus scripserit, non tantùm leuiter meminerit? Cur non etiam idem credit Socrati, & Sozomeno, cùm Cassiodorus, qui illos hac in re examinauit, & approbauit, ipsis crediderit? Hæc autem sunt Cassiodori verba lib. 10. historiæ tripartitæ, cap. itidem 10. *Porrò Epiphanius*, inquit, *propter nimiam sui reuerentiam & simplicitatem circumuentus* [à Theophilo] *constituta Synodo lectionem librorum Origenis interdixit: misitque litteras ad Ioannem, monens, vt ab Origeniana lectione abstineret, & Synodo congregata, quæ placuerant, etiam ipse firmaret. Theophilus igitur famigeratum illum Epiphanium circumueniens, & cognoscens sua vota proficere, etiam ipse, collectis Episcopis, libros damnauit Origenis, qui penè ante ducentos defunctus erat annos: non quòd huiusmodi haberet intentionem, sed studens Dioscoro eiúsque nocere sequacibus.* Et rursus cap. sequenti, *Post paucum verò tempus*, inquit, *Episcopus Epiphanius Constantinopolim venit, portans damnationem librorum Origenis. Quibus quidem non ipsum Origenem excommunicatum decreuerant, sed libris tantummodò derogauerant. Egressus igitur ad basilicam S. Ioannis milliario ab vrbe septimo constitutam, & collectâ ibidem celebratâ, ordinatóque Diacono rursus venit in ciuitatem, & inuitationem quidem Ioannis declinauit caussa Theophili, in propria verò mansione habitare magis elegit; & vocans tunc præsentes Episcopos, damnationem librorum* Origenis *legebat eis; & quidam habentes Episcopi reuerentiam subscribebant: plurimi autem hoc facere recusabant. Quorum fuit etiam Theotimus Scythiæ Præsul, qui ita respondit:* Ego, inquit, *O Epiphani, neque ei, qui pridem bene requieuit, iniurias infero; neque rem blasphemam tentare præsumo, damnans ea, quæ priores nostri respuere noluerunt. Proinde neque malam doctrinam in libris Origenis esse conspicio. Tunc proferens libros Origenis legit, & Ecclesiasticas expositiones ostendit. Ac postea procedens dicebat: Qui his contumelias inferunt, nesciunt seipsos. Hæc ergo Theotimus vitæ rectitudine nobilissimus Epiphanio respondisse fertur.* Sic ibi Cassiodorus. Qui & iterum cap. 12. bis repetit similia: semel quidem Epiphanium noluisse cum Chrysostomo nec manere, nec orare, nisi Dioscorum, & qui cum eo erant, vrbe depelleret, & ipse in librorum Origenis damnatione subscriberet. Quod Chrysostomus recusauit: Deinde instigatum fuisse eundem Epiphanium ab inimicis Chrysostomi, vt procedens in Ecclesiam Apostolorum, dum ibi celebranda esset Synaxis, coram omni populo Origenis damnaret libros.

*Cassiodorus in Tripartita.*

*Epiphanius scripsit Ioanni Chrysostomo.*

*Noluit apud eum hospitari.*

*S. Theotimus Scythiæ Præsul quid de Origene dixerit.*

Et tamen contrà contēdit Baronius, non fuisse actum de damnatione librorū Origenis, sed tantùm de damnatione errorum vel hæreseon. Et hoc

nititur

nititur probare ex epistolis Epiphanij, Theophili, Hieronymi, in quibus dicit non haberi mentionem damnationis librorum, sed errorum Origenis. Atqui hoc argumentum negatiuum non potest, nec debet præualere tam multis affirmatiuis. Deinde aliter atque aliter exprimere illis placuit, quod petebant, nunc appellando errores, nunc praua dogmata, nunc scripta, nunc libros; nunc hæreses; sed quando ad rem ventum est, & ad modum, quo id fieret, nihil melius repertum est, nec efficacius, quàm si libri damnarentur, vti & nunc fieri solet.

Præterea ad probandum in Concilijs non actum fuisse de damnatione librorum, non satis est adferre, quòd in epistolis ante Concilia scriptis vsi non fuerint aliqui voce illâ *Librorum*, dummodo idem sensu alijs vocibus expresserint. Nam in illa ipsa epistola Epiphanij, quam citat Baronius, hæc habentur verba ad Hieronymum: *Scito enim, fili carissime, Amalec vsque ad stirpem deletum.* Quo quid intelligi voluit aliud, quàm damnatum à Theophilo Origenem, & omnes eius libros? Allusit enim Epiphanius ad illa verba libri primi, Regum, capite decimo quinto, versu tertio, vbi Samuel ex parte domini dicit Saüli: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Sic ergo indicat Epiphanius fecisse Theophilum cum Origene, & eius scriptis, quæ erant omnis eius possessio, & verè thesaurus magnus. Ita quoque ibidem paulò post dicit impletum in Origene, quod dicitur: *Scribe signum hoc, quia delebo funditus Origenis hæresim à facie terræ, cum ipso Amalec.* Nequaquam autem delentur funditus hæreses alicuius, nisi libri eius qui illas continent deleantur, cùm libri ipsi sint instar fundorûm ex sese feracium. Et sanè is, qui casas Monachorum incendit, plus voluit, quàm solos errores delere: voluit profectò & libros ipsos amburere, quod propriè est ad stirpem delere. Quia dum libri manent, stirps viuit; & quæ in ijs scripta sunt, si bona, fructus bonos; si mala, fructus malos proferunt.

*Lib. 1. Regg. c. 15. v. 3.*

Denique, quod fortissimum ad hominem, vt vulgò loquuntur, argumentum est, cùm admittat Baronius illam epistolam, quæ nomine Anastasij Papæ ad Ioannem Hierosolymitanum exstat, germanam esse Anastasij; & cùm in illa contineatur interdictam esse Principum Arcadij & Honorij rescripto lectionem Origenis, fateri debet, opinionem suam & ab Anastasio Papa, & ab vtroque Imperatore confutari. Dicit enim Anastasius in extrema illa epistola sic: *Illud quoque, quod euenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum Principum manasse responsa, quibus vnusquisque Deo seruiens ab Origenis lectione reuocetur; damnandúmque sententia Principum, quem lectio rerû profana prodiderit.* Sic ibi.

*Anastasij Papæ verba, ex opinione Baronij.*

Totam autem illam Anastasij epistolam refert ipse Baronius tomo 5. ad annum

annum CHRISTI 402 & respondet, per lectionem Origenis nihil aliud illîc intelligi, quàm lectionem librorum περὶ ἀρχῶν, siue *De Principijs*: adeò vt si quis legisset quinque millia librorum Origenis (nam & vsque ad sex millia scripsisse fertur) & non legisset quatuor libellos de principijs, non diceretur legisse Origenem, nec Imperatorum legem violasse. Quam Baronij interpretationem nescio an vel vnus legum interpres sit admissurus. Verùm de cunctis libris actum esse, videtur & è Ruffini posteriore Apologia intelligi, vbi sic in fine: *Veruntamen ponamus quòd Episcoporum Synodus sequatur sententias tuas, & iubeat omnes libros, qui hæc talia continent, cum Auctoribus suis, vt aiunt, debere damnari; damnabuntur isti libri priùs in Græcis, & quod in Græcis damnatur, sine dubio dãnatur & in Latinis.* &c. Hæc scribebat Ruffinus eo tempore, quo credebatur Synodus cogenda Constantinopoli contra Origenistas, ducibus Theophilo & Epiphanio.

§. 9. *Quàm multa scripsisse dicatur Origenes.* Scribit porrò Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Origene sic: *Opera Origenis*, inquit, *ascendunt ad sena millia librorum, teste Epiphanio, hæresi 64. sed plurima perierunt.* Et tot eum scripsisse reddunt probabile Ioannes Antiochenus Episcopus, & Facundus Hermianensis Episcopus, & Pelagius II. Papa, qui Theodorum Mopsuestenum Episcopum non modò sex millia, sed etiam decem millia librorum conscripsisse memorant. Pelagij verba in epistola ad Eliam Aquilensem, & alios Istriæ Episcopos, sunt hæc: *Ecce quales plus quàm decem millia libros Theodorus scripsisse perhibetur. Pensate, quæso, si non tanto acriora tormenta promeruit, quanto plura perscripsit.* Aliorum verba vide apud Facundum Hermianensem lib. 8. cap. 1.

*Quàm multa Theodorus Mopsuestenus.*

Per libros autem Origenis intelligendæ sunt etiam singulæ homiliæ, & quiuis licèt parui tractatus, item Dialogi, Epistolæ, apologiæ &c non autem libri, quales sunt Calepinus, vel Corpus Iuris, vel tomi Tostati. Nam hominem vnum scribere sex millia talium librorum, prorsus est impossibile. Hieronymus quidem, licet alibi neget Origenem sex millia libros scripsisse, tamen in epistola ad Pammachium & Oceanum indicat scripsisse plusquam innumeros, dum ait: *Mille & eo amplius tractatus in ecclesia locutus est. Edidit innumerabiles præterea commentarios, quos ipse appellat τόμους, & quos nunc prætereo, &c.*

Licebat igitur vnicuique, si vellet, & tempus esset, licebat, inquam, iuxta Baronij interpretationem, per legem duorũ Augustorum legere illos mille tractatus Origenis, & istos innumerabiles cõmentarios, & scripta eius omnia contra hæreticos, contra Iudeos, contra Infideles, & Dialogos omnes, & Epistolas infinitas, dummodo à libris quatuor περὶ ἀρχῶν abstineretur. Verùm quis sibi persuadeat, postulatũ esse ab Imperatoribus, vt libros quatuor dũtaxat Origenis dãnarent, & tamẽ ipsos sua spõte tot millia librorũ, hoc est, omnes damnasse. Nam damnare lectionẽ Origenis, est dãnare, quæ

*Lex Imperatorum de non legendo Origene (si qua fuit) non de solis περὶ ἀρχῶν, sed de omnibus fuit.*

quæ scripsit, omnia, etiam tettapla, hexapla, octapla, hoc est, scripta post sactam Scripturam sacratissima, & Ecclesiæ vtilissima. Quod nec inimici Origenis audebunt diffiteri. Existimauit quoque Baronius loco iam citato S. Pachomium per libros Origenis nihil aliud intellexisse, quàm istos quatuor libros *De Principijs*· vetumtamen illa verba, quæ ipsi attribuuntut in eius vita, cap. 44. cùm dicit: *Quod si mihi vultis acquiescere, Deóque placere per omnia, cunctos Origenis libros in flumen mergite, ne ab illis vos ipsi mergamini*, Illa, inquam, verba Pachomij longè plus sonant, quàm libros 4. Notandum autem, vitam illam Pachomij, quæ est inter Vitas Patrum non comptehendi intet eas, quæ à Gelasio Papa probatæ sunt, & sctiptotem eius vitæ vnum fuisse ex Origenomachis, qui putidè quæsierit occasionem malè loquendi de Otigene, & visa admitanda denarrandi, atque iuxta deprauatum suum affectum interpretandi, vt quod inibi nattat toto capite 44. de magnis vitis & Anachotetis egregijs, quos suspicatus est Pachomius esse Origenistas, & legisse Origenem, ex eo quòd ipsis altiora differentibus fœtorē sensisse se diceret, qui & insecutus illos dicitur, vt interrogatet, an legissent Origenem? Qui tesponderunt, nequaquam. Itaque poterat Pachomius credere, istum fœtorem non venisse ex lectione Origenis, sed ex sua de ignotis sibi fratribus sinistra suspicione. Nam si ipse Pachomius, aut scriptor vitæ eius, legissent ipsum Origenem, certè odotem pietatis ex eo hausissent, non fœtorem. Vix enim est alius inter Scriptores sactos, qui easdem materias, quas ille, tractauerit, & magis piè sctipserit. Testes sunt intet alia eius homiliæ in Canticum Canticotum, & libri octo contta Celsum. Deinde multo magis de Origene ctedendum est magno Athanasio, quàm Pachomio, aut potiùs quàm inepto sctiptori vitæ Pachomij. Qui sctiptot nesciens, quanti Origenem fecerit Athanasius, & quemadmodum aduersus Arianos eum defendetit, ac laudarit; plenis velis contta eundem Origenem fertur, & ita de Pachomio eum detestante scribit: *Hæreticos autem detestabatur plurimùm; & maximè Origenem, velut blasphemum ac perfidum vehementer horrebat; qui præuius Arij, Meletijque declaratus, sub Heracla venerabili Alexandrinæ ciuitatis Episcopo, de Ecclesia pulsus est, quique sacræ Scripturæ dogmatibus exosa atque detestanda, quæ nonnullorum corda subuerterent, expositionibus suis admiscuit, & sicut solent, qui venena temperant, amaritudinem melle contegere, sic iste proprij virus erroris, cælestium verborum dulcedine liniens, exitiosa rudibus dogmata propinauit. Quare vniuersos fratres sollicitiùs admonebat, vt non solùm ipsi Origenis commenta non legerent, sed neque legentibus quidem aurem penitus admouerent. Vnde fertur aliquando reperisse volumen eius, & in aquas misisse continuò, testatus his verbis: Nisi scirem nomen Dei in eo esse conscriptum, omnes garrulitates blasphemiarum eius ignibus concremassem.*

*Scriptor vitæ S. Pachomij non continetur inter approbatos à Gelasio.*

*Scriptoris vitæ S. Pachomij crassa ignorantia, aut impudentia.*

§. 10.

*Quorundã ab eo scriptorum refutatio.*

Hæc ille. In quibus hæc notanda sunt perabsurda & falsa.

1. Quòd

1. Quòd cùm proximè Athanasium miris extulerit laudibus, & nominatim ob persecutiones innumeras, quas ipse ab Arianis, pro CHRISTI confessione pertulerat, postea appellando Origenem blasphemum, ac perfidum, & præuium Arij, ac Meletij; directè contradicit Athanasio, & fauet Arianis. Nam Ariani dicebant, Origenem idem quod se docuisse; Athanasius autem illos mentiri ostendebat, & Origenem orthodoxa docuisse, & contraria Arianis; ac proinde, nec præuium ipsis fuisse, nec eadem via ingressum esse.

2. Quod dicit Origenem sub Heracla pulsum fuisse; id ipsius Baronij testimonio falsum est. A Demetrio enim Episcopo, qui præcessit Heraclã, expulsus fuit, & quidem iniquè vt probatum est, & ex motu inuidiæ, à quo & postmodum fuit reuocatus; non autem expulsus fuit ab Heracla primario suo discipulo, & subinde, in Catechesi tradenda, adiutore.

*Videntur hæc simillima mẽdacijs falsæ informationis Iustiniani positis infrà quæst. X. §. 24.*

3. Falsum est, quod Origenes intenderit scriptis suis homines peruertere, ac propterea immiscuerit verborum cælestium dulcedinem: sed rebus Diuinis aliquid interdum sæcularis doctrinæ adiunxit, vt sæculares hoc quasi hamo ad spiritualia deduceret, & infideles ad Fidem traduceret; vt testis est Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi sic inter alia: *omniumque Philosophorum sectas ita didicit; vt studiosos quoque secularium litterarum sectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie concursúsque ad eum miri fierent: quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione sæcularis litteraturæ in fide Christi eos institueret.*

4 Quod dicitur Pachomius repertum eius aliquod volumen mox in aquas misisse, atque dixisse, se concrematurum fuisse, nisi sciuisset nomen Dei in eo conscriptum esse. An istud factum non tantæ temeritatis est, quãtæ ignorantiæ? Quippe qui & ignorauerit, quanti illo ipso tempore à viris doctissimis fieret Origenes, & eius aliquem librum ex solo nominis aspectu submerserit. Cuius tamen Origenis nouus quispiam codex si hodie reperiretur, plurimo certè auro redimeretur. Porrò ex his, quæ iste auctor vitæ Pachomij de illo protulit, satis supérque liquet, Pachomium, non vnicum dumtaxat opus, de principijs sed omnes prorsus libros Origenis horruisse, ac vetuisse, idque ex magna eorundem librorum ignorantia: quorum eximiam pietatem atque eruditionem si cognouisset; planè aliter, & idem sanè cum magno Athanasio tenuisset.

§. 11. Denique sentiat de hoc quisque, quod volet, mihi certè nequaquã videtur tanta cooriri potuisse seditio, contentio, strages Monachorum; nisi magna Theophili iracundia, & ingens vindictæ cupido aduersus eos, à quibus se læsum putabat, interuenisset. Nam aliàs scribi poterant præcipui errores, qui in libris Origenis reperiebantur, seu ipsius essent ex humana infirmitate, seu aliorũ ex perfidiæ diabolicæ malitia fallaciter in eum intrusi; & illi soli errores, tacito Origenis nomine (viri quippe de Ecclesia, si quis alius, optimè meriti, & tanto antehac tempore præclarè defuncti) condemnari,

non

non autem libri vlli ipsius, ne quidem de principijs, quandoquidem san- *Libros περὶ ἀρχῶν qui defenderint.*
ctissimus Martyr Pamphilus eos defenderit, & doctissimus Scriptor Didymus interpretatus fuerit, & ipse Hieronymus S. Paullinum Nolæ Episcopum pro suarum enodatione quæstionum ad eos remiserit. Quò autem id rectè, ac sine tumultu fieret, optimum erat S. Ioannis Chrysostomi consilium, vt generale Concilium conuocaretur, & tanta res prudenter, & considerate, non præcipitanter, ac temerè; & doctorum Episcoporum sententijs, non furentium militum gladijs perageretur. Quod quia factum non est, aliquot librorum Origenis millia ingenti damno amissa sunt: quæ omnia ipse Hieronymus summo labore conquisierat, & maximo pretio redemerat. Gloriatus est enim aliquando, omnia se Origenis opera possidere. §. 12.

Notandum hîc porrò, Baronium in huius descriptione calamitatis, duo *Baronij iudicium de causa Theophili.*
distinguere tempora; prius quidem, quo Theophilus sua auctoritate, inscijs Epiphanio, Hieronymo, Chrysostomo, adortus est Monachos, & eos fudit, fugauítque, & recipientem illos Chrysostomum est odio prosecutus: alterum autem, quo dimissâ Monachorum causâ, tanquam victor totus incubuit in iudicium & condemnationem Chrysostomi. Dicit igitur Baronius in priori illo tempore, quo de Monachis & Origene agebatur, meliorem fuisse caussam Theophili, quàm Chrysostomi; in posteriore autem meliorem fuisse Chrysostomi, quàm Theophili. Ego autem vtrobique malam fuisse caussam Theophili contendo, quippe quæ ortum habuit (vt antehac ex omnibus propè Historicis ostendi) ex iniusto quo vrebatur odio Isidori, viri sanctissimi, & qui gratiæ Theophili prætulerat (vt æquum erat, ac necessarium) testimonij veritatem. Et illi quoque (quos propter Isidorum, tanquam Origenistas persecutus est idem Theophilus) illi, inquam erant inter alios Monachos, vt lumina inter tenebras. Nam plurimi aliorum Monachorum erant anthropomorphitæ, & Deum sibi effingebant humana forma corporeum, & eos qui altiùs sapiebant, & cum Origene semotum ab omni corporeo sensu Deum asserebant, Origenistas appellabant. Qualem etiam hunc ipsum Theophilum, antequã hanc moueret tragœdiam esse reputabant, Origenistam scilicet, ita vt illum pro hoste, & hæretico habuerint, & persecuti sint. De quo, multis scribentibus Historicis, habere fidem cùm renuat Baronius, vnum illi dabimus testem, cui nullatenus valeat repugnare, auritum vtpote & oculatum. Hic est S. Ioannes Cassianus, qui in Collat. decima, capite secundo, eiusdem Theophili Alexandrini, & Anthropomorphitarum mentionem faciens, ita scribit: *Post dies admodum paucos, quàm superior* *Cassianus Collat. 10. cap. 2.*
*cum Abbate Isaac fuerat agitata Collatio, Theophili prædictæ vrbis Episcopi solemnes epistolæ commearunt: quibus cum denuntiatione Paschali contra ineptam quoque Anthropomorphitarum hæresim longa disputatione disseruit, eámque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine*

*ritudine ab vniuerso propemodum genere Monachorum (qui per totam prouinciam Ægypti morabantur) pro simplicitatis errore susceptum, vt è contrario memoratum Pontificem, velut hæresi grauissima deprauatum, pars maxima Seniorum ab vniuerso fraternitatis corpore decerneret detestandū: quòd scilicet impugnare Scripturæ sacræ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cùm ad eius imaginem creatum Adam Scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab his, qui erant in eremo Sceti commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus, qui erant in Ægypti monasterijs, præeminebant, ita est hæc epistola refutata, vt præter Abbatem Paphnutium, nostræ congregationis Presbyterum, qui in eadem eremo a lijs tribus ecclesijs præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis conuentibus prorsus admitterent.* Ita Cassianus, qui & sequenti cap. 3. refert exemplum Serapionis Monachi, qui & vitæ merito, & temporis antiquitate omnibus ferè Monachis anteibat, & tamen ab errore Anthropomorphitarum, quo imbutus fuerat, difficillimè abduci potuit.

Gen. 1. v. 16.

§. 13. Conformia his, quæ attuli è Cassiano, refert etiam Cassiodorus in historia Tripartita, libro decimo, capite septimo, vbi scribit Monachos Anthropomorphitas voluisse occidere Theophilum stantem tunc ab Origenistis. Sic enim vocabant eos, qui non erant Anthropomorphitæ. Theophilus autem negauit se esse Origenistam, atque ita pro Anthropomorphita, quales ipsi erant, habitus est, eorúmque euasit manus: tametsi reuera talis non esset, sed pro illo tempore & periculo haberi vellet. Ipsorum igitur abutens errore, eos quibus nocere cupiebat, incusauit tanquam Origenistas, eóque nomine illos est persecutus; cùm alioquin viri essent boni, & antehac ab ipsomet in honore habiti. Quod testatur loco iam dicto Cassiodorus his verbis: *Ægypti monasterijs, quatuor venerabiles præsidebant viri, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, Euthymius, germani, qui pro corporis magnitudine Longi vocabantur, sermone vitáque fulgentes, & propterea apud Alexandrinos egregij. Sed & eos Theophilus honorabat. Quamobrem Dioscorum violenter tractum Hermopoleos fecit Episcopum: duos autem eorum rogauit, vt habitarent cum eo, & vix vt Episcopus impetrauit: factos Clericos Ecclesiæ Oeconomos instituit. Cúmque illi æstuarent, quòd minùs propositum suæ conuersationis implerent, & procedenti tēpore viderent animas suas lædi, cùm Episcopus pecuniam haberet multam, & multum auri congregandi studium, repudiabant esse cum eo, & deserti potiùs habitaculum diligebant. Cúmque ille nesciens eorum voluntatem, sibi eos adesse deposceret, postea videns quòd eum ipsi potiùs despicerent, iratus interminabatur eis: at illi parui pendentes abscedunt. Porro Theophilus cùm animo feruens esset, nisus est, vt viros illos, qua posset arte, vexaret. Et fratrem interim eorum Dioscorum habebat exosum. Contristabatur enim, quòd eos turba diligeret & coleret Monachorum: & sciebat quòd eis aliter nocere non posset, nisi Monachos debellaret. Expertus erat*

Longi fratres, viri vita, doctrináque clari, & à Theophilo honorati.

Inuidia Theophili illos persequitur.

*quo-*

*quoque, quòd crebrò cum eis habito sermone fateretur incorporeum esse Deum, & non humanæ formæ: ne fortè necessitate humanæ formæ, humana quoque passio sequeretur. Et cùm sic Theophilus saperet, tamen vt se vindicaret, quod priùs bene prædicauerat, immutauit. Mittens enim in eremum, plurimos monachorum simplicium & spiritali exercitatione carentium est venatus, dicens non oportere sequi Dioscorum, neque fratres eius, dicentes incorporeum esse Deum. Deus enim, secundùm diuinam Scripturam, & oculos habet, & aures, & manus, & pedes, sicut & homines. Dioscorus, autem & sequaces eius sequentes Origenem, dogma blasphemum introducunt: quasi Deus nec oculos, nec aures, nec manus habeat, neque pedes. Hac seductione, Monachorum plurimi sunt decepti, & seditio feruentissima Monachorum suscitata. Sed exercitati viri seducti non sunt: simplices autem ardore fidei repentè contra fratres insurgunt, & facta seditione alteri alteros impetebant. Theophili sequaces, Origenistas & impios appellabant fratres: Hi verò, sequaces Theophili, humaniformianos vocabant. Ob quam rem orta immani seditione, Theophilus cum armatorum multitudine venit in Nitriam contra Dioscorum eiusque fratres. At illi vix fuga valuerunt declinare pericula.* Sic ibi Cassiodorus.

*Origenistæ ab Antromorphitis impugnati.*

Ex his omnibus, quæ adhuc attulimus, satis clarere arbitror totam hanc aduersus Monachos & eorum protectorem Ioannem Chrysostomum tragœdiam, non aliunde commotam esse quàm ex Theophili Alexandrini partim impatientia propter dictum contra se ab Isidoro Monacho testimonium, partim inuidia indignantis Longos fratres ob sanctimoniam pluris quàm se fieri, & se ab illis, quos vel ad Episcopatum promouerat, vel promouere tentauerat derelinqui, partim denique ex eiusdem odio ac simultate exardescentis in Ioannem Chrysostomum, tam Origenis, quàm Monachorum defensorem ac susceptorem. Si enim Chrysostomus Origenem inauditum & indefensum condemnare cæco impetu, vt Theophilus fecerat, voluisset; tum nec odium Theophili incurrisset, neque exsilium passus esset: sed Chrysostomus longè prætulit vnius hominis esse inimicus, quàm desertor inuictæ Veritatis. Quæ Veritas tandem & istum superbè stantem prostrauit, & hunc iniquè deiectum releuauit: cùm scilicet Innocentius primus Theophilum ab ecclesiæ communione semouit, & Chrysostomum, germanum Ecclesiæ filium declarauit.



QVÆSTIO IX.

# QVÆSTIO IX.

## *AN POST ADVENTVM THEOPHILI Constantinopolim, aliquid inibi contra Origenem statutum sit?*

§. 1. NIHIL prorsus, nec Constantinopoli, nec in suburbano Chalcedonis, post aduentum Theophili, contra Origenem statutum est.

Nam Epiphanius, qui ea re Constantinopolim venerat, & Theophilum ipsum præ desiderio condemnationis librorum Origenis anteuerterat, postquam animaduertit aliud agi; neque id, quod intendebat, ex voto succedere (plures enim pro libris Origenis stabant, quàm contra) periculi admonitus, quod ipsi à populo Constantinopolitano Ioannis Chrysostomi studiosissimo imminebat, fugam non expectato Theophilo capessiuit. Chrysostomus enim auditis, quæ Epiphanius in eius diœcesi contra canones ecclesiasticos fecerat, hæc illi mandata per Serapionem Diaconum misit (quæ Cassiodorus in historia Tripartita libro 10. cap. 13. refert) his verbis: *Contra Regulas multa gessisti, ô Epiphani: primum, quidem, quòd Ordinationem fecisti in ecclesia sub iure meo constituta: deinde quia me non iubente, in ea, auctoritate propria, Sacra celebrâsti: rursus quòd inuitatus recusâsti: & nunc denuo, quod in te ipsum confidis. Quapropter obserua, ne turbatio nascatur in populo, & huius rei periculum ipse suscipias. Hac cùm audisset Epiphanius, formidans abscessit.* (Ioan. Chrysostomi mandata ad Epiphanium.)

Eadem, præter Socratem libro 6. cap. 13. refert etiam Leo Sapiens Imperator, in oratione de S. Ioanne Chrysostomo post medium, & Simeon Metaphrastes in eiusdem Chrysostomi vita, versus finem, & Nicephorus Callistus lib. 13. hist. eccl. cap. 13.

Contra hos nequaquam audiendus videtur Baronius, qui solo vnius Sozomeni silentio nixus, negat Epiphaniū Ordinationem fecisse in ecclesia sub iure Chrysostomi constituta, dum sic scribit: *At cùm de re tanta, ne verbum quidem Sozomenus habeat, id commētum fuisse non dubites.* Quasi dicat: vnum argumentum negatiuum, plus valet quatuor affirmatiuis. Ego autem sic è contrario: At cùm rem istam illi quatuor Scriptores, quos citaui, disertè asseuerent, nec vllus neget, sed vnus tantùm Sozomenus nullam eius mentionem faciat, id verum esse non dubites. (Baronij verba.)

Quod autem quis dicat, istos omnes errasse ex similitudine nominis, & culpam contra Ioannem Hierosolymitanum ab Epiphanio commissam, illos existimasse commissam esse contra Ioannem Chrysostomum, nihil

nihil videtur habere probabilitatis. Nam duas fuisse diuersas ordinationes, conuincunt locorũ, & temporũ, & personarũ circumstantię. In priori enim ordinatione, Epiphanius in diœcesi Hierosolymitana, Paullinianũ Monachum, fratrem Hieronymi, inuitum & reluctantem ordinauit Sacerdotem: quæ res notissima est ex epistolis ipsius Epiphanij & Hieronymi, & Ioannis Hierosolymitani. Secunda autem Ordinatio facta est iuxta Cõstantinopolim, in loco distante à diœcesi Hierosolymitana longissimè, & annis aliquot post priorem. Et locum quidem, in quo posterior facta est, distinctè admodùm describit Socrates lib. 6. cap. 11. initio his verbis. *Non longo tempore pòst, Epiphanius Episcopus Theophili suasu è Cypro Constantinopolim venit, eóque secum attulit decretum, quod non ipsum excommunicauit Origenem, sed libros eius dumtaxat condemnauit. Itaque vbi ad templum Diui Ioannis, quod extra ciuitatem ad septimum lapidem situm est, accessit; Synaxi celebrata, & ordinato Diacono exit è templo, & ciuitatem ingreditur: cùmque à Ioanne inuitaretur, vt ad se diuerteret, ille quo gratificaretur Theophilo, recusauit, & in separato quodam hospitio diuersatus est. Episcopis autem, qui ibi fortè tum versabantur, conuocatis, decretum quod libros condemnabat Origenis, legit.* Et paullò pòst: *Ex Episcopis*, inquit, *nonnulli qui Epiphanium reuerebantur, illi decreto subscripserunt, complures verò illud facere renuerunt.* Sic ibi. Similia habet Cassiodorus in Tripartita libro 10. cap. 11.

*Epiphanius duas extra suam diœcesim ordinationes fecit.*

*Epiphanij profectio cõstãtinopolim ad cõcilium.*

*Decretum Epiphanij cõtra libros Origenis à paucis receptum.*

Hæc autem omnia facta sunt ante aduentum Theophili Constantinopolim, Epiphanio propter extremam senectutem plus ceteris Episcopis sibi assumente. Nam quod arbitratur Baronius non potuisse Epiphanium in eundem scopulum bis impingere, & in quod semel lapsus fuerat, denuò relabi, haberet hoc aliquam speciem probabilitatis, si in priori lapsu culpam agnouisset: verùm is tantùm abfuit, vt agnosceret, vt potiùs factum suum defenderit, & admonentem aut reprobantem increpârit. Quod ipsa eiusmet epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quæ hodiéque in eius exstat operibus, manifestat. Vnde procliue illi fuit in id factum, quod bene factum defenderat, iterum relabi, præsertim aduersus Ioannem Chrysostomum, quem à Theophilo deceptus pro hoste ducebat.

Iam ergo cùm, vt diximus, abscessisset Epiphanius, refrixerunt studia Antiorigenistarum, & Theophilus multo stipatus Episcoporum comitatu aduersus Ioannem coactorum, ingressus Constantinopolim, relicta Origenis caussa, totus in eundem Ioannem fertur, in illum omnem bilem & bellum conuertit, contra illum solum indicit concilium, non in ipsa vrbe Constantinopoli, præ ciuium metu Chrysostomo fauentium, sed extra vrbem in suburbano Chalcedonis, in Agro Ruffini, nomine *Quercus* appellato (vnde & Synodus ad Quercum est dicta) & rebus illic vtcumque comparatis, misit qui Ioannem comparere, & iudicio se sistere iuberent: Ioannes autem se in tali concilio, contra ius fasque conuocato, se compari- §. 4.

*Synodus ad Quercum cõtra Ioannem Chrysostomũ celebrata, & reprobata.*

 turum

turum negar, se ad concilium generale appellare: illi verò post quartam euocationem adesse renuenti, damnationem denuntiant, atque Arcadium Imp. vt eum tanquam reum & damnatum vrbe eijciat, ac relegetin exsilium, sollicitant: quin & facere reformidanti ac refugienti, sua in capita quicquid timearut mali, sese recepturos deuouent. Denique, vt multa præteream, eo damnato atque in exsilium abeunte, populus rei indignitate commotus, immensis aduersus Imperatorem, & Augustam, & Theophilum clamoribus atque conuiciis, tandem effecit, vt Imperator rogante Augusta vxore, metu perculsa, reuocari ab exsilio Crysostomum, atque in vrbem reduci iusserit. Theophilus autem, qui Ioanne damnato, confestim Dioscoro, eiúsque fratribus communionem reddiderat, & omnem de Origenistis quæstionem ventis auferendam tradiderat, peragrè ferens eius reditum, non priùs itam remisit, quàm varijs quæsitis prætextibus, exsilium vice altera procurauit. A quo dum rursus agente Innocentio Papa reuocandus ac reuersurus creditur, multis vexatus itinerum ærumnis occubuit. Neque vero Theophilus, neque Augusta, præcipui innocentiæ oppressores, diu manserunt impuniti. Theophilus sanè haud multo pòst dignâ suis in Chrysostomum & insontes monachos malefactis pœna multatus est, cùm Innocentius Papa terribilem in ipsum, & antehac inauditam excommunicationis & alienationis à Christianismo vibrauit sententiam, dicens: *Ad Theophili anathematismum addimus abrogationem & absolutam à Christianismo alienationem.* Quæ verba exstant in eiusdem Innocentij ad Arcadium Imp. extrema epistola, tam in tomis Conciliorum, quàm in tomo 5. Annalium Baronij, anno Christi 407.

*Chrysostomus ab Arcadio Imp. in exsilium missus.*

*Theophilus Alex. ab Innocentio I. Papa excommunicatus.*

Idem tamen Baronius anno 412. illum in morte resipuisse, ac bene obijsse, & post mortem à viris magnis à sana doctrina laudatum esse docet. Cui ego assentior. Adorasse tamen imaginem Chrysostomi antea defuncti nequaquam videtur probabile. Hoc enim sciuisset S. Cyrillus successor eius, & cessasset à persecutione Chrysostomi. Quod non fecit, vt patet ex epistola S. Isidori, Pelusiotæ ad eundem Cyrillum suprà à nobis allata, quæstione. 8. & ex ipsismet Cyrilli epistolis à Baronio productis ad annum Christi 412.

## QVÆSTIO X.

N.B. quæstio ista, quæ ad auctoritatem ... cil. depressa, correct...

# QVÆSTIO X.

*QVÆNAM CONCILIA GENERALIA, spatio trecentorum annorum, (qui fluxerunt à morte Origenis vsque ad Iustinianum Imp.) habita fuerint? & quid de Origene senserint?*

A MORTE Origenis vsque ad Iustinianum Imp. & ad coactum ab eo Concilium, quatuor fuerunt in primis à Christo 4 sæculis Concilia generalia; eáque celeberrima, & quatuor Euágelijs comparata. *§. I. Concilia generalia ante Iustinianum Imp.*

Primum fuit Nicænum sub Constantino Magno, in quo trecenti octodecim Episcopi errorem Arij, malè & obstinatè de sanctissima Trinitate sentientis, condemnarunt. *1. Nicænum.*

Secundum fuit Constantinopolitanum, imperante Theodosio seniore, in quo à centum quinquaginta Episcopis condemnatus est Macedonius, ob negatam Spiritus sancti diuinitatem. *2. Constantinopolitanum.*

Tertium fuit Ephesinum, dominante Theodosio iuniore, in quo à ducenris Episcopis condemnatus est Nestorius, quòd negaret Beatissimam Virginem MARIAM esse matrem Dei, duásque in Christo personas asséreret, diuinam, & humanam. *3. Ephesinum.*

Quartum fuit Chalcedonense, Martiano Imp. in quo à sexcentis triginta Episcopis condemnati sunt Eutyches & Dioscorus; quòd vnicam in Christo naturam esse pertenderent. *4 Chalcedonense.*

Quibus quatuor Oecumenicis Concilijs, summorum Pontificum, qui Ecclesiam tum regebant, & eximia sanctitate præfulgebant, suprema accessit auctoritas: Nicæno quidem, S. Siluestri; Constantinopolitano, S. Damasi; Ephesino, S. Cælestini; Chalcedonensi, S. Leonis Magni.

De quibus proinde 4. Concilijs, tantorum auctoritate Pontificum signatis atque firmatis non dubitauit S. Theodosius Cœnobiarcha, vir fide & pietate, ac prodigiorum multitudine clarissimus, contra Anastasium Imp. Orientis, hæreticum, & Chalcedonensi Concilio derogantem, conscenso in ecclesia suggesto, manúque indicto silentio proclamare: *Si quis quatuor sanctas synodos non tanti esse existimat, quanti quatuor Euangelia, sit anathema.* *Istorum 4. Conciliorum quanta fuerit auctoritas.*

Aliquanto item pòst tempore eodem tamen sexto sęculo, sed extremo, S. Gregorius magnus Papa de ijsdem Concilijs, lib. 1. Registri, epistola 24. sic ait: *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia susci-*

*pere & venerari me fateor.* Et rursus libro 2. eiusdem Registri, epistola 10. *Sic*, inquit, *quatuor Synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Euangelij, recipimus.*

§. 2.

*Si al cuius concilij generalis interfuit, Originis examinare doctrinã, Nicæni primi interfuit potissimum.*

Quæro nunc ab hominibus sapientibus atque cordatis, vtrum, si Origenes fuisset hæreticus, & tot tantisque obsitus erroribus, quot & quantis nonnulli postea declamitarunt, vtrum, inquam, non magis ad illa quatuor Concilia pertinuisset, rem eam seriò examinare, discutere, decidere, quàm ad aliquod longè posterius, quod totam conturbauit Ecclesiam? quàm ad illud, inquam, quod homo vnus, maligno correptus spiritu, vt mox videbitur, inuito ac reluctante Pontifice, bonisque omnibus sibi aduersantibus, vi & armis coëgit? Certè si ad aliquod vnum generale spectauit Concilium perquirere de Origene, maximè omnium spectauit ad Nicænum, vtpote Origenis ætati vicinissimũ; præsertim quòd eiusdem Concilij Nicæni temporibus vulgatissima essent Origenis opera, & illis trecentis octodecim Episcopis, qui ad illud legitimè cõuenerant, notissima. Immo sicut olim ante id Concilium non defuerant, qui errores non paucos Origeni affingerent, atque eius scripta bene scripta in deteriorem partem detorquerent, aut malis additamentis contaminarent; ita neque tunc defuerunt, seu Ariani, seu Meletiani, qui idem factitarent. Sed priores illos, qui ante Concilium Nicænum fuerunt, S. Pamphilus, nobilis ille Presbyter, & illustris Martyr, sua incomparabili Apologia fortiter compressit: ceteros autem, qui tempore Nicæni Concilij, aut sub illud fuerunt, S. Athanasius, vir ab infantia bellicosus, generosè retudit irruentes, & proprijs armis exuit prolabentes. Nam (vt alibi quoque ostendimus) Arium ipsum, eiusque participes locis quibusdam Origenis ad suam hæresim abutentes, egregiè redarguit, peruicitque Origenem non ab ipsis stare, sed contra ipsos; eademque opera ostendit eos, qui Origenem Arij parrem aut fontem appellitarent, toto aberrare cælo, & nescire quid dicerent. Quippe asseruit Athanasius neminem veterum Patrum pro Arianis facere, nedum Origenem, vti neque discipulum Origenis S. Dionysium Alexandrinum Patriarcham, quem non secus ac magistrum defendit ab illorum iniuria idem Athanasius. Concilium igitur Nicænum simul antiquissimum, & sanctissimum, & doctissimum, nihil aduersus Origenem protulit & post illud S. Athanasius, velut clarissima totius Ecclesiæ tuba, fidei Orthodoxæ magnum Origenem vindicauit, eundemque Arij hostem proclamauit. Huius Concilij exemplum auctoritatèmque secuta sunt tria exinde proxima Concilia generalia, & Origenem in cunctorum versantem oculis ac manibus, ne verbo quidem violarunt.

*Ante Nicænum concilium defendit Origenem S. Pãphilus.*

*S. Athanasius difendit Origenẽ post Nicænum cõcilium.*

*S. Dionysius Alexandrinus ab Athanasio defẽsus.*

§. 3.

*Iustinianus Imp. neglectis Imperij rebus, im-*

Exsurrexit autem, tribus ferè post Origenem sæculis, Iustinianus Imperator, homo rudis & illitteratus, quamuis famę eruditionis ambitiosissimus, tam sacræ, quàm profanæ; qui statum Ecclesiæ pacatum, & in quatuor Conciliorum, velut totidem Euangeliorum, auctoritate atque consensu firmatum

firmatum quatefacere, immo euertere aggressus est: & qui cum solis centum sexaginta quinque Episcopis ex sola Orientali Ecclesia coactis, sexcentos triginta ex omni orbe collectos, ac sub S. Leone Magno, Pontifice maximo militantes, inuadere & impugnare non est veritus, & nescio qua confidentia dicere, totum illud ac tantum Chalcedonense Concilium, in tribus peccasse, & in quarto minùs sapuisse; tria proinde eius Concilij capitula damnanda esse, & Origenem insuper, de quo idem Concilium nihil locutum fuerat, anathemate feriendum. Hæc enim sunt quatuor, quæ Iustinianus Imp. neglectis imperij rebus, contra Ecclesiam, coacto contra ius fásque nouo Concilio, tractanda, & per vim obtinenda assumpsit. *miscet se ecclesiasticis, & turbat omnia.*

Atque vt intelligatur, quæ sint tria Capitula (scire id enim necessum est) & quæ item Iustiniani in contrarium postulata, breuiter aperiam.

§. 4. *Tria Capitula Chalcedonensis concilij à Iustiniano impugnata.*

Primum igitur capitulum fuit, quòd in dicto Chalcedonensi Concilio aliquæ Theodori Mopsuesteni Episcopi laudes continerentur: pro quibus postulauit Iustinianus, vt idem Theodorus, licet plus vno sæculo mortuus, condemnaretur hæreseos.

Secundum; quòd Ibæ, Episcopi Edesseni epistola in eodem Concilio iudicata fuisset Catholica; quam Iustinianus in suo Conciliabulo vrsit, ac perursit iudicari hæreticam.

Tertium; quòd B. Theodoretus, qui olim aduersus S. Cyrillum Alexandrinum scripserat, sed postea condemnato à se Nestorio, & approbatâ S. Leonis Papæ epistolâ (nihil enim plus ab eo Concilium exegerat) faustis cum acclamationibus in gratiam receptus fuisset. Contra quem vno antè sæculo præclarè mortuum expostulauit Iustinianus, vt scripta eius contra Cyrillum damnarentur; quod ne Cyrillus quidem ipse, nec vllus antehac postulauerat.

Vigilius igitur Romanus Pontifex, & cum illo simul tota Latina Ecclesia, immò & Orientalium plurimi Conciliabulum illud Iustiniani subterfugerunt, sed præcipuè Vigilius istis postulatis restitit, nec quicquã in Chalcedonensi Concilio demutandum censuit. *Nam liquet* (inquit Baronius ad Annum Christi 546.) *omnes fidei Catholicæ professores simul aduersus eiusmodi nouitatem insurrexisse, vindicésque se Chalcedonensis Concilij exhibuisse.* *Vigilius Papa resistit Iustiniano.*

§. 5. *Iustinianus illo inuito incipit conciliabulum, & absoluit.*

Coëgit nihilominus suum Iustinianus Conciliabulum. Tale enim fuit in principio, talè in exitu. Quippe quod inuito & repugnante Pontifice incepit, & eodem scriptis suis reluctante, confecit. Quod & ipse testatur Baronius ad annum Christi 552. non vno loco, sed pluribus. Vbi & quosdam Scriptores Græcos refutat, qui aiebant Vigilium per litteras, Concilio peracto, statim consensisse. Quod sanè si fecisset, minimè in exilium missus fuisset. Contra illos igitur ita rectè Baronius. *Sed mihi*, inquit, *verisimile non fit, vt vel pendente Synodo, vel statim vt est absoluta, id Vigilius fecerit, tum ex his, quæ dicta sunt de exilio mox secuto, tum etiam*

*tum etiam quòd, si verum esset, tunc per litteras Vigilium assensum præbuisse, vtique litteræ illæ tanto emendicatæ labore atque industria, Actis fuissent intextæ, & plurima earum exemplaria exscripta, notáque facta omnibus tum Orientalis, quàm Occidentalis orbis Ecclesijs, non secus ac Epistola Leonis Papæ; quòd ex illis validarentur, quæ à Synodo sancita, ipso contradicente, essent inualida.* Sic ibi Baronius. Græci autem Scriptores nonnulli ita de hoc scripserunt Concilio, tanquam fuisset legitimè congregatum, & in hoc quidem cuncta superasset Concilia, quòd omnes quatuor interfuissent Patriarchæ, etiam Romanus, nec quicquam violentè, & contra Canones gestum esset, cùm prorsus aliter res habuerit, & Iustiniani violentia perquàm nota omnibus fuerit, & à multis sugillata. De quo Iustiniano ad Annum Christi 551. hæc sunt verba Baronij: *Iustinianus*, inquit, *contra illa tria Capitula appendi iussit Edictum, quod, nec rogante per suos Vigilio, reuocare voluit; immo & præter minas, vim quoque adhibuit, suis mandans satellitibus, nimiùm oblitus sui, furore percitus, mente dimotus, correptus maligno spiritu, agitatus à Satana, vt in ipsum Vigilium, Apostolicæ Sedis Episcopum, manus inijciant. Conuertit in vnum Vigilium (ô laudem egregiam!) quod aduersus tot barbaros vbique deuastantes Imperium, prælium agendum erat. Hinc sibi cupit parari triumphos illitteratus Theologus, si vincat vi, quem ratione non possit conuincere, Ecclesiæ vniuersalis Antistitem, vniuersam Ecclesiam subiugasse ratus, cui, vt sibi subiectæ, aggressus erat præscribere leges.* Ita Baronius. Qui cùm rectè scripserit Vigilium Papam, nec pendente Synodo, nec statim post eam absolutam, illi consensisse; haud satis probabiliter postea, nec satis conformiter, adductis à se rationibus, persuadere conatus est, eundem vel in exilio, vel in reditu ab exilio (nam in reditu obijt, nec Romam peruenit) consensum eidem Synodo præbuisse. Nam argumentum, quo Græcos Scriptores refutauit dicentes Vigilium consensisse Concilio antequam finiretur, vel statim eo finito, ídque per epistolas: illud, inquam, hic quoque contra ipsum valet. Dicebat enim Baronius, fieri id non potuisse, quia litteræ illæ fuissent à Concilio perquàm diligenter conseruatæ. Iam ergo similiter dicitur; quandoquidem nullum exstet scriptum, quo ostendatur Vigilius aut præsens verbo, aut absens scripto consensum postea dedisse Concilio, aut illud post aliquot annorum exilium approbasse; multo fit probabilius nunquam approbasse. Nam si approbasset, id ipsum profectò in litteras missum esset, studioséque conseruatum.

*Quidam Græci Scriptores de conciliabulo scripserunt tanquam de præstātissimo concilio.*

*Iustiniani Imp. Ecclesiæ iura sibi arrogantis epitheta Baronians.*

*Vigilius nō consensit nec subscripsit vnquam isti conciliabulo.*

§. 6. At enim, inquiet aliquis, si Iustiniano non assensit Vigilius, neque subscripsit Synodo, quæ subfuisse caussa potest reuocationis eius ab exilio? Dicam. Occasio & caussa fuit, egregia Narsetis victoria, & post victoriam petitio eiusdem Narsetis à Iustiniano Imp. vt redderetur Romanis Vigilius Papa, cum socijs exsulibus. Nam cùm Totilas rex Gothorum vrbem Romam antehac cepisset, ac vastasset; totíque iam dominaretur Italiæ, missis

*Narsetis belli Ducis pietas & victoria.*

misit aduersus eum Iustinianus Narsetem, virum sapientem & bellicosum, qui, Totila occiso, & Româ recuperatâ, finem malis tandem attulit. Hic autem Narses (vt hoc obiter dicam, quod ad honorem spectat Deiparæ) tam addictus pietati fuit, cultúique sanctissimæ Virginis, vt prælium nunquam aggrederetur, nisi apparente illa, & præcipiente. Vastatæ igitur ac desolatæ Vrbis solitudinem miseratus (primores enim Vrbis, & populi pars magna vel inde excesserat, vel morte perierat) rogatu Cleri, qui Romæ residuus erat, misit, qui à Iustiniano peterent, vt, si Vigilius adhuc in viuis esset, ipse in Romanorum solatium & munimen vnà cum ceteris exsulibus, Regio beneficio in Vrbem remitteretur. Iustinianus autem tantæ ac tam recentis victoriæ dulci fortuna ebrius, & quid Narseti Italiæ restitutori, excusso Gothorum iugo, rependeret, nescius, missos ab eo Oratores læto ac hilari vultu excepit, & tanquam omnia quæ rogaturi essent, concessurus, audita eorum postulatione, mox concessit: deinde reuocatis confestim exsulibus, optionem Romanis dedit, vt vel Vigilium reciperent Pōtificem, vel Pelagium, si hunc mallent, pro Vigilio assumerent. Quam certè optionem daturus non fuisset (quippe quæ in Vigilij veri Pontificis cedebat contumeliam) si idem Vigilius voluntati eius in Trium Capitulorum condemnatione consensisset. Neque vnum ego Auctorem reperi, qui dixerit Vigilium Papam post exsilium consensisse, sed omnes, qui de eius consensu agunt, de eo intelligunt, quem ante exsilium in suo *Iudicato* dederat, quod *Iudicatum* postea reuocauit, & edito *Constituto* planè contrario, emendauit. Quæ caussa fuit eius exsilij, quòd scilicet non perstiterit in suo *Iudicato*, siue in eo, quod semel in Iustiniani fauorem iudicasset, nimirum in damnationem Trium Capitulorum, cui tamen damnationi adiderat hanc exceptionem: *saluâ Synodi Chalcedonensis reuerentiâ*; Quā exceptionem roganti Iustiniano, vt tolleret, minimè assensit. *Iudicatum* autem fecit ante inchoationem concilij generalis, *Constitutum* verò post illud inchoatum.

*B. Virginis Mariæ cultus.*

*Vigilius Papa scripsit libellum quem vocauit iudicatum. Deinde alterum, quem vocauit cōstitutum.*

Atque vt tota hæc controuersia clariùs ac distinctiùs ab origine ad finem vsque intelligatur, non me pigebit vnam eius synopsin à nostro Iacobo Sirmondo vtiliter compositam, & editioni suæ librorum Facundi Hermianensis Episcopi, pro ijsdem Tribus Capitulis subiectam, hîc apponere. Ex ea enim non modò, quid sit Vigilij *Iudicatum*, quid *Constitutum*, & quî inter se rebus ac temporibus differant; sed etiam quæ vera fuerit relegationis Vigilij Papæ caussa, & quæ item eius ab exsilio reuocationis occasio, planissimum fiet. Sic igitur habet:

## *SYNOPSIS CHRONICA ANNORVM VIII.*
### *Præcipua quæque digerens, & illustrans, quæ in Trium Capitulorum caussa contigerunt.*

*Iustiniani Imp. violentia.*

ANNO CHRISTI *DXLVI.* Iustinianus Imp. Theodori Cæsariensis Episcopi suasu librum edit aduersus Tria Capitula, eorúmque damnationi Mennam Constantinopolitanum, & alios Patriarchas cum Episcopis suis subscribere cogit; Vigilium etiam eadem ex caussa Româ euocat.

*Vigilij Papæ seueritas in eos, qui illi assenserunt.*

Anno CHRISTI *DXLVII.* Vigilius vrbem regiam ingressus *VIII.* Kal. Februarij, Mennam & alios Capitulorum damnatores à communione suspendit. Mennam pòstea Theodoræ Augustæ rogatu in communionem recipit, die *XXIX.* Iunij.

*Eiusdē Vigilij Iustiniano assentiĕtis, inconstantia.*

Anno CHRISTI *DXLVIII.* Vigilius pacis studio ad damnanda Capitula inflexus, conuentum habet Episcoporum, cui Facundus interfuit, & suam vnumquemque sententiam scripto proferre iubet. Allatas ad se responsiones Episcoporum mittit in palatium, & Iudicatum ipse ad Mennam Sabbato sancto profert, in quo Theodorum Mopsuestenū cum dogmatibus suis, Ibæque Epistolam, & scripta Theodoreti, saluâ Synodi Chalcedonensis reuerentiâ, damnabat, Afris, Illyrijs, Dalmatis, alijsque in Triū Capitulorum defensione perstantibus.

*Rustici & Sebastiani Diaconorum secessio à Vigilio.*

Anno CHRISTI *DXLVIIII.* Rusticus, & Sebastianus Diaconi, sub anni exordium, à Vigilio deficiunt, & *Iudicatum* impugnantes, Vigilium per Prouincias tanquam Synodi Chalcedonensis præuaricatorem infamant. Qua de re missus ab Aureliano Arelatensi Anastasius, litteras Vigilio attulit pridie Idus Iulias.

*Vigilij in eos animaduersio.*

Anno CHRISTI *DL.* Vigilius Valentiniano Episcopo Scythiæ *XV.* Kalendas Aprilis, & Aureliano Arelatensi *III.* Kalendas Maij rescribit, docens, in *Iudicatô* suo nihil admissum fuisse contra Synodum Chalcedonensem; Rustico & Sebastiano falsi rumoris auctoribus gradus sui honorem, & ministerium abrogat. Vrgente porrò Iustiniano, vt absolutè, ac sine mentione Synodi, Capitula damnaret, rem ad Concilium generale deferendam persuasit. Recepto interim cum aliorum Episcoporum manibus *Iudicato*, quod antè fecerat, omnem deinceps vsque ad Concilium de Capitulis quæstionem, annuente Principe, interdicit.

*3. Vigilius recipit & supprimit suum Iudicatū, & quæstionem, de tribus Capitulis vsque ad generale Conciliū interdicit.*

Anno CHRISTI *DLI.* Iustinianus, instigante Theodoro, edicta in Capitulorum damnationem contra Interdictum proponit. Vigilius reclamat, & excommunicationem in eos indicit, qui assensum præbuerint. Quam ob rem, incenso iam Iustiniano, in Basilicam S. Petri in Hormisda, Augusto mense confugit. Vnde illum per vim abducere conatus Prætor,

tor, populi tumultu repellitur. Accepto tandem per Imperatoris Legatos ſacramento, rediit in domum Placidianam: ſed multis rurſum iniurijs affe-ctus, & inſidijs appetitus, noctu iterum ſub Natalem Chriſti Vigilius Chalcedonem abijt ad S. Euphemiam. *Vigilius fu-git Chalcedonem.*

Anno CHRISTI DLII. miſſi à Iuſtiniano ad reuocandum Vigilium Senatores ſex, V. Februarij, re imperfectâ redeunt. Miſſus etiam ſeorſum ſemel atque iterum Petrus Referendarius, primò cum charta contumelijs in Vigilium refertâ, pridie Kalendas: deinde vt ad reditum excitaret, pridie Nonas. Nonis verò Februarij, Vigilius Encyclicam de calamitatibus ſuis ſcr[illegible], depoſitioniſque ſententiam in Theodorum, quam ante ſex menſes condiderat, profert in lucem. Edictis poſt hæc ſublatis à Iuſtiniano, libelliſque fidei & pœnitentiæ oblatis à Menna, Theodoro, & alijs, Chalcedone relictâ, redit Conſtantinopolim. *Idem ſæpe reuocatus demum redit Conſtantinopolim.*

Anno CHRISTI DLIII. Profeſſiones aliæ Vigilio, die Theophaniorum editæ à Patriarchis, Eutychio, qui Mennæ ſucceſſerat, Apollinario, & Domno, Synodus V. generalis inchoata IV. Nonas Maij. Cui abnuens intereſſe Vigilius, vt ſuam ſcripto ſententiam exprimeret, *Conſtitutum* pridie Idus Maias miſit ad Iuſtinianum, in quo Trium Capitulorum defenſionem reſumit; & de ijs, quæ à Synodo Chalcedonenſi iudicata fuerant, nouari quicquam vetat. Ceterum Synodus V. Tria Capitula damnauit, Vigilius verò, quòd damnationem approbare refugeret, in exſilium pulſus eſt. Inde aliquot poſt annos Narſetis Comitis operâ reuocatus, cùm Vrbem repeteret, morbo in Siciliâ exſtinctus eſt, poſt Conſulatum Baſilij, (vt Victor in Chronico notat) Anno XVII. id eſt, Anno Chriſti DLVIII. Sic ibi. *Synodi quintæ generalis inchoatio, ui intereſſe noluit Vigilius.*

§. 8.

Igitur Vigilius non tædio exſilij, nec rogatu ſuo, ſed operâ Narſetis Comitis, & Cleri populique Romani rogatu, ad Vrbem nitori ſuo, & ſplendori Eccleſiaſtico reſtituendam reuocatus eſt. Hanc enim cauſſam reuocationis haud obſcurè denotat Anaſtaſius Bibliothecarius in Vitis Pontificum, quo vno vitam Vigilij Papæ nemo ſcripſit abſolutiùs, licet haud pari ſtylo. Sic ergo inquit: *Eodem tempore Imperator Iuſtinianus miſit Narſetem Eunuchum & Cubicularium ſuum in Italiam; cui datâ pugnâ cum Gothis, donauit Deus victoriam; & occiſus eſt Rex, & multitudo Gothorum interfecta eſt. Tunc adunatus Clerus rogauerunt Narſetem, vt vnà cum eius ſuggeſtione rogarent Principem, vt, ſi adhuc viueret Vigilius Papa, aut Presbyteri, ſeu Diaconi, vel Clerus, qui cum eodem Vigilio fuerant exſilio deportati, reuerterentur. Suſcepta relatione Narſetis, vel cuncti Cleri Romani, lætus effectus eſt Imperator, & omnes inclyti eius, eò quòd requiem donaſſet Deus Romanis. Mox miſit iuſſiones ſuas per diuerſa loca, vbi fuerant in exſilio deportati, in Gyſſa & Proconneſo, & adduxit eos ante ſe Imperator, dicens eis: Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa veſter? gratias ago. Minuſne? Hic habetis Archidiaconum veſtrum*

*Vera cauſſa reuocationis Vigilij Papæ ab exſilio.*

*Narſes Eunuchus, Cubicularius Iuſtiniani, victor Gothorum.*

*Iuſtiniani Imp. verba.*

*strum Pelagium; & manus mea erit vobiscum. Responderunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ. Restitue nobis modò Vigilium; & quando eum voluerit Deus transire de hoc sæculo, tunc vestrâ præceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster. Tunc dimisit omnes cum Vigilio. Venerunt itaque in Siciliam, in ciuitatem Syracusas, vbi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens, mortuus est. Cuius corpus ductum Romam sepultum est ad S. Marcellum via Salaria.* Sic ibi Anastasius.

*Vigilij Papa mors.*

E quibus verbis abundè nota fit Iustiniani partim amentia, non habentis Vigilium exsulem pro Pontifice; partim arrogantia, ponentis in sua potestate, vel hunc, vel alterum dare Pontificem; & alterâ ex parte, Romanorum seruitus (quæ & à Baronio deploratur) statuentium in præceptione Imperatoris designationem præsentis aut futuri Pontificis. Quin & hoc quoque discitur, nihil laborasse Iustinianum de consensu Vigilij in Trium Capitulorum damnationem, quam per se stare iam iudicabat: quippe totius sui conciliabuli sententiâ firmatam, & sua auctoritate comprobatam. Nam verba illa: *Vultu recipere Vigilium, vt fuit Papa vester?* quasi iam non esset, verba sunt ebrij: illa autem: *Minusne? Habetis Archidiaconum vestrum Pelagium*, &c. sunt hominis se ignorantis, & aliena vsurpantis. Quare cùm nec Iustinianus à Vigilio petierit, vt Concilio subscriberet, nec quisquam seu Græcorum, seu Latinorum subscripsisse illum scribat, aut consensisse Concilio, post suum exsilium; mihi certum videtur eum non consensisse: immo neque eius successorem Pelagium. Nam cùm sedecim eius nomine exstent epistolæ, & quatuor sint inter illas, in quibus maximè locus fuit declarandi, de Concilio V. quid sentiret, & quas Synodos reciperet, semper quatuor duntaxat nominauit; de quinta prorsus siluit. Exemplis ostendam.

*Concilio V. non subscripserunt, neque Vigilius Papa, nec eius successor Pelagius I.*

§. 9. Childebertus Rex Galliarum misit Ruffinum Legatum ad Pelagium Vigilij successorem, vt intelligeret ex eo, quid de Chalcedonensi Concilio, & de Tribus Capitulis sentiret; propterea scilicet, quòd spargerentur per Gallias de Concilio quinto impugnante quartum, semina scandalorum.

Responsio Pelagij per epistolam, quæ numero est duodecima, fuit talis:

*Domino filio gloriosissimo atque præcellentissimo, Childeberto Regi, Pelagius Episcopus.*

*Epistola Pelagij Papæ ad Childebertum Regem Francorum.*

*Ruffinus, vir magnificus, Legatus Excellentiæ vestræ, nobis dixit; quòd & in Prouincijs Galliarum quidam semina scandalorum sparserunt, dicendo aliquid contra fidem Catholicam (quod Dominus non patiatur) admissum. Et quamuis à transitu diuæ memoriæ Theodoræ Augustæ nullas de fide quæstiones Ecclesia Dei in partibus Orientis, Deo miserante, formidet, sed quædam Capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum est, vt epistolari possint compleri sermone, hoc breuiter secundum admonitionem præfati magnifici viri Ruffini, ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum*

*fratrum & Coëpiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus consistentium faciendum esse perspeximus, dicentes anathemizare nos, & alienos ab æternæ vitæ præmijs iudicare quicunque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in suis epistolis prædicauit, & quam Chalcedonense Concilium sequens eundem Præsulem, editâ diffinitione, suscepit, in vna syllaba, aut in vno verbo, vel in sensu errauit, vel errauerit aliquando, aut declinauit, vel declinauerit aliquando.*

Hæc ibi, & alia; sed nihil prorsus de Concilio 5. His autem minimè contentus Childericus remisit denuo Ruffinum significans Pelagium Papam debuisse significare, se per omnia obseruare tomum Leonis Pontificis, aut mittere proprijs verbis confessionem suæ fidei.

Respondet igitur Pelagius per epistolam numero *XVI.* se priùs quidem illud de tomo S. Leonis, statim accepto mandato præstitisse; alterum verò nunc se præstare, & suæ fidei exemplum mittere. Vtitur autem inter alia his verbis:

*Vt autem deinceps nullius, quod absit, suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illustris Ruffinus admonuit, facere maturaui: scilicet proprijs verbis confessionem fidei, quam tenemus, exponens. Definitiones quoque de eadem Catholica fide, quæ in quatuor sanctis Concilijs statutæ sunt, sed & memorati Pontificis* [Leonis scilicet] *quas vniuersalis semper tenuit, ac tenet Ecclesia, nos sancto Dei auxilio tenere atque defendere præsenti ad Excellentiam vestram colloquio intimandam necessario iudicaui.* *Ex alia epistola Pelagij ad eundẽ Childericũ.*

Post quæ verba continenter subdit fidem suam; ne verbum autem vnum facit de quinto Concilio. Sic & in epistola sua *XIII.* ad Episcopos Tusciæ propter Concilium quintum, schisma facientes, scribit se quatuor recipere Concilia; de quinto prorsus silet. Ita enim ait:

*Sed ne apud vos fortè, vel apud greges, qui vobis commissi sunt, de fide nostra aliqua possit remanere suspicio, hoc dilectionem vestram certissimè nosse desidero, me illam, donante Domino, custodire fidem, quam sacra Apostolorum doctrina constituit, quam Nicænæ Synodi firmauit auctoritas, quam Constantinopolitana, Ephesina prima, & Chalcedonensis sanctarum Synodorum explanauere sententiæ: nec quicquam de præfatarum Synodorum definitionibus, vel imminuisse me aliquid, vel dixisse, aut in aliquo permutasse, sed omnia, Deo propitio, quæ ab illis de fidei puritate conscripta sunt, inuiolabiliter custodire: anathematis nihilominùs iudicio subdens, quisquis ad suprà scriptarum quatuor Synodorum fidem, vel ad beatissimi Leonis Præsulis Apostolicæ sedis tomum, qui in Chalcedonensi est Synodo confirmatus, aliqua ex parte vel infirmandum quoquo modo, vel in dubium, quod absit, deducendum aliquando consenserit.* *Pelagij Papæ professio fidei, admittẽtis tantùm 4. concilia generalia.*

Hæc ibi; & de Concilio quinto nulla mentio.

Iam autem in epistola *XV.* quæ est Encyclica ad vniuersum populum §.10.

 Dei

Eiusdem Pelagij epistola encyclica tantum agnoscit & approbat 4. concilia.

Dei de fide Catholica (sic enim inscribitur) vbi maximè attinebat significare omnia Concilia generalia quæ ipse reciperet, & à populo Dei recipienda censeret, dicit se recipere & venerari quatuor; tacet de quinto; quin & illud videtur tacitè carpere, dum dicit se damnare, quos illa Concilia damnarunt, & recipere, quos receperunt, & præcipuè venerabiles Episcopos, Theodoretum, & Ibam, se inter orthodoxos venerari: quos certè quintum Concilium non veneratur, sed infamat.

Ponam in medio ipsa Pelagij Papæ verba; & sunt hæc in dicta epistola encyclica:

*De sanctis verò quatuor Concilijs, id est, Nicæno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & de Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me, protegente diuina misericordia, sensisse, & vsque ad terminum vitæ meæ sentire toto animo, & tota virtute profiteor, vt eas in sanctæ fidei defensione, & damnationibus hæresum atque hæreticorum, vtpote sancto firmatas spiritu, omnimoda deuotione custodiam. Quarum firmitatem, quia vniuersalis Ecclesiæ firmitas est, ita me tueri ac defendere profiteor, sicut eas decessores meos defendisse non dubium est. In quibus illum maximè & sequi, & imitari desidero, quem Chalcedonensis Synodi auctorem nouimus exstitisse, qui suo congruens nomini, eius se membrum, qui de tribu Iuda Leo exstitit, viuacissima fidei sollicitudine euidenter ostendit. Similem igitur suprà scriptis Synodis reuerentiam me semper exhibiturum esse confido, & quicunque ab eisdem quatuor Concilijs absoluti sunt, me esse orthodoxos habiturum; nec vnquam in vita mea, Deo nos in omnibus protegente, aliquid de sancta & veræ prædicationis eorum auctoritate minuere. Sed & Canones, quos sedes Apostolica suscipit, sequor & veneror, &c. Epistolas etiam beatæ recordationis Papæ Cælestini, Sixti, & præ omnibus B. Leonis, necnon etiam successorum eius &c. inuiolabiliter, adiuuante Christo Domino nostro, me custodire profiteor, & omnes, quos ipsi damnauerunt, habere damnatos; & quos ipsi receperunt, præcipuè venerabiles Episcopos, Theodoretum & Ibam, me inter orthodoxos venerari. Hæc est igitur fides mea, & spes mea, &c.*

Leonis Papæ laus egregia.

NOTA.

Pelagius Papa venerari se dicit Theodoretu & Ibam.

Ex quibus liquidò, vt opinor, apparet, eum non recipere Concilium quintum, quod conatum est aliquid corrigere in Concilio quarto, & dănare Theodoreti scripta, & Ibæ Epistolam. Atque vt certiùs fiat, nec Vigilium Papam, nec successorē eius Pelagium recepisse Conciliū illud quin-

§. II. tum à Iustiniano Constantinopoli coactum; proferam testimonium locuples M. Aurelij Cassiodori, Scriptoris eorundem temporum, & qui vixit sub vtroque illo Pontifice, & post eosdem, atque post quintum concilium superstes fuit.

Hic igitur Cassiodorus in libro de Diuinis Lectionibus, cap. XI. intendens docere, quænam vsque ad hanc suam ætatem Concilia generalia recepta sint, Caput illud sic inscripsit: *De quatuor Synodis receptis*; quasi dicat, quintum

quintum non est receptum; nam si receptum fuisset, procul dubio dixisset sic: *De quinque Synodis receptis.* Deinde sic incipit: *Dicamus nunc, quemadmodum vniuersalia sanctaque Concilia, fidei nostræ salutaria sacramenta solidauerint, vt ibi cognoscentes veræ religionis arcanum, pestiferos vitemus errores. Primo loco Nicæna Synodus legitur constituta. Deinde Constantinopolitana. Tertio, Ephesina prior. Quarto, Chalcedonensis. Quas meritò probat Ecclesia, quæ tanta fidei nostræ lumina præstiterunt, vt nullum peruersitatis scopulum, si tamen Domino protegente custodimur, cæcatis mentibus incidere debeamus. Nam sanctissimi Patres iniuriam fidei non ferentes, regulas quoque Ecclesiasticas ibidem statuere maluerunt, & inuentores nouarum hæresum pertinaces Diuino gladio perculerunt, decernentes nullum vlterius debere nouas incutere quæstiones, sed probatorum veterum auctoritate contentos, sine dolo & perfidia Decretis salubribus obedire.* Cassiodorus qui scripsit post 5. concilium, docet recepta esse tantùm quatuor.

*Sunt enim nonnulli, qui credunt esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant, & aliquid noui, vnde periti videantur, inueniant. Chalcedonensis autem Synodi testis est codex encyclicus, qui eius reuerentiam tanta laude concelebrat, vt sanctæ auctoritati meritò iudicet comparandam. Quem codicem encyclicum, id est, totius orbis epistolarum à viro disertissimo Epiphanio fecimus in Latinum de Græco sermone conuerti.* Perstringitur Iustinianus cōcilij 5. coactor violentus. ἐγκύκλιον.

Ita Cassiodorus, non obscurè carpens Auctores quintæ Synodi, vt inanis gloriæ cupidos; ac sui amatores.

Quòd autem nonnulli ex Epistolis Pelagij ad Narsetem Ducem exercitus, quibus eum sollicitat ad puniendos, qui per Italiam schismata faciunt, probari putant receptum esse à Pelagio quintum istud Concilium, næ ipsi admodum errant, vt ex his suprà allatis patet. Si enim recepisset, & puniri voluisset, qui non reciperent; id ipsum certè manifestò declarasset, atque expressam eius Concilij mentionem fecisset in suis ad vniuersos fideles encyclicis, quemadmodum fieri de more assolet: nunc autem prorsus videtur fecisse contrarium, dum quatuor tantùm Concilia nominat, & Chalcedonense nominatim extollit, de quo quintum nonnulla detrahebat, cum aliqua Theodoreti, & Ibæ iniuria, quos se venerari Pelagius profitetur.

Quod est ergo, inquies, schisma, quod impediri, & puniri à Narsete poscit, vrgétque Pelagius? Illud nempe est, quod aliqui Episcopi res Ecclesiasticas, non suas, vsurparent, & dignitatem Episcopalem contra Canones, quibus vellent, conferrent, inscio, inconsulto, inuito Pontifice. Hoc enim agebat Pelagius, non vt Concilium reciperetur, sed vt ipse. Nam & ab initio propter sinistram de se famam (cùm plurimi ab eo abhorrerent, tanquam sceleris aduersus Vigilium patrati participem) vix aliquos Romæ in Clero reperit, à quibus ordinaretur Pontifex; & cùm fuit ordinatus, ad amoliendam à se conceptam opinionem, conscendit in S. Petri ambonem, Schisma quorundam Episcoporū in Italia. Anastasius in Pelagij vita.

tenénsque Euangelia, & Crucem Domini super caput, se professus est innoxium.

Pelagio Pontifici successit Ioannes *III.* cuius nomine vnica exstat epistola, & quidem dubia: sed nec in illa mentio est vlla quinti Concilij.

Huic Ioanni annos tredecim Pontificia dignitate functo successit Benedictus, cognomine Bonosus, qui annos quatuor præfuit Ecclesię, & vnicam reliquit de sancta Trinitate Decretalem Epistolam; sed in qua nihil est de quinto Concilio, aut de tribus Capitulis.

Ex quibus fit probabile, tam Ioannem, quàm Benedictum in eadem cum Vigilio & Pelagio, suis antecessoribus fuisse sententia, nec approbasse, nec recepisse quintum Concilium.

§. 12. Hos secuti sunt in Pontificatu Pelagius *II.* deinde Gregorius Magnus; qui duo cœperunt loqui & scribere de isto Concilio: ita tamen, vt satis indicarint, quantum illud à quatuor prioribus dignitate atque auctoritate distet. Nam ipse Gregorius, qui de illis quatuor tam intrepidè locutus fuerat, vt cum totidem conferret Euangelijs, scribens tamen ad Theodelindam Reginam Longobardorum, tametsi Catholicam, quinti illius Concilij mentionem facere ausus non est, ne ipsa scandalizaretur: aut potiùs cùm illius mentionem in litteris fecisset, de futuro admonitus scandalo, eam mentionem sustulit. Nam Constantius, Mediolanensis Episcopus, qui trāsmittendas ad Reginam litteras acceperat, sciens eam offensum iri, illas retinuit, atque ad Gregorium remisit, nouis alijs litteris, si illi videretur, corrigendas. Et ipse quidem Gregorius (qua fuit animi moderatione) Episcopi factum probauit, & alteras litteras, sine vlla quintę Synodi mentione transmisit. Quod ipsemet fatetur Gregorius in epistola ad eundem Constantium scripta, quæ habetur lib. 3. Registri, indictione 12. epist. 37. in qua sic inter alia: *Quod autem scripsistis, quia epistolam meam Reginæ Theodelindæ transmittere minimè voluistis, pro eo quòd in eâ Quinta Synodus nominabatur; si eam exinde scandalizari posse credidistis, rectè factum est, vt minimè transmitteretis. Vnde nunc ita facimus, vt vobis placuit, vt quatuor Synodos solummodò laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ Constantinopoli postmodùm facta est, quæ à multis Quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit. Quippe in qua de personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus nihil in Chalcedonensi Concilio continetur: sed post expressos canones facta contentio, & extrema Actio de personis ventilata est. Nos tamen, sicut voluistis, ita fecimus, vt eiusdem Synodi nullam memoriam faceremus.* Ita sanctissimi Pontificis mira humanitas, & admirabilior humilitas. Ambæ autem illæ epistolæ ad Theodelindam Reginam, hoc est, tam ea, quæ suppressa fuit, quòd mentionem contineret quinti Concilij, quàm ea, quæ illi fuit reddita, sine vlla mentione eius Concilij, exstant in Registro eiusdem Gregorij lib. 3. ac prior quidem quarta est nu-

*S. Gregorij Papæ mira humanitas, & animi moderatio.*

*105. Synodo nihil de fide actum est.*

est numero, posterior autem trigesima tertia; quarum priorem intexuit Baronius tomo 7. suorum Annalium; posteriorem verò cur reticuerit, dicere non habeo. Notanda porrò sunt illa verba S. Gregorij de hac Synodo: *Quæ à multis*, inquit, *Quinta nominatur.* Quibus profectò satis innuit, nec passim receptam esse, & permagno à prioribus distare interuallo. Quod est verissimum. Nam aliæ, præterquam quòd iuxta Canones Ecclesiasticos celebratæ sunt, & res fidei necessarias pertractarunt, etiam hoc habuerunt, quòd Ecclesijs pacem ac tranquillitatem, & multa simul bona, sedatis discordijs, attulerunt. Hæc autem, quæ à multis Quinta nominabatur magis, quàm erat, & à multò pluribus reijciebatur, pro pace bellum, pro vnitate diuisionem, pro bonorum cornucopię, malorum myriadem importauit. Quæ mala nequaquam potuit doctissimus Annalium Scriptor Baronius dissimulare. Non tomo 7. ad Annum Christi 553. scripsit, multò meliùs futurum fuisse, si illa Synodus nunquam facta fuisset. Quod certè, nota est illius Synodi quàm maxima, & quæ non obscurè significat, illam Synodum magis ab Ecclesia toleratam esse ac permissam (vt solent in quibusdam rebus publicis mala quædam & peccata permitti, grauiorum malorũ metu) quàm grato ac volenti animo admissam ac receptam. Proferam ipsa verba Baronij. Is igitur postquam studuit ambas partes quamuis inter se contrarias excusare (nam Orientales cum Iustiniano Imp. stabant pro V. Concilio; Occidentales autem & Africani cum Vigilio Papa, aduersus Cōcilium) tandem ita conclusit: *Hæc*, inquit, *ad excusationem vtriusque sibi inuicem aduersantis partis volumus in medium adduxisse, cùm tamen illud affirmare non desinamus, longè præstantius futurum fuisse, vt ab his controuersijs Dei Ecclesia ieiuna mansisset, nec vnquam de his aliquis habitus esset sermo, ex quibus cùm Oriens, tum Occidens immensa strage multiplicibus diu repleti sunt funeribus. Hanc tantam cladem orbi, pestémque Ecclesiæ Iustinianus inuexit.* Ista Baronius; & rectè. Nam perniciosissimi istius Concilij, inuito & reluctante Pontifice, coacti & peracti primus auctor & fautor, instigante Diabolo, fuit Iustinianus, vt antè ostensum est. Neque afferri potest vllus fructus, qui ex eo Concilio in hanc vsque diem emanarit, cùm & illi, qui prætendebatur, de reconciliatione Acephalorum hæreticorum, (quæ maligni spiritus fraus erat, semper aliquod apparens & fallax bonum prætendentis) planè contrarium euenisse, idem docuerit ibidem Baronius. Quin & terribiles terræ motus, qui eodem tempore Constantinopoli, & alijs in locis acciderunt, eidem Concilio contra ius fasque celebrato attribuit, & præsignasse turbas & commotiones Ecclesiarum. *Etenim ipsa Synodo absoluta*, inquit, *tantum abest, vt pax reddita sit Ecclesijs, vt maius bellum exarserit, intestináque discordia magis sæuierit, orthodoxis inter se inuicem altercantibus; inhærentibus alijs Synodalibus de Trium Capitulorum damnatione decretis; alijs verò tuentibus Vigilij Pontificis Constitutū pro eorundem Trium Capitulorum defensione sancitum; praualuerunt hi in*

*Quanta sit differentia inter 5. Synodum generalē & 4. præcedentem.*

§. 13.

*Melius fuisset si concilium 5. nunquam fuisset, nec esset.*

*Baronij verba ad annum Christi 553. de 5. concilij successu infortunatissimo.*

 *Occidente;*

*Occidente; in Oriente autem illi, vbi Imperatoria eminebat auctoritas. Sic igitur haud tunc accidit (quod in alijs Oecumenicis Concilijs euenisse scimus), vt de Hæresibus expugnatis atque damnatis orthodoxi Episcopi ad propria cùm triumpho redirent, pacémque referrent, erigerentque de impietate expugnatâ trophæa, sed ciuilem potiùs discordiam inuexere. Vbicunque enim synodale decretum, munitum Imperatoris edicto, à prouinciarum Præsidibus promulgabatur, illic ab aduersa parte luctus excitabatur, quasi proculcata sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis maiestate, atque auctoritate Apostolicæ sedis in Vigilio vilipensa.* Sic ille tomo 7 ad Annum Christi 553. Quin hodiéque, & quamdiu stabit, aut permittetur illud V. Concilium (permissum enim potiùs quàm admissum esse, paullo antè indicaui) tamdiu in duobus Concilijs non quidem in re fidei (qualis nulla in V. Concilio, testibus multis Pontificum litteris suprà allatis, tractata est) sed in quæstione facti iudicia reperientur contraria, præsertim de personis Iba, & Theodoreto. Nam in Concilio Chalcedonensi, à S. Leone Pont. habito & approbato, iudicatus est Ibas orthodoxus; & quidem ex epistola ad Marin scripta: in Quinto autem Concilio, eadem epistola vocatur impia. Verba Legatorum Leonis Papæ pro Iba habétur in Actione decima Cōcilij Chalcedonensis sub finē, vbi postquā Iudices dixerunt: *Doceat sancta Synodus, quid ipsi placeat de Reuerendissimo Iba Episcopo*; ita subditur: *Paschasinus & Lucentius RR. Episcopi, & Bonifacius Presbyter, tenentes locum sedis Apostolicæ, per Paschasinum dixerunt: Relectis chartis, agnouimus ex sententia Reuerendissimorum Episcoporum, Ibam Reuerendissimum, innoxium approbari. Relecta enim eius epistola, agnouimus eum esse orthodoxum. Et ob hoc decernimus, & honorem Episcopatus, & Ecclesiam, à qua iniustè, & absens expulsus est, ei restituendam. De sanctissimo igitur Episcopo Nonno, qui pro eo paullo antè factus est, existimationis erit Venerabilis Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ, quid oporteat de eo statui.* Post Paschasinum primus sententiam dixit Anatolius, Episcopus Constantinopolitanus; deinde Maximus, Episcopus Antiochenus; postea Iuuenalis Hierosolymorum, & alij omnes, etsi alijs atque alijs verbis, tamen eodem sensu, & conformiter Legatis Pontificijs. Quare suus illi honos, & sedes restituta est.

§. 14. *De personis magna contrarietas est in cōcilio IV. & in V. Iustiniani cōciliabulo.*

*In concilio 4. Legati Leonis Papæ iudicarunt Ibam innoxium.*

Concilij autem *V.* in collatione *VIII.* post medium Capitulo *XIIII.* hæc sunt verba: *Si quis defendit impiam epistolam, quam ad Marin Persam hæreticū Ibas conscripsisse dicitur, quæ abnegat Deum Verbum, hominem factum esse; & dicit, non Deum Verbum ex Virgine incarnatum esse, sed purum hominem ex ipsa esse natum, quem templum vocat, vt alius sit Deus Verbum, & alius Homo; & S. Cyrillum, qui rectam fidem Christianorum prædicauit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur; & inculpat primam Ephesinam sanctam Synodum, tanquam sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem; & duodecim Capitula S. Cyrilli impia, & contraria rectæ fidei vocat eadem Epistola; & defendit*

*In concilio V. idem Ibas infamatur vt hæreticus.*

Theo-

*Theodorum, & Nestorium, & impia eorum dogmata, & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam; & defensores eius, & eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius, & eos qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate, quæ in ea continetur; & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilij, & in his vsque ad mortem permanent, talis anathema sit.* Ita ad verbum habetur tomo 2. Conciliorum Græco-Latinorum. Quæ procul dubio aduersantur ijs, quæ è Concilio Chalcedonensi allata sunt; & quædam præterea continent, quæ falsa sunt, nimirum, quòd Ibæ epistola abneget Deum Verbum hominem factum esse, & dicat, Deum Verbum non esse incarnatum ex Virgine, sed purum hominem ex ipsa natum. Non habet hoc, nec illud epistola Ibæ, sed non esse vnam naturam Deitatis & Humanitatis Domini nostri IESV CHRISTI, quemadmodum credebat teneri à Cyrillo, priusquam idem Cyrillus anathemata sua explicasset.

§. 15. Concilium V. tacito nomine videtur anathematizare Vigilium Papam.

Deinde ista verba eiusdem 5. Concilij proximè posita: *si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat illam, & defensores eius & eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius &c. talis anathema sit*; videntur ipsum Vigilium Papam impetere, qui in suo *Constituto* postremam epistolæ partem rectam esse tenet, & explicat & defendit. Nam in illa parte agebat Ibas de reconciliatione Cyrilli, & Ioannis Antiocheni Patriarcharum, siue de pacificatione inter Orientales Episcopos, duce isto Ioanne, & Ægyptios aliósque duce Cyrillo, propter Capitula eiusdem Cyrilli improbata primò ab Orientalibus, deinde ab ijsdem recepta, post eorum explicationem. Cùm ergo Ibas in priore parte epistolæ nonnulla dixisset in Cyrilli iniuriam, propter non intellecta eius Capitula, in posteriore autem se eius admittere explicationem, & gaudere de pacificatione, indicasset, hinc Vigilius Papa dicit Concilium Chalcedonense epistolam quidem orthodoxam censuisse, sed iniurias in Cyrillvm non probasse. Verba porrò Vigilij Papæ in suo *Constituto* (quæ & Baronius tomo 7. ad Annum CHRISTI 553. citat, & sequitur) sunt hæc: *Propter illam prædicationem fidei, per quam venerandæ recordationis Cyrillus Alexandrinus Episcopus, & Reuerendissimus Ioannes, Antiochenus Antistes, atque omnes Orientales Episcopi; per Paulum Emesenæ ciuitatis Episcopum ad concordiam redierunt, quam Ibas quoque in eadem epistola laudans libenter amplectitur, orthodoxa est Ibæ Episcopi à Patribus pronuntiata dictatio. Illa verò, quæ in ipsa Ibæ Sacerdotis epistola cum iniurijs beatæ recordationis Cyrilli per errorem intelligentiæ dicta sunt, Patres in sancta Chalcedonensi Synodo, Epistolam pronuntiantes orthodoxam nullatenus receperunt. Quippe quæ etiam ipse venerabilis Episcopus intellectu Capitulorum eius meliore recepto, mutando refutauit*, &c. Vide ibi plura in eiusdem Ibæ defensionem.

Vigilij Papæ verba pro Iba Edesseno Episcopo.

Defendit igitur Vigilius Papa Concilium Chalcedonense, siue quartum

vniuersale,

vniuersale, contra illud, quod aliqui vocabant quintum, licet inuito ac reluctante ipso vigilio (qui tunc Pontifex erat, & contra illud scribebat) per vim factum. Et contendit idem Pontifex epistolam Ibæ meritò probatam esse orthodoxam à dicto Chalcedonensi Concilio, cui præfuit S. Leo Papa Vnde non malè videtur sequi, eandem epistolam haud iustè reprehendi ab eo Conciliabulo, cui præfuit aut dominatus est Iustinianus Imperator homo illitteratus.

§. 16. De persona quoque Theodoreti, contraria senserunt Concilium Chalcedonense, præsidentibus Legatis S. Leonis Papæ, & Concilium 5. procurante Iustiniano. Nam illi Theodoretum nulla afficiendum contumelia censuerunt: quin ipsum potiùs postquam Nestorio dixit Anathema, laudibus & acclamationibus exceperunt. Iustinianus autem vnà cum suis assetatoribus scripta eiusdem Theodoreti contra Cyrillum condemnari nominatim voluit. Suscepit igitur Vigilius Papa in eodem suo *Constituto* contra Iustinianum defensionem Theodoreti, & pro illo sic locutus est: *De Scriptis verò, quæ sub viri venerabilis Theodoreti quondam Episcopi nomine proferuntur, miramur primùm, cur necesse sit, eius Sacerdotis nomine in obtrectationem quicquam cuiuslibet studio deuocari, qui ante centum & amplius annos in sanctæ ac venerandæ Chalcedonensis Synodi iudicio constitutus sine aliqua cunctatione subscripsit, & beati Papæ Leonis epistolis prona deuotione consensit.* &c.

*Vigilij Papæ verba pro Theodoreto.*

Et paullò post dicit idem vigilius Pontifex esse contrarium Chalcedonensi Synodo, aliqua Nestorij dogmata sub Theodoreti nomine condemnare. Quod tamen facit, aut facere se putat Iustinianus in 5. synodo. Verba Vigilij Papæ sunt hæc ibidem: *Ex quo*, inquit, *euidenter apparet quia quicquid sit, vel fuerit sub cuiuslibet prolatum nomine, quod impij Nestorij videatur concordare dogmatibus, hoc tunc in illo sancto Concilio à viro venerabili Theodoreto fuerit sine dubitatione damnatum; & sit valde contrarium, & Chalcedonensis synodi iudicio indubitabiliter inimicum quædam Nestoriana dogmata nunc sub eius Sacerdotis nomine condemnari, qui cum sanctis Patribus eundem impium Nestorium, & exsecrabilia eius dogmata, sicut diximus, tunc apertissimè anathematizauit.*

Deinde post aliquas Theodoreti veras laudes, sic de illo idem Papa Vigilius: *Hac ergo*, inquit, *rerum veritate perpensa, statuimus, atque decernimus, nihil in iniuriam atque obtrectationem probatissimi in Chalcedonensi Synodo viri, hoc est, Theodoreti Episcopi Cyri, sub taxatione nominis eius à quoquam fieri vel proferri; sed custodita in omnibus personæ eius reuerentia, quæcunque scripta cuiuslibet nomine prolata sceleratorum Nestorij atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus atque damnamus*, &c.

§. 17. Iam de Theodoro Mopsuesteno Episcopo, ita sensit & docuit idem Vigilius Papa in suo *Constituto*, nempe eum non condemnandum nomina-

*Vigilij Papæ verba pro*

tim

tim, licet errores, qui illi seu verò seu falsò attribuuntur, condemnari possint, quemadmodum videre est apud Baronium Anno CHRISTI 553. Vigilij Papæ 14. vbi eius *Constitutum* refertur. In quo sunt & hæc eius verba: *Et specialiter*, inquit, *de Theodori Mopsuesteni nominè, quid sancti Patres nostri disposuerint, superiùs euidenter expressum est. Eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus:* Sic ille apud Baronium ibidem. Concilium autem Quintum contra proprium caput pugnans, id est, contra Vigilium Papam, damnauit Theodorum Mopsuestenum, quem Patres Concilij Chalcedonensis, & Ephesini primi censuerant non damnandum. Quorum nixus auctoritate Vigilius dixit ea, quæ proximè posui. *Theodoro Mopsueſteno.*

*OBIECTIO CONTRA ALLATAS suprà rationes.*

DICET aliquis: tametsi nec Vigilius Papa, nec Pelagius I. nec Ioannes III. nec Benedictus I. (qui omnes isto ordine Vigilio successerunt) illud admisissent, approbassentue Concilium, tamen hoc sufficere videretur, quòd aliqui posteriores Pontifices, aut Concilia admiserint; ac nominatim Pelagius II. & Gregorius magnus, qui non longè post illud 5. Concilium vixerunt, & quorum auctoritatem alij secuti sunt. Nam Pelagius II. librum scripsit pro defensione istius Concilij; & Gregorius in epistola ad Græcos Patriarchas, postquam dixit se suscipere quatuor prima Concilia, tanquam quatuor Euangelia, de quinto ita subijcit: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam mediatoris Dei & hominum, in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector. Quia dum vniuersali sunt, consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere, quos ligant; aut religare, quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* *Obiectio contra allatas suprà rationes.*

RESPONSIO AD PROXIMAM obiectionem.

SI aliqui posteriores Pontifices, bonis ac veris instructi informationibus, & re diligenter ac sufficienter examinata, validum ac legitimum esse Concilium 5. iudicauerint, æquum est ipsorum iudicium; & qui sequuntur, non peccant. Si tamen aliquid postea in lucem emanet, quod occultum erat, & ea, quæ pro veris adducta erant, manifestæ falsitatis arguat, tum nec iudicium illud prius stare potest, nec quæ super illo fundata sunt, valent consistere.

Et hæc responsio conformis est doctrinæ S. Augustini lib. 2. contra Donatistas

ebant Latinorum. Renuit igitur Vigilius adire Concilium, ac promisit se per seipsum de *Tribus Capitulis* sententiam scripto prolaturum. Quod & fecit, composito de illis libro, quem *Constitutum* appellauit, in quo reprobauit, quicquid Concilium illud vnà cum Iustiniano de tribus personis, Theodoro Mopsuesteno, Iba Edesseno, & Theodoreto Cyrensi Episcopo, cum ipsorum ignominia statuerant: docens errores tantummodò, qui illis imponantur, seu verò, seu falsò, si verè errores esse constiterit, esse anathematizandos; personas autem minimè nominandas, neque defunctis ignominiam vllatenus inferendam. Hunc librum, siue *Constitutum*, cum sua, & Episcoporum Latinorum, qui secum erant, subscriptione, misit ad Iustinianum. Hic autem illum occuluit, ac suppressit, & Concilium suum cum solis Græcorum subscriptionibus, vt hodiéque videre est, euulgauit; Vigilium autem, propterea quòd subscribere nollet, in exsilium ablegauit; ratus scilicet Concilio suo sufficere Græcorum Patriarcharum & Episcoporum subscriptiones, etiam sine vllo Latinorum. Quo etiam modo ad hunc vsque diem in tomis Conciliorum reperiuntur. *Constitutũ Vigilij Papæ.* *Vigilius Papa à Iustiniano in exsilium mittitur.*

Sustinuit autem Vigilius fortiter exsilium annos aliquot, donec ea, quam suprà exposui, occasione atque caussa, reuocatus est. Neque enim mutauit sententiam, vt rediret; neque vllum scriptum edidit, quo se assentiri Concilio indicaret. Quippe Iustinianus mira animi superbia elatus, & recenti per Narsetem militiæ ducem victoria inflatus, nihil de confecto iam Concilio ampliùs cogitare, nec curare: quòd illud satis per sese stare non dubitaret. Neque ipsi etiam Græci Patriarchæ de illo sollicitì esse, sed in sinu potiùs gaudere, velut de superato à se, & quasi triumphato Pontifice Romano. Nam si aliquid aliter sensissent, aut fecissent, aut si de habendo Pontificis, post eius reditum, consensu laborassent (quod fieri sine aliquo strepitu non poterat) eius saltem aliquod vestigium, missis vltrò citróque litteris, reliquissent. Reliquerunt autem nullum. Acta verò Concilij scripserunt, vt voluerunt; sed *Constituti* à Vigilio Papa facti, ne verbo quidem meminerunt; quia fortè nec viderunt, aut, si viderint, contempserunt.

At Pelagius Ecclesiæ Rom. Diaconus, qui postea, fuit Pontifex & Vigilij successor, illud vidit, eíque subsignauit. Hinc & Concilium istud reprobauit, nec memoriam eius vllam inter Concilia fecit, in sua ad omnes Ecclesias circulari, quam ex more initio sui Pontificatus misit; fecisset tamen profectò, si illud approbasset. Reprobauit autem, dum Vigilij *Constituto* Diaconus subscripsit, & postea Pontifex non reuocauit. Quæ subscriptio hodiéque exstat apud Baronium, tomo 7. Annalium, Christi anno 553. his verbis:

*Pelagius miserante Deo, Diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, huic Constituto consentiens, subscripsi.*

Aliorum subscriptiones vide loco iam citato, & ex parte in hac ipsa quæst. infrà, §. 22.

Pelagius II. autem illud *constitutum* non vidit, & in fucata Quinti Concilij Acta incidit, quæ falsò scripserant Vigilium Constantinopoli existentē omnibus Actis interfuisse, & Tria Capitula sæpius condemnasse. Nam è synopsi Chronica à nostro Iacobo Sirmondo accepta, & à nobis paullò antè proposita, videre est contrarium, nempe Vigilium semel tantùm, nec tamen absolutè, Iustiniano in condēnationem Trium Capitulorum consensisse, sæpius autem pro illis depugnasse, & post multa alia perpessu grauia, etiam exsilij ærumnas tolerâsse.

Atque vt rem paullo explicatiùs, & ea ad quæ hîc tractantur, accōmodatiùs, repetam, sic se habet:

Anno Christi 546. Iustinianus librum edidit contra Tria Capitula, & Græcos Patriarchas ei subscribere coëgit.

Anno 547. Vigilium Papam ad idem cogere voluit; sed tantum abest, vt ei Vigilius consenserit, vt etiam Patriarchas, qui consenserant à communione suspenderit.

Anno 548. Vigilius pacis caussa tandem consensit, & quidem libro scripto (quem *Iudicatum* appellauit) sed cum hac exceptione: *Saluâ Synodi Chalcedonensis reuerentiâ.* Quæ exceptio minimè placuit Iustiniano, quippe quærenti laudem ac gloriam ex Synodi Chalcedonensis emendatione. Erat enim gloriæ vndique conquirendæ cupidissimus.

Anno igitur 549. & 550. sollicitauit, ac perursit Vigilium, vt tolleret illam exceptionem, & Tria Capitula simpliciter & absolutè condemnaret. Distulit hoc facere Vigilius, & tandem Iustinianum dolo bono decepit. Nam velut ei consensurus, rem ad generale Concilium deferendam persuasit, & eodem annuente, omnem vsque ad illud Concilium, de Tribus Capitulis quæstionem interdixit. Interea *Iudicatum*, quod in fauorem Iustiniani fecerat, vnà cum Episcoporum subscriptionibus recuperauit, & aboleuit. Hoc enim intendebat Vigilius, & admissum à se erratum cognita Latinorum à se defectione, emendare satagebat.

*Vigilius Iudicatum suū recepit & aboleuit.*

Anno 551. Theodorus, Cæsariensis Episcopus, cui plurimum erat auctoritatis apud Imperatorem, subodoratus, vt credibile est, Vigilij consilia & intentiones, Iustinianum impulit, vt, neglecto eiusdem Vigilij interdicto, nec exspectato generali Concilio, edictum in damnationem Trium Capitulorum proponeret. Proposuit, sed eodem edicto se Vigilius opposuit, & excommunicationis pœnam cunctis, qui illi assentirentur, inflixit. Iustinianus igitur ira incensus, Prætorem ad Vigilium comprehendendum misit. Confugit ille in S. Petri Basilicam, vbi Prætor vim intentans, vi maiore populi repulsus est. Denique Vigilius nihil tuti videns Constantinopoli, ipsa nocte Natalitiorum Christi, fugit Chalcedonē.

Anno 552 postquam Iustinianus edicta sua contra Tria Capitula sustulit, & Græci Patriarchæ, libellos fidei suæ & pœnitentiæ Vigilio obtulerunt; ipsis reuocantibus, redijt Vigilius Chalcedone Cōstantinopolim.

Anno 553. inchoatum est demum v. generale Concilium, 4. nonas Maij. Cui interesse noluit Vigilius, sed scripto sententiam suam exprompsit eam scilicet, quæ in *Constituto* ad Iustinianum misso côtinetur; nempe nihil de ijs, quæ à Chalcedonensi Concilio iudicata sunt, nouandum esse. Quod re ipsa idem est, ac si diceret, *Conciliũ* v. *pro nihilo habẽdum esse*, quod Tria Capitula innouare voluit. Igitur illum Iustinianus renuentem approbare Trium Capitulorum damnationem, in exsilium depulit. § 19. *Concilij v. generalis initium.*

Iam autem Pelagium II. Papam non vidisse illud *Constitutum* Vigilij, inde probatur certissimè, quòd in illa ipsa epistola, seu libro, quem idem Pelagius pro defensione Concilij v. scripsisse dicitur (is exstat tomo secundo Conciliorum Græcolat, parte 2. inter fragmenta pro v. Synodo) quòd in illo, inquam, libro ad Eliam Aquilensem, & alios Istriæ Episcopos misso, citet idem Pelagius hæc eorum verba ad se data: *Doctrina vestræ reuerendæ Sedis est per beatum Leonem, successoréſque eius (vnde pauca commemorare præsumpsimus) mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere.* Post quæ verba subdit ipse Pelagiũs illis respondens: *Et tamen nulla eius testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmaretis.* Er conatur idem Pelagius refutare illa Episcoporum verba: quod certè non faceret, si Vigilij *Constitutum* perlegisset. Nam quod illi Episcopi scripserunt, ipse quoque scripsit, & tenuit Vigilius Papa, nempe damnari non posse mortuos, si ante mortem damnati non fuerint. Ad quod probandum citauit Leonis & successorum eius testimonia, sicut & citarunt Episcopi Istriæ, sed aliqui, vt credibile est, ea sustulerunt, antequam in manus Pelagij II. Pontificis venirent: quòd fortè ista testimonia extra epistolam (vt fieri breuitatis epistolicæ studio interdum accidit) in alia charta descripta essent. Si autem Pelagius II. legisset *Constitutum Vigilij Papæ*, ibi ea ipsa reperisset testimonia, Leonis scilicet, & Gelasij, & ipsiusmet Vigilij, & aliorum quoque Episcoporum, contra se & sua scripta facientium, & satis clarè docentium, à morte neminem esse damnandum, de quo scilicet non constiterit, ad mortem vsque pertinacem in aliquo errore priùs damnato perstitisse. Ita enim verba Pontificum, licèt id non addiderint, intelligenda sunt. *Pelagius II. Papa non vidit Constitutum Vigilij Papæ. Verba Episcoporum Istriæ ad Pelagium II. Papam.*

Atque, vt certiùs constet, atque euidentiùs appareat, Pelagium II. non vidisse *Constitutum* Vigilij, & falsis Concilij v. Actis deceptum, tenuisse contra historiæ veritatem, Theodorum Mopsuestenum post mortem fuisse condemnatum ab Ephesina Synodo prima, & simul vt ostendatur falsum esse, quod quidam Scriptores iactitarunt, Origenem à Vigilio Papa fuisse condemnatum, proferam ipsius Vigilij verba, tenentis, & probantis, neminem omnino (quamuis multi in aliquorum scriptis errores reperiantur) si modò in Ecclesiæ pace obierit, posse post mortem condemnari. *Origenes non est à Vigilio Papa condemnatus.*

Verba igitur Vigilij id probantis, tam ex ipso S. Cyrillo, qui maxima primæ Synodi Ephesinæ pars fuit, & è S. Leone, & Gelasio, summis Pontificibus, sunt hæc, quæ sequuntur:

Vigilij Papæ verba in suo Constituto. *Et quoniam præfata dogmata, quæ secundùm intellectum de his exposi-tum, anathemati atque damnationi* subiecimus in eo volumine, quod nobis per fratrem nostrum Benignum Episcopum, nuper à pietate vestra transmissum sub Theodoti Mopsuesteni Episcopi perhibentur nomine prænotata; ad hoc sollicitudinis nostræ animum consequenter admouimus, vt si quid de persona vel nomine memorati Theodori apud Patres quæsitum sit, vel si qua super eius nomine ab eis regulariter fuerint constituta, siue disposita, diligentissima indagatione quærere curaremus. Et hæc inuestigantes, aduertimus beatæ recordationis Cyrillum Alexandrinæ ciuitatis Antistitem, de persona iam mortui Theodori Episcopi, Ioanni reuerendæ memoriæ Antiochenæ ciuitatis Episcopo, vel Orientali Synodo ad eius litteras rescribentem, inter alia ita tradidisse: S. Cyrilli Alexandrini verba. *Quæ prolata est in sancta Synodo Ephesinâ definitio, veluti à Theodoro disposita (sicuti offerentes dicebant) nihil habens sanum, euacuauit quidem eam sancta Synodus, veluti peruersarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos, qui sic sapiunt: dispensatiuè verò mentionem viri non fecit. Neque eum nominatim anathemati subdidit, neque alios.* Ipsam verò Synodum Ephesinam pri- Vigilij verba. mam sollicitè recensentes, nihil de Theodori Mopsuesteni persona referre comperimus: sed symbolum, quod Carisius Presbyter illic prodidit, magis quia ab Athanasio, & Photio (qui tunc temporis hæretico Nestorio adhærebant, per Antonium, & Iacobum, nomina tantùm Presbyterorum habentes, ad Philadelphorum Ecclesias fuerit destinatum. Ex quo claret, beatum Cyrillum hoc, quod per litteras profitetur, à prolatoribus scilicet symboli, iam defuncti Theodori Episcopi nomen fuisse delatum, sua prouidentia Ecclesiasticam moderationem circa mortuum sapientia Sacerdotali seruantem, noluisse nomen eius, ne monumentis quidem Synodalibus, propter regulam, quæ de mortuis in Sacerdotio seruanda est, contineri. Quomodo autem hoc, quod suprà dixit Cyrillus dispensatiuè factum, vt minimè anathemati nomen viri subijceret, voluerit intelligi ad Ecclesiasticam regulam porrigendum, in eadem epistola sua subter adiecit, dicens: S. Cyrilli verba. *Sed iustè audient, tametsi nolint, qui huiusmodi caussas præbent: Obliuiscimini vos ipsos, quando aduersus cineres arcus extenditis. Non enim superest, qui apud eos inscriptus est. Et me nullus culpet in hæc verba progressum, sed cedant valde, nimirum prædecessori. Graue est enim insultare defunctis, vel si Laici fuerint, nedum illis, qui in Episcopatu hanc vitam deposuerunt. Iustissimum enim apparet prudentibus viris, cedere præscienti* [Deo scilicet] *vniuscuiusque voluntatem, & cognoscenti, qualis quisque* Vigilij verba. *futurus sit.* Beatum quin etiam Proclum, huius regiæ ciuitatis Antistitem, ita memorati Ioannis Antiocheni Episcopi similiter constat respondisse

rescriptis,

scriptis, dicenrem inter alia: *Quando enim scripsi tuæ sanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quosdam, qui pridem defuncti sunt, anathemati subdi? aut nominatim alicuius feci mentionem?* Et post pauca: *Et Capitula illa, quæ subiecta sunt, repuli, vtpote subtilitatem non habentia pietatis; neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam, qui iam defuncti sunt, scripsi, Deo amantissimi, aut vt anathematizaretur, aut vt abdicaretur, sed neque charissimus Theodotus, qui à nobis directus est Diaconus, talia mandata suscepit.* Item ipse B. Proclus in Epistola ad Maximum Diaconum, post alia ita dicit: *Quomodo igitur per litteras didici nunc, quia Theodori Mopsuesteni, & aliorum quorundam nomina præposita sint Capitulis ad anathematizandum, cùm illi ad Deum iam migrauerint? & eos, qui iam vitam reliquerunt, superuacuum fit, iniuriari post mortem, quos nec viuos aliquando culpauimus.* Et post pauca: *Post subscriptionem autem tomi, & post abiectionem Capitulorum, quæ cuius sint, ignoramus, præpara Diaconum Theodotum venire ad regiam ciuitatem.* Perpendat ergo pietatis vestræ sapientia singularis, quia Proclus eruditissimus Sacerdorum, & non longè à Theodori Mopsuesteni vita repertus, mala, quæ libenter damnauerat, cuius essent, se iam tunc professus est ignorare. Sed neque in sancto & venerando Chalcedonensi Concilio aliquid de sæpius designati Mopsuesteni Theodori Episcopi nomine inuenimus statutum, vel dictum esse contrarium, dum in relatione, quam eadem veneranda Synodus, piæ memoriæ Marciano tunc Imperatori transmisit (quam vos quoque vestris legibus, dum orthodoxa professione vnum de Sancta Trinitate Christum Deum ac Dominum nostrum confitendum astruitis, ad testimonium laudabiliter adduxistis) litteræ Antiocheni Ioannis cum Orientali Synodo, ad Theodosium tunc pijssimæ recordationis Principem destinatæ venerabiliter memorentur, quibus Mopsuesteni Theodori Episcopi persona, ne post mortem damnari deberet, excusatur.

*S. Procli Episcopi Constantinopolitani verba.*

*Eiusdem.*

*Eiusdem.*

*Vigilij Papæ verba.*

Hæc Vigilius de testimonijs sanctorum Episcoporum, Cyrilli, & Procli pro sua sententia; proximè autem & continenter testimonia quoque summorum Pontificum subiungit in hunc modum: Post hæc ampliori cura prospeximus, siquid in his, qui iam defuncti sunt, & minimè reperiuntur in vita damnati, etiam sanctæ recordationis prædecessores nostri decreuerint. Quibus inspectis, agnouimus, quòd huius cautelæ prouidentiæque formam, veneranda prædecessorum nostrorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, nobis apertissimè tradiderunt. Nam sanctissimus Papa Leo ad Theodorum, Episcopum Foroiuliensem, post alia ita dicit: *Non necesse est, nos eorum, qui sic obierunt, merita actúsque discutere, cùm Dominus Deus noster (cuius iudicia nequeunt comprehendi) quod Sacerdotale ministerium implere non poterat, suæ iustitiæ reseruarit.* Item B. Gelasius Papa in epistola, quam ad Episcopos Dardaniæ de caussa Acacij scripsit, post alia

*Vigilij verba.*

*Qui nō sunt in vita damnati, nō sūt post mortem damnandi.*

*S. Leonis Papæ verba.*

S. Gelasij Papæ verba. alia ita dicit: *Qui postquam in collegium recidens prauitatis, iure meruit ab Apostolica communione secludi, in hac autem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes nec quæsiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est. Quæ ligaueritis super terram; &, quæ solueritis super terram. Ceterùm iam de eo, qui in Diuino est iudicio constitutus, nobis fas aliud decernere non est; præter id, in quo eum dies supremus inuenit.* Item memoratus beatæ recordationis Papa Gelasius in gestis Synodalibus, de Miseni Episcopi

Eiusdem. Cumani absolutione confectis, hoc euidenter docuit, dicens: *Totum, quod supra nostræ facultatis est modulum, Diuino iudicio relinquemus. Non autem nobis poterunt imputare, cur præuaricationis offensam viuentibus remittamus, quod Ecclesiæ, Deo largiente, possibile est; nec nos iam mortuis veniam præstare, quod nobis non esse possibile, manifestum est. Quia cùm dictum sit Quæ ligaueritis, & solueritis super terram: hos, quos super terram iam non esse constat, non humano, sed suo Deus iudicio reseruauit. Nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis Apostolis conspicit non fuisse concessum. Quia alia est caussa superstitum, alia defunctorum.* Ita Gelasius.

Vigilij verba. Hanc autem regulam & in sanctorum Ioannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysostomum vocant, atque Flauiani eiusdem ciuitatis Episcopi, veneranda memoria constat esse seruatam; qui licèt violenter exclusi sint, non tamen pro damnatis sunt habiti, eò quòd semper inuiolatam eorum communionem Romani Pontifices seruauerunt, nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, quos sibi inconuulsè vnitos Apostolica iudicauit auctoritas. *Hæc ibi, & plura in eandem rem Vigilius; post quæ ita*

Eiusdem, post nonnulla. *subdit*: Quibus omnibus diligenter inspectis, quia licèt diuerso Patres nostri verborum modo, vnius tamen ductu intelligentiæ differentes, illæsas Sacerdotum in pace Ecclesiæ defunctorum seruauere personas; idémque regulariter Apostolicæ Sedes, quæ suprà diximus, definiunt Constituta: Nulli licere nouiter aliquid de mortuorum iudicare personis, sed in hoc relinqui, in quo vnumquemque dies supremus inuenit, &c.

§. 30. Atqui Origenem (vt de alijs taceamus) semper cũ Ecclesia Catholica

Origenem pòst in ecclesia defunctũ nefas esse excommunicare post mortem. communicantem, & pro Christi fide multa & grauia perpessum, dies supremus inuenit, quemadmodum in eius vita passim ostendimus. Igitur contra Patrum & Pontificum facit Constituta, quisquis rectè mortuum, & sacro in loco honorificè sepultum, non dicam excommunicare, sed vlla audet afficere contumelia. Hoc est enim, quod suprà S. Cyrillus rectè appellauit: *contra cineres arcus extendere.* Ex his porrò, quæ adhuc è Vigilij Papæ Constituto attulimus, planissimè liquet, omnem Quintæ Synodi, cui ipse contradixit, auctoritatem collabascere, & eos, qui postea ideo illi consensere, quòd eius Acta existimarent sincerè conscripta, nihilque celatum.

celatum, quod scitu esset necessarium, deceptos quidem fuisse, & alios in errorem exemplo suo traduxisse; sed citra culpam suam. Quippe qui animos hominum falsa pro veris afferentium, & quæ dicta oportuerit, dolosè celantium, introspicere non potuerint. Et cùm ipsi Prophetæ sic aliquando decepti sint, nihil mirum, si & Pelagius II. & qui eum secuti sunt, itidem decepti sint. Qui si *Constitutum Vigilij Papæ* vidissent, & illud cum Actis Quinti Concilij contulissent, hoc etiam profectò vidissent quod & Baronius, eodem reperto *Constituto*, vidit, & nos hodie videmus, illud, scilicet, quod vocatur Quintum generale Concilium, nec priuati Concilij nomen mereri, sed merum fuisse Conciliabulum.

*Pelagius II. Papa & Gregorius successor non viderunt Vigilij Papæ Constitutũ.*

Sanè Baronius tomo septimo Annaliũ, ad annum Vigilij Papę decimũ quartum, postquam de caussis egit celati à Concilio *Constituti*, tum ita subdit: *His ita se habentibus, si ad numeros omnes, quibus constare debet Synodus, vt Oecumenica in Spiritu sancto legitimè congregata dicatur, istam conferas: rebus sic stantibus, quas exhibent Acta, planè consenties, ipsam non Oecumenicæ tantùm, sed nec priuatæ Synodi mereri nomen; vt quæ, resistente Romano Pontifice, fuerit congregata, & contra ipsius Decreta, ab ea pariter sententia dicta. At quomodo factum fit, vt ea postea nomen Synodi obtinuerit Oecumenicæ, inferiùs dicturi sumus.* Hactenus verba Baronij.

*Baronij iudicium de 5. Synodo vniuersali.*

Modus autem, quo Synodus ista antehac inualida, facta fuerit valida, & Oecumenica, siue vniuersalis, ponitur ab eo talis: quòd scilicet postea vel ipse Vigilius, vel eius successor, Pelagius I. vel alij Pontifices assensum ei Concilio tribuerint. Id autem sufficere probat è Synodo Constãtinopolitana I. sub Theodosio maiore, quam ait repugnante Damaso Constantinopoli celebratam, cùm eam Romæ celebrandam indixisset; quam postea nihilominus approbauerit, & Oecumenicam fecerit. Verùm salua Baronij pace, iam suprà ostensum est, neque Vigilium ei Concilio assensum vnquam dedisse, neque successorem eius Pelagium I. Quippe quos constat Vigilij *Constituto* aduersus idem Concilium edito subscripsisse. Nam & apud ipsum Baronium exstant ipsorum subscriptiones, & multorum itidem aliorum, ipsi *Constituto subiecta*, ad annum Christi 553. & Vigilij 14. & Iustiniani Imp. 27.

*Synodos inualidas quibus modis crediderit Baronius fieri valida.*

De approbatione autem per Pelagium 2. & Gregoriũ magnũ, iam suprà indicaui, illos ex falsa suppositione, qua credebant Vigilium ei Concilio consensisse, cùm tamen dissenserit; dolo Iustiniani, & Actorum falsitate deceptos fuisse; ac consequenter eos quoque omnes, qui non alia de caussa eos secuti sunt, quàm quòd nullam infuisse fraudem existimarint.

Ad probationem porrò Baronij, qua dicit primam Constantinopolitanam Synodum celebratam, repugnante Damaso, id nequaquam concedi potest; & ipsum Baronium prioris suæ doctrinæ fefellit memoria. Nam ad annum Damasi Papæ 15. expresse docuit contrarium, vbi hæc habet inter

*Synodus Constantinopolitana I. an celebrata sit repugnante Damaso?*

Baronij verba. ter alia: *Sed ne domesticos testes citare videamur, habentur eadem in scripto codice peruetusto Vaticanæ Bibliothecæ, necnon in S. Mariæ Maioris, in quibus hæc scripta leguntur: Sententiam de damnatione Macedonij, & Eunomij, Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.* Ita Baronius.

Quare si præcepto & auctoritate Damasi celebrata est Synodus secunda apud Constantinopolim; benè concluditur, quòd non ipso repugnante. Quin subdit ibidem continenter Baronius ad maiorem certitudinem, hæc verba: *At quisnam*, inquit, *de his potuerit dubitare, cùm constet absque auctoritate Romani Pontificis, eiusmodi Synodos congregare minimè licuisse?* Quod etiam multis probat argumentis, adeóque ipsius S. Damasi Papæ auctoritate, ita scribens: *Testatur*, inquit, *& ipse Damasus nullius esse momenti Decreta Synodi, cui ipse per se, vel per Legatos assensum non præbuisset. Confirmat id Socrates, prohiberéque ait Ecclesiasticum Canonem, ne Decreta absque sententia Romani Pontificis in Ecclesijs sancirentur. Quod & Sozomenus pariter attestatur.* Hæc Baronius, & verè.

Damasus apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. Socrates l. 2. cap. 13. Sozom. l. 3. c. 9.

Iam si Decreta Synodi generalis nullius sunt momenti, cùm ei Synodo nec per se, nec per Legatos assensum Papa præbuerit: quanto magis, si se opposuerit? quanto ampliùs, si contrariam ei sententiam scripto expresso asseruerit? Hoc autem fecit Papa Vigilius, vt eius testatur *Constitutum*, cui reclamare nemo potest.

Accedit, quòd idem Papa Vigilius ostenderit ea, quæ in eo Concilio constituta sunt & allegata, nec æqua esse, nec vera, immo & Chalcedonensi Concilio iniuriosa & contraria, adeóque talia, vt à nemine quantæcunque dignitatis ac potestatis recipi aut approbari possint. Accidere enim potest, (& sæpe accidit) vt aliqua bona sint, & vera, sed tantùm malo modo facta; & hæc quidem, licèt aliquando iustè reiecta, possunt tamen aliquatenus supremæ potestatis indulgentia atque auctoritate postea recipi. Verùm ea, quæ non solùm malo modo, & contra Canones facta sunt; sed etiam re ipsa ex se mala & iniqua sunt; & plus mali, quàm boni Ecclesiæ afferunt, quónam ea pacto recipi possunt?

Quanta diuersitas inter Vigilij Papæ Constitutum & Iustiniani Imp. conciliabulū. Exstant enim hodiéque ex vna parte Acta Concilij V. & ex altera Constitutum Vigilij Pontificis: quæ si iusta lance perpendantur, statim apparebit, vbi sit æquitas, & quanto præponderet Vigilij sententia, violentiæ Iustiniani. Hic enim per violentiam, quæ nihil moderati habet, suum coëgit Concilium, & sibi aduersantes exsilijs atque ærumnis afflixit. Vigilius vim & tumultum declinans, suam in quiete sententiam perscripsit; quæ contrà obijci poterant, refutauit; suæ partis Episcopis ostendit; illis approbantibus & scribentibus, in lucem edidit; ad Iustinianum, vt antè dixi, illam misit: hic autem tanquam sui conciliabuli peremptoriam suppressit, & præmij loco auctorem eius Vigilium relegauit.

Cùm

Cùm igitur Vigilij *Constitutū*, sententiam de Tribus Capitulis maximè æquam contineat, sitque totum *Constitutum* eiusmodi, vt nemo sit, qui non magnopere probet; quis dubitare potest, quin & Gregorius Magnus, aliíque Pontifices approbâssent, si illud vidissent? Quod si approbassent, tum certè eâdem operâ, illud Quintum ei aduersans Concilium reprobâssent. Nunc autem, quis æquus iudex non censeat, ea omnia statuta, quæ suppressa veritate, & falsis dictis obtenta sunt, pro nullis habenda esse? Subreptitia enim sunt. Hinc & à Pontificibus, & à quibuscunque alijs magistratibus, cognita veritate, reuocantur; aut tacitè reuocata censentur. Quocirca non potest, nec debet contra *Constitutum Vigilij*, quod ignoratum est, vlla pro v. Concilio valere auctoritas, neque Gregorij, neque vllius alterius, seu Pontificis, seu Concilij etiam Oecumenici, cui scilicet subtracta fuerit sententiæ Vigilij Papæ notitia, vel quòd ex sola præsumptione alicuius tanquam veri processerit, quod postea certò cognitum sit esse falsum.

*Statuta, quæ Surreptitiè & falsis ex caussis obtēta sunt, pro nullis cēsentur.*

Per hæc porrò (vt mea quidem est sententia, nec mea tantùm, sed multorum quoque doctiorum me) satis factum esse debet Baronio, eorum auctoritatem proferenti, qui posterioribus temporibus illud v. Concilium approbarunt. Quia nunquam approbassent, si *Constitutum* istud Vigilij vidissent atque examinassent. Non vidisse autem, nec examinasse, ex eo constat, quòd nec minimam eius mentionem, vbi maximè oportebat, fecerint, & præcipuè quòd Pelagius II. & Gregorius Magnus (quorum auctoritate nixi sunt alij) ea pro defensione Quinti Concilij protulerint, quibus iam diu antè in suo *Constituto* obstruxerat Vigilius: quod certè non fecissent, si illud cognouissent.

Ex quibus, præter alia antè relata, est etiam istud, quòd existimarunt S. Leonem Papam, per Legatos suos, nihil prorsus aliud agi in Chalcedonensi Concilio voluisse, quàm res fidei, ita vt nec de restitutione quidem Episcoporum iniustè sedibus suis expulsorum, tractari & iudicari ab illis permiserit. Cuius tamen planè contrarium per Occupationem in suo *Constituto* affirmauit Vigilius, ita sub eius finem scribens: *Et ne quis forsitan arbitretur ambiguum, quòd præfatis Legatis atque vicarijs sedis Apostolicæ à Beatissimo Papa Leone tantùm fidei caussa, & non etiam de depositorum incompetenter Episcoporum, fuerit reuocatione mandatum, & quasi superfluè Ibæ quoque Edessenæ ciuitatis Episcopi caussam coram sanctis Patribus existimet agitatam; nouerit beatissimum Papam Leonem sanctæ Chalcedonensi Synodo hæc inter cetera scripsisse dicendo: Quia verò non ignoramus per prauas æmulationes statum multarum Ecclesiarum fuisse turbatum, plurimósque Episcopos, qui hæresim non reciperent, sedibus suis pulsos, & in exsilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, his primitus adhibenda est medicina iustitiæ, ne quisquam careat proprijs,*

*Quæ res tractentur in concilijs generalibus.*

*Vigilij Papæ verba.*

*S. Leonis Papæ verba, in epist. 47.*

*vel aliter, vtatur alienis: cùm si, vt cupimus, errorem omnes relinquant, nemini quidem perire honor debeat; sed illis, qui pro fide laborauerant, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari.* Pergit deinde Vigilius ex eodem Leone ostendere, non solùm ea, quæ ad fidem spectant, ab eo cognita esse & confirmata, sed etiam alia, & maximè, quæ ad restitutionem spectant Episcoporum, vt Ibæ, & aliorum.

*Vigilij verba.* *Et ne quis dubitet,* inquit, *vtrum ea, quæ de restitutione Episcoporum gesta sunt in Chalcedonensi Synodo ad beatissimi Leonis fuerint perducta notitiam, & ab eodem confirmata; ipsam potiùs Synodi relationem ad beatissimum Leonem prædecessorem nostrum directam congrua legere sollicitudine non omittat: cuius, post alia, in fine hæc verba sunt:* *Chalcedonensis Concilij verba.* *Omnem vobis gestorum vim insinuare curauimus ad consistentiam nostram, & eorum, quæ à nobis acta sunt, confirmationem & dispositionem. Post quorum notitiam* *Vigilij verba.* *idem beatissimus Papa Leo ad piæ memoriæ Pulcheriam Augustam gratias referens de restitutis Episcopis ita scribit:* *Leonis Papæ verba.* *Clementia igitur vestra cognoscat, omnem Romanam Ecclesiam de vniuersis fidei vestræ operibus plurimum gratulari, siue quòd Legationem nostram pio per omnia iuuistis affectu, & quòd Sacerdotes Catholicos, qui ab Ecclesijs suis iniusta fuerant eiecti sententia, reduxistis.* *Vigilij Papæ verba.* Ecce & in eo, quòd omnia gesta beatissimo Papæ Leoni directa sunt; rerum gestarum ad eum perducta notitia est; & in recurrentium actione gratiarum, rerum gestarum confirmatio declaratur.

Hæc ibi, & multo plura in eam sententiam Vigilius, quæ videre est apud Baronium, tom. 7. Anno CHRISTI 553. Vigilij 14. longè post medium. Quibus addi potest pro testimonio eiusdem rei locupletissimo, integra epistola ipsius S. Leonis ad beatũ Theodoretum, quâ illi congratulatur de nauata aduersus Nestorium & Eutychetem insigni opera, & de honore ipsi restituto in Chalcedonensi Concilio. Quod se intellexisse à reuersis Romam Legatis scribit, quos locó suo ad idem Concilium miserat. *Leonis Papæ verba pro B. Theodoreto.* Eam epistolam quæ numero est sexagesima septima sic orditur: *Remeantibus ad nos fratribus & consacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium Sedes Beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam, superno adiutorio, nobiscum tam Nestorianæ impietatis, quàm Eutychianæ vesaniæ victricem. Vnde gloriamur in Domino, &c.* Et infrà ibidem: *Exsulta igitur, carissime frater, & in vnico Dei Filio victor exsulta. Vicit per nos ille, cuius carnis veritas negabatur: vicit per nos, & pro nobis ille, cui vicimus, &c.* Et post pauca: *Igitur, dum sanctæ memoriæ Flauiano vitam præsentis sæculi moliretur auferre, se æternæ vitæ luce priuauit; dum vos ab Ecclesijs vestris conaretur expellere, se à Christianorum collegio segregauit, &c.* *S. Flauianus iunior Episc. inscriptus est martyrologio 18. Februarij.* Denique in extrema eadẽ epistola dicit, Theodoretum demonstratũ esse mundum ab omni macula hæreseos, per iudicia Sedis Apostolicæ; nec permisisse Deum, vt quicquam circa personam eius, & aliorum, qui pro fide Catholica laborassent, reprobum seu ignominiosum admitteretur.

tur. Quod tamen facere conatus est post vtriusque mortem, Leonis scilicet, & Theodoreti, instigatus à Diabolo Iustinianus, tantùm vt gloriam obtineret, se in Tribus punctis seu Capitulis emendasse Chalcedonense Concilium. Nam cùm cetera omnia Vigilius indulgenter ei concessisset, propterea tantùm, quòd addiderit: *Saluâ Synodi Chalcedonensis reuerentiâ*, contentus concessis non fuit, & omnia perdidit. Siquidem malignam eius aduertens intentionem Vigilius, & insatiabilem insuper gloriæ cupidinem, etiam ea, quæ concesserat, reuocauit, vti suprà quoque ostendimus. Verba porrò S. Leonis Papæ in dicta ad B. Theodoretum epistola sunt hæc: *Sed benedictus Deus noster, cuius inuincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundum Sedis Apostolicæ iudicia, demonstrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probauimus, ac probamus, pro vniuersalis Ecclesiæ defensione seruaueris. Nam quòd Deus omnium calumniosorum fallacias soluit, maximam beatissimi Petri curam pro nobis cunctis agnoscimus, qui postquam suæ Sedis iudicium in fidei definitione seruauit, nec circa cuiusquam vestrûm personam quicquam reprobum videre permisit; quia nec poterat, Spiritu sancto iudicante, quisquam ex eis non victor exire, quorum iam vicerat fides.* *Leonis Papæ verba, ad Theodoretũ.*

Hactenus S. Leonis verba centum annis scripta pro Theodoreto viuente, priùs quàm Iustinianus contra eundem Theodoretum tanto antè mortuum cogeret suum Conciliabulum.

Huc cùm peruenissem, incessit me cupido perquirendi, num Iacobus Sirmondus, omnis Ecclesiasticæ antiquitatis explorator accuratissimus, nihil de hac præsenti controuersia in suis Galliæ antiquis Concilijs attigisset; & ecce vnam epistolam reperi, nunc primùm ab eo de tenebris erutam, quæ non modò confirmandis, quę suprà protulimus, peropportuna sit, sed nonnullis etiam, quę, adhuc latuerunt, specialiùs declarandis sanè quàm accommoda. Eam inseruit idem noster Sirmondus tomo 1. suorum Conciliorum, Anno Christi 552. Childeberti Regis Francorum 41. cum hac inscriptione, & argumento. §. 21. *Epist. Clericorum Italiæ, controuersiã inter Vigilium & Iustinianum fusè cõtinēs.*

*Epistola Legatis Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, ab Italiæ Clericis directa. Qua suggerunt, vt Vigilio Papæ, & Datio Episcopo Mediolanensi, qui in eadem Vrbe ob Trium Capitulorum controuersiam, ab Imp. Iustiniano vexabantur, solatio atque auxilio esse studeant.*

Non referam ego omnem epistolam, quæ videri poterit apud ipsum Sirmondum loco dicto, sed tantùm partes quasdam proposito nostro magis proprias. De aduentu igitur Vigilij Papæ Constantinopolim ex mandato Iustiniani, sic scribunt sub initium:

Veniens enim ibi antè sex annos istos beatissimus Papa Vigilius, magis autem (vt, quod verius est, dicatur) propè violenter deductus, cœperunt ibi ipsum exspectare, vt damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam sancta Synodus Chalcedonensis, quæ fidem Catholicam, in-

sistente

sistente tunc beatissimo Papa Leone, contra diuersas hæreses vindicauit, modis omnibus solueretur. Sed cùm Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere consensum, iam tunc talis violentia facta est, vt publicè in conuentu clamarit: *Contestor, quia etsi me captiuum tenetis, beatum Petrum Apostolum captiuum facere non potestis.* Postea tamen tractatu habito, prædictus sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam caussam ordinauit, sollicitè monens, ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur iniuriam. Et quamuis nec hoc, quod Papa fecerat, acquieuerunt Afri, & Illyriciani, atque Dalmatæ sacerdotes, recipere; tamen cœpit iterum sæpe dictus beatissimus Papa Vigilius ad hoc compelli, vt absolutè Capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnaret. Sed Papa non acquiescens hoc facere, & videns se nimiùm ingrauari, dixit tunc Serenissimo Principi: *Veniant huc fratres nostri ex omnibus prouinciis, quini aut seni Episcopi; & quicquid sub tranquillitate, tractatu habito, omnibus visum fuerit, cum pace disponemus. Quia sine consensu omnium ista, quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam.* Missi sunt ergo à clementissimo Principe ad Africam, & Illyricum, vt venire Episcopi debuissent. Sed de Illyrico nullus venire voluit: de Africa verò, cùm aliqui proximare ciuitati Regiæ dicerentur, dixit Papa Vigilius Principi, vt, si ei non sufficeret illud, quod antè decreuerat, redderet, & tanquam de nouo caussa cum his, qui venire nuntiati sunt, tractaretur. Præstitit igitur Deus, vt hac ratione sanctus Papa Vigilius Iudicatum quod in ipsa caussa fecerat, publicè in conuentu reciperet, denuntians, quia si quis Græcorum Episcoporum vsque ad vniuersalis Concilij tractatum, de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquieuisset, à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret: quoniam frequenter ipsi Episcopi Græci ad voluntatem Principis damnauerant Capitula ipsa, vnde caussa mota est, sed beatissimus Papa manus eorum à serenissimo Imperatore receperat, &c.

*Vigilij Papæ contestatio aduersus Iustinianum.*

*Praparatio ad generale cōcilium.*

*Comminatio Vigilij Papæ aduer sus Episcopos Iustiniano cōtra Ecclesiam assentiētes.*

Et infrà: Cùm Afri Episcopi, de quibus suprà dictum est, ad ciuitatē Regiam peruenissent, cœperunt ab eis nunc blandimentis, nunc terroribus extorquere, vt præberent in Capitulorum damnatione consensum: sed cùm nullatenus eis extorquere potuissent, concinnata est caussa sancto Reparato Carthaginiensi Episcopo, quasi Areobindam, Magistrum militum à Guntarit tyranno in Africa fecisset occidi; & sub hoc colore in exsilio deportatus est, &c.

*Et post pauca*: Constantinopoli verò cœperunt iterum beatissimum Papam Vigilium compellere, vt si Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ Episcopi nollent, ipse cum Græcis Episcopis eadem Capitula condemnaret. Sed beatissimo Papa Vigilio nullatenus acquiescente, edicta ex nomine Imperiali, tam in Ecclesia Constantinopolitana, quàm in diuersis locis suspendi fecerunt, per quæ eadem Capitula damnarentur. Quo facto,

facto, beatissimus Papa omnes Episcopos admonuit, dicens: Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum. Sed & sanctus Datius, Mediolanensis Episcopus, contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit, dicens: Ecce, ego & pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, id est, Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, contestor, quia quicunque in edicta ista consenserit, suprà sctiptarum prouinciarum Pontifices communicatores habere non poterit. Quia constat apud me, edicta illa sanctam Synodum Chalcedonensem, & fidem Catholicam perturbare. De qua te accensa est contra beatissimum Papam, & contra Datium Episcopum iracundia principalis; & tanta contra eos agere cœperunt, vt nisi ad Sanctorum Basilicas confugissent, ad interitum vitæ peruenerant. Et tamen beatissimus Papa Vigilius, nec in Basilica S. Petri sedes tutas habere metuit, in tantum, vt illuc Prætor, ad quem fures, & homicidæ tantummodò pertinent, mitteretur. Qui cum multitudine militum spathas nudatas, & arcus tensos portantes suprà dictam Basilicam introiuit. Quo viso sanctus Papa columnas Altaris amplexus est: sed ille ferocitate & animo concitatus primò de Altari Diaconos eius & Clericos à capillis tentos eiecit; postea verò ipsum sanctum Papam alij à pedibus, alij à capillis & barba tentum crudeliter abstrahebant. Sed cùm ille Altaris columnas non dimitteret, cecidit Altare, & columnæ aliquæ fractæ sunt, & quantum ad ipsos, ibi super ipsum Altare in partibus mitti habuit. Sed Deus, qui in talibus angustijs semper adesse dignatur, tam aliquorum ex ipsis militibus, quàm populi, qui ad tumultum venerat, animos ad misericordiam prouocauit, & cœperunt voces ac stridores mittere; & sic contigit, vt iudex iniquitatis, suprà dictus Prætor, cum ministris crudelitatis suæ territus fugiendo discederet, &c.

*S. Datij Episcopi Mediolanensis contestatio contra conciliabulum.*

*Violentia militum Iustiniani in Vigilium Papam & eius Diaconos.*

Hæc ibi; quæ sufficiunt ad intelligendum, qua iniquitate & violentia vsus sit Iustinianus ad peruincendum, quod vel attentare impium ac nefarium fuit. Ipse autem Papa Vigilius hæc passus, quæ diximus, etiam exsilium, & exsilij ærumnas perpeti maluit, quàm iniustum quidquam admittere. Iniustum autem esse aliquid è constitutis à Concilio Chalcedonensi demutare ac detrahere, & tribus Episcopis ab eo receptis, atque in Ecclesiæ communione mortuis ignominiam centum pòst annis, eóque amplius inurere, satis fusè in suo Constituto comprobauit Papa Vigilius, & exsilio suo obsignauit.

*Concilium Chalcedonēse in cunctis inuiolabile seruandū est.*

Neque verò, si tota hæc caussa ad iudicium, ac reuisionem, quam vocant, hodie reuocaretur; neque aliter, inquam, perpenso diligenter Vigilij Cōstituto, quàm secundùm Papam Vigilium iudicari posset. Nam supposito, summum Pontificem esse supra Concilium ( quod communiùs tenetur & multis probat noster Bellarminus, tomo 2. Controuersiarum lib. 2. cap. 17.) & Concilium, quod appellatur Quintum, à Vigilio Pontifice pror-

ſus contraria docente, fuerit reprobatum, & eiuſdem Concilij Acta omnia ſcripto Pontificio refutata, quis ambigere queat, quin ipſa nulla ſint, & omne Concilium nihili? præſertim cùm & ipſe Gregorius Papa lib. 4. epiſt. 34. in ea ſit ſententia, quòd nullius Acta Synodi, cõtradicente Pontifice, ſint valida. Citat eiuſdem Gregorij verba Bellarminus dicto loco in fine, & ſunt hæc: *Cuncta*, inquit, *Acta illius Synodi, Sede contradicente Apoſtolicâ, ſoluta ſunt.* Quo magis confirmor, eundem Gregorium illius *Conſtituti*, quod fecit & ſubſignauit Papa Vigilius, non fuiſſe conſcium. Alioqui, vt prædeceſſorum ſuorum fuit reuerentiſſimus, minimè approbaſſet, quod ille reprobauit: neque poſt quatuor generalia Concilia legitimè facta, & iuſtiſſimè approbata, immo & quatuor Euangelijs comparata, dixiſſet de quinto Concilio Eccleſiæ pernicioſiſſimo (vti antè probatum eſt) & à ſanctâ Sede Apoſtolica reprobato: *Quintum quoque Concilium pariter veneror*, &c. Quomodo enim Iuſtiniani Conciliabulum, inſtigante Diabolo, concitatum & confectum, poteſt vlla veneratione eſſe dignum? nedum tali veneratione, quali priora quatuor Concilia. Non vidit proinde, non vidit Gregorius *Vigilij Conſtitutum*; neque illi quoque Pontifices videntur, qui Gregorium in hac de Tribus Capitulis opinione ſecuti ſunt. In quo *Conſtituto* inter ſua generalia Concilia recitando, haud leuiter deliquit Seuerinus Binius, non volens quidem (quippe vir ſpectatæ virtutis & probitatis) ſed amanuenſi fortaſſe plus nimio confiſus, homo alioqui in concilijs recolligendis haud indiligens.

*Gregorij Papæ verba lib. 4. epiſt. 34.*

*Vigilij conſtitutum à Binio in conciliorum tomu mancum.*

Tametſi enim ad id, quod agebat, maximè attineret, totum *Vigilij Papæ Conſtitutum* integrè fideliterque recitare; tamen eius partem præcipuam, ſiue vltimam, vnà cum ipſius Vigilij, & aliorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus, neſcio quâ in tranſcribendo oſcitantiâ prætermiſit. Nam Baronius (vnde ille exſcripſit) ſex præterea magnas paginas habebat eiuſdem *Conſtituti*, eáſque pernеceſſarias, quas idem omiſit Binius, forſitan aliàs, ſi ſuperſtes fuerit, aut alius quiſpiam eius nomine, pro Conſtituti ſupplemento redditurus.

§. 22. Ego autem neceſſarium duco, aliquam ex eis particulam hîc apponere, vt intelligatur, Vigilium Papam ita hanc omnem controuerſiam definiuiſſe, vt ſimul quoque vetuerit, nullam in poſterum moueri de illa quæſtionem. Poſtquam ergo primas quatuor Synodos, cum anathematis in tranſgreſſores interminatione, quin & iaculatione firmauit, tum denique ita ſubiecit: *His igitur à nobis cum omni vndique cautela atque diligentia, propter ſeruandam inuiolabilem reuerentiam prædictarum Synodorum, & earundem venerabilia conſtituta diſpoſitis, memores ſcriptum eſſe, terminos Patrum noſtrorum nos tranſcendere non debere, ſtatuimus, & decernimus, nulli ad Ordines & Dignitates Eccleſiaſticas pertinenti, licere quicquam contarium his, quæ præſenti aſſeruimus vel ſtatuimus* Conſtituto, *de ſæpe dictis Tribus Capitulis, aut conſcribere vel proferre, aut componere vel docere,*

*Vigilij Papæ verba pro 4 conciliorum generaliũ firmitate, & quinti inhibitione.*

*cere, aut aliquam post præsentem definitionem, mouere vlteriùs quæstionem. Si quid verò de iisdem Tribus Capitulis contra hæc, quæ hic asserimus, vel statuimus, nomine cuiuscunque ad Ordines & Dignitates Ecclesiasticas pertinentis factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, & à quolibet vbicunque repertum, hoc modis omnibus, & auctoritate Sedis Apostolicæ (cui per gratiam Dei præsidemus) refutamus.* Hæc ibi. Quâ postremâ sententiæ Pontificiæ clausulâ clarum fit ac manifestum, nullius omnino esse valoris illud, quod Quintum vocant Concilium; neque maioris itidem, quæ postea pro illo scripta sunt. Proximè autem post verba hîc posita subiectæ sunt subscriptiones, primò ipsius Vigilij Papæ, hoc modo:



*Iuuante Deo, & per ipsius gratiam, Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ, huic Constituto nostro subscripsi.*

*Episcoporum & Diaconorum, pro constituto Vigilij, subscriptiones.*

Deinde subscriptiones Episcoporum paullo inferiùs, sic:

*Ioannes Episcopus Ecclesiæ Marsorum huic Constituto consentiens subscripsi.*

*Zacchæus Episcopus Ecclesiæ Scyllacenæ huic Constituto consentiens subscripsi.*

*Pastor, misericordia Dei, Episcopus Ecclesiæ Iconiensis Metropolis, huic Constituto consentiens subscripsi.*

*Vincentius Episcopus Claudiopolitanus Metropoleos huic Constituto consentiens subscripsi.*

*Zacchæus Episcopus, rogatus à fratre Valentino Episcopo Siluæcandidæ; ipso præsente, & consentiente, & mihi dictante, huic Constituto pro ipso subscripsi.*

*Iulianus humilis Episcopus Ecclesiæ Cingulanæ huic Constituto consentiens subscripsi.*

*Paullus humilis, gratia Dei, Episcopus Ecclesiæ Vlpianensis, huic Constituto, quod beatissimus Papa Vigilius in caussa trium Capitulorum protulit, ad omnia suprà scripta consentiens, subscripsi.*

Reliquorum Episcoporum, & quorundam aliorum subscriptiones videri possunt apud Baronium tomo 7. anno Christi 553. pag. 432. editionis Plantinianæ. Post omnes autem subscriptiones, notatur tempus, & locus dati eiusdem *Constituti*, his verbis:

*Datum pridie Idus Maij, imperante Domino nostro Iustiniano, perpetuo Augusto, Anno XXVII. post Consulatum Basilij V. C. anno XII. in Constantinopolitana ciuitate.* Ita finitur Vigilij Papæ Constitutum.

Numerus porrò omnium Episcoporum, qui post Papam subscripserunt, fuit XVI. Quibus tres alij accesserunt, Theophanius sanctæ Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, & duo Diaconi, quorum prior fuit Pelagius, qui post Vigilium creatus est Pontifex, & appellatus est postea Pelagius primus. Alter Diaconus eiusdem sanctæ Ecclesiæ Romanæ appellabatur

 Petrus.

*Quiră ui fleterint pro Vigilio contra Iustinianum?*

Petrus. Hi autem omnes, qui subscripserunt, & qui in vrbe Constantinopoli Papæ adhæserunt, pauci quidem numero fuerunt, sed tamen omnibus, qui à Iustiniano stabant, & summo Capite carebant, fortiores, adeó que ad abrogandum, quod sine ipsis fiebat, Concilium perquàm idonei. Accedit, quòd omnis Africa, Gallia, Illyricum, & vniuersus propè Occidens à parte steterit Vigilij Papæ, animo voluntario, cùm Iustinianus solos ferè habuerit vel adductos præmijs, vel coactos minis.

Tam multa hactenus de Quinto isto Concilio (si sic vocandum est) disserui;

Primò quidem, quòd multos viderem ita vulgo illud citare, quasi vnum aliquod esset pari cum primis quatuor Concilijs generalibus auctoritate, & quasi aliquid Ecclesię Catholicę cōmodi atque vtilitatis attulisset; cùm eam sic distraxerit, vt tantùm non prostrauerit. Nam ipsum Ecclesiæ supremum caput Vigilium Papam aliquot annorum exsilio & ærumnis sic attriuit, vt Romam exinde non viderit, sed in Sicilia, dum à Iustiniano ad grarificandum Narseti, Italiæ restitutori, in Vrbem remittitur, morti succubuerit.

Secundò, vt ostenderem eos, qui idem Concilium, tanquam inuictum argumentum Origeni opponunt, & eum in illo condemnatum à Vigilio Papa contendunt, à veritate toto cælo aberrare: quandoquidem Vigilius expressè docuerit, neminem, qui in Ecclesiæ pace dormierit, posse à quoquam post mortem condemnari.

Tertiò, quòd existimarim, me boni Ecclesiæ filij officio fungi, si meos totiúsque Ecclesiæ summos Patres atque Pontifices, & vnà cum illis celeberrimum inter alia Chalcedonense Concilium, ab omni maculæ nota defenderem: ita vt non solùm in decretis Fidei, sed etiam in iudicio de personis, nihil ab eo admissum sit, quod vel reuocari in iudicium debuerit, vel meritò culpari potuerit. Quod cùm ipsius S. Leonis magni auctoritate confirmasset idem Vigilius, tum ita subiecit: *Non dubitamus igitur omnium fidelium sensibus patefactum, quæ Vicarijs B. Leonis Papæ, loco eius, Synodo præsentibus, ab eodem fuerit dispensandarum rerum forma mandata; vel quales ad expungendum perceperint actiones, vel quæ ab illo generali Concilio, præsidente ac consentiente per Vicarios suos Sedis Apostolicæ Præsule, fuerint constituta: quæ neque minui, neque augeri, neque perfringi, neque posse fas est ab aliquo retractari.* Hæc ibi. Quæ certè non solùm de fidei decretis, sed etiam de alijs constitutis sunt intelligenda, vt antè declaratum est.

*Quæ forma rerum in cōcilio gerendarum data fit legatis à Leone Papa?*

Verùm non desunt & alij modi, Origenis validè & efficaciter defendendi, quos nunc ponam in medio.

§. 23.

## SECVNDVS ORIGENIS DEFENDENDI MODVS.

*In V. concilio nusquā Origenis caussa examinata est.*

In illo Concilio Quinto (de quo multa iam diximus, & quo tanquam Achille impugnatores Origenis abutuntur) nusquam agitata est caussa Origenis, nusquam vlli eius errores reprehensi, nullus in eum iactus anathema-

thematiſmus, nullæ aduerſus illum notatæ ſubſcriptiones Epiſcoporum; quæ omnia in Concilijs generalibus ſolent obſeruari. Immo nec tenuè eius nomen in toto Concilio reperitur, niſi quòd facillimè ex adiunctis deprehendatur intruſum.

Intruſum haud dubiè eſt nomen Origenis in anathematiſmũ vndecimũ, Collatione octaua, vbi nunc ſic legitur: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychen, Origenem, cum impijs eorum conſcriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati ſunt à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à prædictis ſanctis quatuor Concilijs, & eos, qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt, vel ſapiunt, & vſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt.* Quem anathematiſmum ſi quis doctus ac prudens attentè perlegerit, aduertet ſanè, imprudentem quempiam, aut impudentem poſt *Eutychen* pro *Dioſcoro* intruſiſſe *Origenem*? Ecquis enim non intelligit, eos ſolos hîc nominatos, qui à quatuor generalibus Concilijs, tanquam principes hæreſeon, anathematizati ſunt? Quinam autem illi, niſi Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinaris, Neſtorius, Eutyches, & Dioſcorus? Nam hi duo poſtremi, vt vnius & eiuſdẽ hæreſeos ſimul auctores & propugnatores, ſimul quoque paſſim recenſentur: nuſquam verò prorſus Eutycheti Origenes ſubiungitur. Et, ſi nominatim, vt dicunt, in hoc V. Concilio de Origene, ſicut de Theodoro, actùm eſſet, non generali tantùm anathematiſmo, & nomine tenus, ſed proprio ac ſpeciali denotatus eſſet, vti Theodorus, & Theodoretus, & Ibas. De quibus fusè actum eſt in ſuperioribus Collationibus, nihil autem de Origene. Valde enim falluntur, qui etiam de illo factas fuiſſe aliquas collationes arbitrãtur, ſed illas à fautoribus Origenis eſſe ſublatas. Id enim verum non eſſe ſatis liquidò cognoſci poteſt, tum è ſingulis Collationibus præcedentibus, in quibus nullum tale paret veſtigium, tum præcipuè ex vltima, in qua breui recapitulatione recolligitur ac repræſentatur, quid toto in Concilio actum ſit; nempe, quòd Patres congregati primò ſuam fidei confeſſionem expoſuerint, eandem ſcilicet tenere ſe fidem, quam Chriſtus, verus Deus, tradidit Apoſtolis, & per eos ſanctis Eccleſijs; & qui poſt illos fuerunt ſancti Patres Nicææ congregati; deinde centum & quinquaginta Conſtantinopoli; poſtea ducenti in vrbe Epheſo, ac denique ſexcenti triginta Chalcedone. *Eos autem* [verba ſunt Concilij] *qui pro tempore condemnati, vel anathematizati à Catholica Eccleſia, & prædictis quatuor Concilijs ſunt, confeſſi ſumus condemnatos & anathematizatos habere. Cúmque hæc ita confeſſi ſumus, initium fecimus examinationis Trium Capitulorum; & propoſuimus priùs de Theodoro Mopſueſteno.* &c. Ex quibus manifeſtum fit, nihil in toto Concilio de Origene actum eſſe, ſed ſtatim à principio poſt fidei confeſſionem, & ſuſceptionem quatuor primorum Conciliorum generalium, & condemnationem eorum

*Anathematiſmus 11. in Cõcilio 5. falſatus.*

*Quinã hæreſiarchæ in 4. primis generalibus Cõcilijs nominatim condemnati ſint.*

*Eorum quæ in Cõcilio 5. tractata sũt Recapitulatio.*

rum, qui in illis condemnati sunt (ex quibus certum est, non fuisse Origenem) aggressi sunt agere de Tribus Capitulis, siue de tribus personis paullò antè nominatis, & de nulla re alia. E quibus personis vnica condemnata est nominatim, nempe Theodorus Mopsuestenus; Theodoretus autem, & Ibas, absoluti; sed tantùm quædam eorum scripta condemnata, de quibus suprà tractatum est.

*S. Gregorij Papæ testimonium de actis in V. concilio.*

Sed ecce S. Gregorij magni Papæ luculentum testimonium tradentis in Concilio V. actum tantummodò de aliquibus personis, quarum vna duntaxat damnata sit. Eius verba in libro 2. Registri, Indictione 10. epist. 36. vniuersis Episcopis per Hiberniam scriptâ, sunt hæc: *Nam in Synodo, in qua de Tribus Capitulis actum est, apertè liquet, nihil de fide conuulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed, sicut scitis, de quibusdam illic solummodò personis est actitatum; quarum vna, cuius scripta euidenter à rectitudine Catholicæ fidei deuiabant, non iniustè damnata est.* Sic ibi. Ista autem vna persona est Theodorus Mopsuestenus. Non igitur Origenes in illa Synodo damnatus est; alioqui non vnus tantùm, sed duo damnati fuissent; quandoquidem constet de Theodoro, cuius errores plurimi in ea Synodo prolati & refutati fuere; nullus autem Origenis, sed tantùm ab homine quopiam, vt suprà indicaui, saltem imprudenti, nomen eius anathematismo vndecimo improbè adiectum est. Nisi enim imprudens fuisset, qui adiecit, sed vel micam prudentiæ habuisset, primo illud loco posuisset non vltimo.

*Origenis nomen anathematismo XI. malitiosè intrusum est.*

Nihil enim prorsus Origeni cum Eutychete, cui Eutycheti in recensione Hæreticorum perpetuò ferè Dioscorus coniungitur; quippe eiusdem hæreseos patronus, & in eadem Synodo generali condemnatus, nimirum in Chalcedonensi. De cuius concilij Actis synodalibus loquens S. Leo magnus Papa, in epistola 61. sic inter alia: *Vnde si quis vnquam ausus fuerit vel Nestorij perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, à Catholicorum communione resecetur; nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem.* Et rursus epist. 66. Eudochiæ Augustæ: *Fides enim Catholica, sicut damnat Nestorium, qui in vno Domino nostro IESV Christo duas ausus est prædicare personas, ita etiam damnat Eutychem cum Dioscoro, quòd ab vnigenito Dei Verbo neget in vtero Virginis matris veritatem carnis humanæ susceptam.* Et iterum epist 83. vniuersis Episcopis per Palæstinam constitutis, ita sub finem: *Et cùm multis manifestationibus declaratum sit, quàm rectè & Nestorium, & Eutychem cum Dioscoro fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius, vel horum impietati præbet assensum; doleo vos, &c.* Gregorius quoque magnus Papa lib. 1. Registri, epist. 24. de primis Quatuor Concilijs agens, & Eutychem Dioscorumque coniungens, ita scribit: *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere ac venerari me fateor: Nicænum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuin-*

*Eutyches & Dioscorus simul condemnati, & à Patribus denotati.*

*conuincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur; Chalcedonense verò, in quo Eutychis Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, &c.*

Ita ferè illos coniungunt & alij Auctores quàm plurimi; & ipse Bellarminus in sua Chronologia, his verbis: *Quarta Synodus generalis habetur Chalcedone, Anno 451. contra Eutychetem & Dioscorum.* Nusquam autem omnino reperitur Eutycheti coniunctus Origenes, nisi in dicto iam anathematismo vna voce adiectitia corrupto & falsato. Qui tamen anathematismus cùm alibi Græcè reperiatur, tam in Chronico Alexandrino, Olympiade CCCXXXIII. Indictione XV. Iustiniani autem XXV. quàm tomo 2. Conciliorum, parte 2. in Confessione rectæ fidei Iustiniani Imp. aduersus Tria Capitula, neutro in loco post nomen Eutychetis reperitur nomen Origenis. Sic enim in dicto Chronico habetur Græcè: Εἴ τις μὴ ἀναθεματίζει Ἄρειον, Εὐνόμιον, Μακεδόνιον, Ἀπολινάριον, Νεστόριον, Εὐτυχέα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτοις φρονοῦντας ἢ φρονήσαντας, ἀνάθεμα ἔστω. Latinè autem ex versione Matthæi Raderi sic: *Si quis Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, & quicunque cum his eadem sentiunt aut senserunt, anathema esto.* In tomo item Conciliorum Græco-latinorum loco iam citato Græca prorsus eadem sunt. Latina autem versio verbis quidem alijs, sed eodem sensu: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, & eos, qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, talis anathema sit.* Vbi nulla mentio Origenis, sed eorum duntaxat, qui in quatuor præcedentibus Concilijs generalibus fuerant condemnati: quemadmodum de illis solis tunc fuisse sermonem apertè significatur in Iustiniani Imp. ad dictam V. Synodum epistola, de Theodoro Mopsuesteno, & reliquis, sub finem, vbi sic habetur: *Nos autem præter reliquos omnes hæreticos, à dictis quatuor sanctis Concilijs damnatos, atque Ecclesia exclusos, damnamus etiam atque proscribimus Theodorum, qui fuit Mopsuestiæ Episcopus, eiúsque impios libros: necnon ea, quæ Theodoretus malè scripsit contra veram fidem, & duodecim sancti Cyrilli Capita, ac primam sanctam Ephesinam Synodum, & pro defensione Theodori, ac Nestorij. Præterea damnamus etiam impiam Epistolam, quam Ibas fertur scripsisse ad Marim Persam, &c.* Sic ibi. Atqui Origenes in nullo istorum generalium Conciliorum damnatus est, vt omnibus in confesso est; & si in quinto damnatus esset, certè primo loco positus fuisset, atque ita dictum: *Damnamus etiam atque proscribimus Origenem.* Et addita fuisset caussa damnationis, sicut addita est in tribus alijs diuisim anathematizatis. Sed vnde igitur tam multorum Scriptorum, & Græcorum, & Latinorum error, quorum nonnulli tenuerunt, non modò condemnatum esse Origenem in quinto generali Concilio, sed ipsum quoque Concilium propter eius condemnationem fuisse conuocatum?

*In anathematismis nuspiam reperitur Origenes imminens Eutycheti.*

*Anathematismi Græci Latina versio in tomis conciliorum*

*APERTIO ERRORIS EORVM, QVI putarunt Quintum generale Concilium, siue Constantinopolitanum 2. fuisse propter Origenem conuocatum, eúmque in illo condemnatum.*

OCCASIO erroris fuit, quòd post Chalcedonense Concilium (quod vltimum fuit è quatuor primis generalibus) habita sint Constantinopoli duo Concilia; vnum particulare contra Acephalos impugnantes Chalcedonense Concilium, hoc est, contra Petrum, Anthimum, Seuerum, & socios: alterum generale aduersus Tria Capitula eiusdem Chalcedonensis Concilij: & medio inter illa duo Concilia tempore, Iustinianus Imp. auditis quorundam rudium Monachorum contra Origenistas querimonijs, edictum de damnando Origene (vt post fusiùs declarabitur) scripserit. Vnde multi omnia ista in vno eodémque Concilio V. generali facta esse existimarunt, ac litteris prodiderunt: & ij maximè, qui compendiosè res Iustiniani Imp. pertractarunt. Nam omnia hæc tria, illo imperante, peracta sunt, sed distinctis, vt dixi, temporibus.

Primò contra Acephalos vno Concilio particulari, quod actiones quatuor complexum est, &. in quo Petrus, Anthimus, Seuerus, & Zoaras condemnati sunt.

*Edictum Iustiniani contra Origenē.* Secundò contra Origenem, in nullo Concilio, neque particulari, neque generali, sed tantùm corrogatis seorsum, per falsam Iustiniani Imp. informationem, subscriptionibus Episcoporum, partim Constantinopoli tunc præsentium, partim absentium.

Tertiò pro condemnatione Trium Capitulorū in Concilio V. generali, *Eiusdē conciliabulū de Tribus Capitulis.* sic vulgò (quamuis merum fuerit conciliabulum) appellato.

De primo probatur, quia hodiéque exstant eius particularis Concilij Acta, ipsum sub Agapeto Pont. Rom. & Menna Patriarcha Constantinopolitano factum esse protestantia: in quibus Actis ne verbum quidem est, neque de Origene, neque de Tribus Capitulis. Quippe de quibus nulla dum erat mentio, vt videre est in tomis Conciliorum, & eorum Actis, quibus nihil est certius. In quo etiam Baronius, & Bellarminus consentiunt.

De secundo iam probatum est, quantum ad duo priora membra attinet: nempe quòd nec in particulari Concilio, nec in generali V. Constantinopolitano actum sit vllum verbum de Origene. Vnde sequitur, quòd in nullo. Nec enim est vllus Scriptor, qui plura Concilia Constantinopolitana assignet sub Iustiniano Imp. & Vigilio superstite, quàm illa duo; & prius quidem factum est ante Vigilij Pontificatum, posterius autem sub illo, sed ipso contradicente, & in quo Concilio, vt sæpe dixi, & probaui, nihil prorsus de Origene tractatum est.

Restat igitur tertium membrum probandum, quòd scilicet absque vllo

Concilio

Concilio, & vllis Actionibus, seu Collationibus communibus, quales in Synodis solemnibus fieri solent, sed tantùm corrogatis seorsum iussu Iustiniani Imp. aduersus Origenem Episcoporum sentētijs, & subscriptionibus, de illo actum sit. Hoc autem probabimus è Liberato Archidiacono, qui illis ipsis vixit, scripsitque temporibus, & ex ipsius quoque Iustiniani epistola encyclica, qua Vigilium Papam, & alios Patriarchas ad condemnationem Origenis concitauit. Scribit ergo Liberatus in suo de caussa Nestoriana breuiario, siue compendio, venisse quosdam Monachos ab Hierosolymis Constantinopolim, portantes Capitula quædam de Libris Origenis excerpta; & volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes cum illis Capitulis damnaretur: adiutorem verò habuisse Pelagium Diaconum, & primæ Sedis Romanæ Apocrisiarium, qui vnà cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano flagitauit à Principe, vt iuberet fieri, quod illi Monachi supplicabant. *Annuit Imperator facillimè* (verba sunt Liberati) *gaudens, se de talibus caussis iudicium ferre. Iubente eo, dictata est in Origenem, & illa Capitula anathematis damnatio.* Nimirum tali ingenio fuisse Iustinianum, tradidit Procopius Cæsariensis, Scriptorum illius æui facilè primus, & rerum ab eodem Imperatore gestarū (quibus & interfuit) scientissimus; facilem scilicet fuisse ad excipiendum accusationes, præcipitem ad iudicandum, proiectum ad noua pro veteribus cōstituenda, & aucupandam vndiquaque, tam è sacris, quàm è profanis rebus gloriam: vt non mirum sit, cum ad Origenem, qui maximo tum in pretio erat, deprimendum atque condemnandum, & ad emendandum itidem Chalcedonense Concilium, & ad nouam demum hæresim, quæ negaret Christum quicquam passum esse, aut pati potuisse, tanto studio incubuisse. Sic autem de illo in Historia arcana Procopius inter alia: *Statuta,* inquit, *seruare nequaquam illi animus; contrà rebus semper studere nouis; &, vno verbo, benè constitutis pestem importare funestissimam.* Et infrà: *Contentionum, rerúmque nouarum studiosissimus. Ad scelera perfacilè; ad optima nullis suasionibus commoueri poterat.* Et inferiùs: *Nam præterea delationes facilè admisit; & irrogauit pœnas. Nunquam cognita caussa iudicauit, sed audito delatore actutum sententiam tulit.* Et rursus aliquanto pòst: *Potitus Imperio Iustinianus extemplò omnia miscere: quæ priscis legibus prohibita essent, in rempublicam introducere: quæ consuetudine obtinuissent, hæc interdicere, quasi Imperatorium paludamentum induisset, vt aliam rebus faciem induceret. Nam statis magistratuum formis, legúmque ac militarium ordinum abrogatis, alias inuexit, non iure, non publico commodo adductus, sed vt omnia noua, & de suo nomine dicerentur; & si quid statim mutare non potuit, suam saltem illi imposuit appellationem.* Huc vsque Procopius. Igitur talis cùm esset Iustinianus, accusatores Origenis facilè admisit: Capitula contra eum allata prono assensu credidit: conscribi anathematis condemnationem, & ab ijs, qui Constantinopoli erant, subscribi confestim iussit. Hanc condemnationem sine

*Liberatus in Breuiario cap. 13. in fine.*

*Cuius ingenij & indolis fuerit Iustinianus.*

*Procopij Cæsariensis arcana historia.*

*Insana honoris & gloriæ ambitio.*

vlla mentione coacti aut cogendi Concilij, ad Vigilium Papam, ad Zoilum Alexandrinum, ad Euphræmium Antiochenum, ad Petrum Hierosolymitanum Patriarchas misit, vt eidem condemnationi subscriberent.

*Iustinianus Origenē condēnauit, antequam vlla fieret mētio cōcilij V. generalis.*

Aduerte hîc liquere ex eodem Liberato, condemnatum priùs fuisse à Iustiniano Origenē, quàm vlla fieret mentio Concilij generalis de Tribus Capitulis. Nam scribit Theodorum Cæsareç Cappadociæ Episcopum ex dolore damnationis Origenis concepisse voluntatem sui vlciscendi, efficiendo, vt etiam Theodorus Mopsuestenus post mortem condemnaretur, & ita corrigeretur Synodus Chalcedonensis, in qua eius aliquæ laudes continebantur. Et hoc facilè obtinuit idem Theodorus Cappadox ab Imperatore laudis & gloriæ cupidissimo. Quod ita narrat idem Liberatus eodem cap. 24 siue vltimo Breuiarij: *Scribente Principe*, inquit, *contra Acephalos in defensionem Synodi Chalcedonensis, accedens idem Theodorus Cappadox vnà cum suis satellitibus, qui sub nomine Catholico Acephalis studebant, cum Theodoræ Augustæ fauore, Imperatori suggessit, scribendi laborem non eum debere pati, quando compendio posset Acephalos omnes ad suam communionem adducere. Siquidem illi*, inquit, *hoc offenduntur in Synodo Chalcedonensi, quòd laudes susceperit Theodori Mopsuesteni Episcopi, Epistolamque Ibæ, quæ per omnia Nestoriana esse cognoscitur, Synodus ipsa iudicio suo pronuntiauerit orthodoxā. Qui Theodorus, si cum dictis suis & hac Epistola anathematizetur, tanquam retractata Synodus atque purgata suscipietur ab eis per omnia, & in omnibus, & his sine pietatis vestræ labore Ecclesiæ sublatis, gaudente vniuersali Ecclesia, Clementiæ vestræ laus erit sempiterna. Hæc audiens Imperator, & dolum dolosorum minimè prospiciens, suggestionem eorum libenter accepit, & hoc se facere promptissimè spopondit. Sed rursus illi callida fraude rogauerunt eum, vt dictares librum in damnationem Trium Capitulorum; quo libro eius edito, & toti mundo manifesto, dum emendare Princeps erubescit, irreuocabilis caussa fieret. Sciebant enim Principem solita pietate, scandalo emergente, sententiam suam posse corrigere, seséque ad periculum peruenire. Annuit eis Princeps, & hoc se lætus implere promisit. Et relinquens operis sui studiū, vnum in damnationem Trium Capitulorum scripsit librum, pro delictis nostris, nobis omnibus notissimum.*

*Origo & caussa cōtrouersiæ De tribus Capitulis.*

*Iustinianus Theodori Cappadocis suasu edidit librū in condemnationē Triū Capitulorum.*

Hæc ibi Liberatus. Qui licèt credatur nonnulla tam contra Vigilium quàm contra Origenem ex praua informatione secus quàm oportuisset conscripsisse; tamen hæc, quæ ex illo iam exscripsi, conformia sunt non solùm ingenio Iustiniani, ad ferenda edicta præcipitis, sed etiam ipsis Concilij V. Actis, & litteris de eodem Concilio vltrò citróque missis. E quibus litteris rectè sensit Baronius elici meliùs veritatem posse, quàm è quibuscunque alijs, seu historijs, seu historiarum compendijs. Et verò Euagrius, qui post Liberatum scripsit, & primus è Græcis hanc attigit controuersiam, & quem alij Scriptores Græci, cæcorum more, secuti

secuti sunt, cùm magis cordi haberet sanctorũ Monachorũ, & aliorum clarorum virorum facta & prodigia enarrare, quàm generalem Ecclesiæ statum certa atque ordinata serie digerere; in istis multus & copiosus fuit, in his autem perbreuis & confusus. Ita in non paucis errauit, & iuniores Historicos in errorem post se traxit, maximè Nicephorum Callistum, qui illorum ferè puerorum more, qui à Pædagogo locum aliquem, vel Ciceronis, vel Demosthenis alio sermone variare atque efferre iussi, perquisitis vndecunque verbis, eundem quidem sensum reddere student, sed nec illũ, nec eius, quem imitantur, elegantiam satis assequuntur: ita, inquam, illorum puerorum more sacram tractasse historiam post Eusebium, Theodoretum, Socratem, Sozomenum, Euagrium, videtur Nicephorus. Nam istos omnes Scriptores Græcos alijs verbis Græcis reddidit, & quibusdam suis additamentis interdum vitiauit, raro emendauit.

Euagrius igitur, vt ad propositum redeamus, res Iustiniani magis quàm Ecclesiæ, & monachorum potiùs quàm Episcoporum stilo persequens, postquam lib. 4 Hist. Eccles. Cap. 11 dixit Iustinianum vulgasse edictum contra impugnantes Concilium Chalcedonense, tum nulla prorsus facta mentione Concilij sub Agapeto Papa, & Menna Constantinopolitano Patriarcha, contra eos, siue contra Acephalos, de quibus suprà egimus, celebrati, ita subdit: *Factum quoque est quintum Concilium mandato Iustiniani, de quo Concilio, quæ fuerint congrua, dicam temporibus congruis.* Atqui maximè congruum erat, ista congrua hîc dicere, & non post interposita alijs de rebus viginti quatuor capita incongruè differre, & vnico deinde haud magno capite 37. totam de Origenistis quæstionem, & vniuersam de Tribus Capitulis controuersiam (quarum singulæ multa exigebant capita) concisè & confusè & falsò perstringere. Nam falsum est quod caussam Concilij quinti generalis attribuit querimonijs de Origene; quod facit initio capitis 37. Falsum item quod sub finem eiusdem Capitis significat actum esse de Origene, postquam absolutum fuisset de Tribus Capitulis, iudicium; & postquam subiecti anathemati fuissent Theodorus Mopsuestenus, & Theodoreti scripta aduersus Cyrillum, & Ibæ Edesseni epistola. Quem in hoc errore sequitur Nicephorus lib. 17. cap 27 & ex suo addit, omnia confecta duabus Sessionibus, cùm vera Acta Concilij quinti Collationes octo exhibeant. Deinde ea, quæ ante & extra Synodum facta sunt, dicit in ipsa Synodo facta esse; vt sunt hæc: recensio errorum, qui affinguntur Origeni: & iacti contra eum anathematismi; quos accepit ex epist. Iustiniani Imp. encyclica ante Concilium generale missa, à patre mendacij dictata, vt euidenter, & certò probant quæ sequuntur.

*Euagrius scholasticus, imperfectè & insincerè tractauit de Tribus capitulis, & de Origene.*

DE

## *DE EPISTOLA IVSTINIANI IMP. AD Patriarchas Ecclesiæ contra Origenem missa.*

ILLA epistola reperitur Græcè & Latinè in tomis Conciliorum Græco-Latinis post acta Concilij quinti generalis, & quidé, prout ibi reperitur, missa est ad Mennam, nouæ Romæ, seu Constantinopoleos Patriarcham; eius autem exemplum ad alios Patriarchas, vt in eadem extrema Epistola significatur his verbis: *Hæc porrò eadem scripsimus non solùm ad sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum & beatissimum Papam senioris Romæ & Patriarcham Vigilium, & ad ceteros omnes sanctissimos Episcopos, & Patriarchas, id est, Alexandriæ, Theopoleos, & Hierosolymorum.*

*Indicat hic Iustinianus, ad quos miserit epistolã suam circularem, confertam mẽdacijs.*

Illa autem Epistola, quòd prælonga sit, talem nunc habet titulum: *Tractatus pijssimi Imp. Iustiniani, missus ad Mennam sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum felicis Vrbis & Patriarcham, aduersus impium Origenem, & nefarias eius sententias.* Incipit Latinè sic: *Nobis semper studio fuit*, &c. Græcè autem: Ἡμῖν μὲν ἀεὶ σπουδὴ γέγονε, &c.

Mendacia porrò illius Epistolæ, sunt hæc:

*1m. mẽdaciũ.* Primum mendacium initio Epistolæ est hoc: *Origenes ea, quæ Pagani, Manichæi, Ariani, aliique hæretici sentiunt, tradere studuit.*

*1a. veritas.* Veritas autem est hæc: *Origenes contra Paganos, & hæreticos* (taceo de Manichæis, & Arianis, qui tempore Origenis necdum nati erant) *plura scripsit, & fortiora, quàm ante illum quisquam.* Testes sunt Libri octo etiamnum superstites, contra Celsum Paganum, seu Gentilem Philosophum, pro Domini IESV, & Ecclesiæ Catholicæ defensione conscripti. De hæreticis quoque ab eo refutatis, præsertim Valentino, Basilide, Marcione, testes sunt assiduæ in omnibus ferè scriptis contra illos pugnæ, & præclara de illis spolia. Testis etiam est, luculentissima S. Pamphili Martyris pro Origene Apologia.

*2m. mẽdaciũ.* Secundum mendacium ibidem proximè est hoc: *Qui ante omnia in ipsam sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere.*

*2a. veritas.* Origenes clarè confessus est plurimis in locis sanctam & consubstantialem Trinitatem; nec vllam semel blasphemiam aduersus illam dixit. Hoc autem fusè probatum est, & omnium oculis expositum in *Documentis* ex Origene suprà collectis, titulo *Trinitas Sanctissima.*

*3m. mẽdaciũ.* Tertium mendacium ibidem consequenter est, eum dixisse: *Patrem maiorem esse Filio.*

*3a. veritas.* Veritas autem est Origenem docuisse, Filium æqualem esse Patri. Idque ita esse, ostendimus in dictis *Documentis*, & in *Quæstionibus* hîc tractatis.

*4m. mẽdaciũ.* Quartum mendacium ibidem continenter adiectum est dixisse: *Filium maiorem Spiritu sancto.*

Veritas

Veritas est, Origenem docuisse, Spiritum Sanctum Patri & Filio esse æqualem; adeóque timuisse, ne propter attributam Spiritui sancto peculiariter Sanctificationem existimaretur Spiritum-sanctum prætulisse alijs duabus Personis; ideóque addidisse, nihil in Sanctissima Trinitate esse nec maius, nec minus. Vide lib. primo de Principijs, capite tertio. 4. veritas.

Quintum mēdacium est in illis verbis proximè sequentibus: *Porrò hoc ad suam impietatem addidit, vt diceret, nec posse Filium videre Patrem nec Spiritum-Sanctum videre Filium.* 5. Mendacium.

Veritas autem est, cū tenuisse contrarium, accipiendo visum pro cognitione intellectus. Quod probatum est suprà latis fusè. 5. Veritas.

Sextum mendacium est priori continens, nempe Origenem dixisse: *Ipsum Filium, & Spiritum Sanctum, creaturas esse.* 6. Mendaciū.

Veritas autem est, vtrumque tàm Filium, quàm Spiritum Sanctum semper Deum ab Origene appellatum, nunquam autem creaturam. Quod & multis antehac ostensum est, partim in *Documentis*, partim in *Quæstionibus*. 6. Veritas.

Habet eadem epistola complura alia mendacia de ijs, quæ Arianorum sunt propria; à quibus abfuisse Origenem longissimè vel ex magno Athanasio condisci poterat. Nam cùm illi se habere à suis partibus Origenem clamitarent, vi & veritate eum ipsis eripuit Athanasius. Quod antehac ostendimus non semel, sed sæpius.

Mendacium porrò mendaciorum est hoc, quod in eadem epistola sequitur his verbis: *Nam quamuis concedat quis Deo repugnantem Origenem è recta doctrina (quod & apud alios hæreticos inuenitur) aliquid expressisse in improbis suis scriptis, ea ipsius propria non est, sed sanctæ Dei Ecclesiæ: atque hoc ipsum ille malitiosè in simpliciorum fraudem molitus est.* Mendaciū mēdaciorum.

Ecce, vt auctor istius Epistolæ mentem pijssimi in IESVM Origenis in partem trahit pessimam? Quomodo autem dictum suum probat? nempe maiore atque impudentiore mendacio, quod ita subdit: *Nam in Paganorum*, inquit, *commentis enutritus, eáque propagare in animo habens, Diuinas se vtique Scripturas interpretari simulauit, vt hoc modo doctrinam suam sacrarum Litterarum monumentis malignè admiscens, Paganicum, & Manichæum errorem suum, atque Arianam vesaniam induceret; eósque, qui sacram Scripturam non accuratè percepissent, inescare posset.* Sic ille. An autem potest aliquid mendaciùs dici? Constat enim Origenem à patre suo S. Leonide Martyre priùs sacris imbutum litteris, quàm profanis, & ab infantia (quod S. Hieronymus testatur) fuisse sanctum. Quonam autem modo Paganorum commenta propagare voluit, qui aduersùs illa multos libros conscripsit? qui plurimos Paganorum à suis commentis ad fidem Christianam traduxit? Nam pagani erant Gregorius Thaumaturgus, & frater eius Athenodorus; & ambo cùm tales essent, quid eos docuit Origenes? an manere in suis commentis? an Paganismum suum re- Mendacij probatio.

 tinere?

tinere? an persequi Christianos? an potiùs contraria omnia? idem de Heracla, & Dionysio Alexandrino, sanctissimis Alexandriæ Episcopis, déque alijs multis eius discipulis dici posset. Confirmat porrò suum mendacium his sequentibus: *Quid enim, inquit, aliud exposuit Origenes, quàm Platonis (qui Paganorum insaniam dilatârat) doctrinam? Aut à quo alio Arius mutuatus, propria venena concinnauit?* &c. Sed hæc suprà sæpius refutata sunt. Post hæc autem multa profert ex Origene, tanquam eius dogmata; quæ tamen ipse Origenes disertis verbis præmonuit, se non vt dogmata proferre, sed vt coniecturas; vti ex ipsiusmet verbis pridem ostendimus; sicut de anima ante corpus creatâ, de stellis animatis, & alijs huiusmodi. Deinde ea fusè è sacris Scripturis, & è SS. Patribus refutat, sed omnibus Origene posterioribus; & tunc cùm omnia successu temporis, vt fit, varijs disputationibus facta essent clariora, hoc est, annis post Origenem trecentis. Tot enim minimum iunior fuit Origene Iustinianus; qui denique in hæresim incidit peiorem omnibus ijs erroribus, quos ipse affinxit Origeni, in eam nempe hæresim, quæ asserit Christum Dominum pro genere humano nihil passum esse, neque tormenta vlla, neque mortem.

*Mendacij confirmatio.*

*Iustiniani teterrima heresis, Christum non esse passum.*

Qua hæresi quid peius, quid tetrius, quid execrabilius fingi potest? Tollit enim funditus salutem nostram; tollit resurrectionem. Si enim Christus non est mortuus, etiam non resurrexit. Et quidem isti hæresi tam impiæ, tam abominabili, missis in exsilium viris sanctis, qui ipsi resistebant, creditur immortuus. De quo videndus est Baronius, vbi de illius morte agit, tomo septimo annalium. Præterea multos locos profert è libris Origenis περὶ ἀρχῶν siue de *Principijs*, sed ab Arianis adulteratos, additis, vel detractis, quæcunque ipsis placuit. Nam certum est, tempore S. Pamphili (qui libros illos aduersus calumniatores defendit) eos errores in ijs non fuisse, quos ibi citat, & quos facile esset, si abuti ocio, & Lectoris, & meo vellem, ex antè dictis refutare. Denique cùm dicta Iustiniani epistola nihil sit aliud, quàm informatio ad ferendum de vita doctrináque Origenis iudicium; & illa informatio minimè vera sit ac sincera, sed multis conferta mendacijs; certè consequens videtur, vt iudicia secundùm eam facta, nullius censeri debeant esse ponderis. Atque vt constet, anathematismos illos qui ibidem subijciuntur, contra aliquas Origenis opiniones atque coniecturas (non enim dogmata, vt sæpè docuimus) non esse conditos in aliquo Concilio ab Episcopis, sed ab aliquo nihil pensi habente veritatem excogitatos, atque Iustiniano, ad eius aucupandam gratiam obtrusos, ita ipse Iustinianus ad finem totius epistolæ atque tractatus, velut voce Censoria, subiecit: *Hts igitur ita se habentibus, factisque omnibus palam Origenis blasphemijs, anathematismum in ipsum sic fieri conuenit.*

*S. Pamphilus Origenis libros De principijs defendit.*

*Verba Iustiniani Imp.*

1. *Si quis dicit, ac sentit, præexistere hominum animas, vtpote quæ anteà mentes fuerint, & sanctæ virtutes, &c. anathema sit.*

2. *Si quis dicit, ac sentit, Domini animam prius exstitisse, atque vni-*

*tam*

*tam Deo Verbo ante incarnationem* &c. *anathema fit.*

Et ita deinceps prosequitur alios septē anathematismos (sunt enim nouem in vniuersum) post quos subdit: *Anathema & Origeni, qui & Adamantius, qui hæc exposuit, vnà cum nefaria atque exsecrabili scelestáque eius doctrina; & cuiuis, qui ea sentiat, aut defendat, aut vllo modo prorsus quocunque tempore tueri præsumat.*

Ita Iustinianus vsurpans, quæ Ecclesiæ & Episcoporum sunt propria, Quasi verò, si ea tenuisset Origenes, & tanquam dogmata tradidisset, latere potuissent quatuor prima Concilia generalia, vt ne verbo quidem attingerent Sed & S. Pamphilus Martyr, & magnus Athanasius, viri doctissimi, nec longè distantes ab ætate Origenis, omnem istam ab Arianorum fraudibus exortam maledicentiam auctoritate sua, & Origenis defensione destruxerunt Ex eo autem, quòd dicat illius auctor epistolæ, seu tractatus, conuenire fieri anathematismum in Origenem, & eius præscribat modum, & verba; satis clarum fit, illa omnia non sumpta esse ex aliquo Concilio vniuersali, sed Iustinianum contra omne ius, & præter dignitatem præscripsisse Patriarchis, quid aduersus Origenem decernerent: fecerintne autem omnes iuxta istud præscriptum in suis singuli ecclesijs, incertum est, certè coniuncti in vna eadémque Ecclesia non fecerunt: multò minùs in aliquo Concilio generali, quale nullum, imperante Iustiniano, factum est, nisi *de Tribus Capitulis*, vt constat tam ex ipsius Actis, & ex epistolis de illo ad Iustinianum missis, quæ exstant apud Baronium, & ex ipsa itidem indigitatione Concilij, quod passim *De Tribus Capitulis* appellatur; ac denique ex ipsis Episcoporum omnium subscriptionibus, quarum nulla prorsus est, quæ non faciat nominatim mentionem primò Theodori Mopsuesteni, deinde Theodoreti, & postremò Ibæ Edesseni; nulla autem omnino, quæ Origenis. Sed nimirum quidam Scriptores Græci, ex odio Origenis, & ex adulatione Imp. quæcunque aduersus Origenem ante & post Concilium tumultuosè gesta sunt, in ipso facta esse Concilio conscripserunt. Quos in errore secuti sunt & Latini quidam Conciliorum abbreuiatores; intérque alios etiam, quod mireris, *Bartholomæus Carranza* in sua Summa Conciliorum, vbi miscuit & confudit sub nomine Quinti Concilij Constantinopolitani, duo Concilia, vnum particulare sub Agapeto Papa, & alterum generale sub Vigilio Papa. Sic enim scribit: *Constantinopolitana Synodus V. circa tempora prædictorum Pontificum, Agapeti, Siluerij, & Vigilij celebrata est, præsidente Menna Patriarcha*, &c. Dein paullò pòst: *Congregata est Synodus contra Petrum, Anthimum, Seuerum, & Zoaram hæreticos.* Atqui de his quatuor nihil actum est in generali Concilio quinto, sed tantùm, vt antè dixi, de Theodoro, & Theodoreto, & Iba: de istis autem alteris in Concilio particulari Constantinopolitano aduersus Acephalos (quales isti quatuor fuerunt) compluribus ante Synodum V. generalem annis facto. Nam hæc Synodus generalis (vt est in

*Iustinianus vsurpat munia Episcoporum.*

*Nullum generale concilium imperante Iustiniano fuit, nisi De tribus capitulis.*

*Bartholomæus Carranza scriptor in Sũma Cõciliorum.*

Concilium V. quo anno inchoatum. Synopsi Chronica P. Iacobi Sirmondi, & nostra) inchoata est demum anno Christi D.LIII. Concilium autem Constantinopolitanum particulare aduersus Acephalos iam finitum erat, & ipsi Acephali damnati, antequam Iustinianus quicquam moliretur contra Origenem. De quo Origene postquam ex mala, & falsa informatione peractum est, tum denique edictum à Iustiniano contra *Tria Capitula* Chalcedonensis Concilij, inuito ac reluctante, vt antè diximus, summo Pontifice, appensum est.

Iam vnicus in dicto quinto generali Concilio restat locus, quem proferre aliquis contra Origenem possit, nisi adulterinus ac suppositititius ostendatur. Is est in Collatione V. post medium, quæ tamen Collatio non de Origene instituitur, sed tantùm de Theodoro Mopsuesteno, & de Theodoreto. Ibi igitur inter illa, quæ contra Theodorum afferuntur, post ista verba [*Et multos quidem etiam alios inuenimus post mortem anathematizatos*] interiecta sunt hæc sequentia.

Hæc sunt ineptè intrusa & falsa. *Nec non etiam Origenem: & si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superiùs aliquis recurrerit, post mortem inueniet anathematizatum. Quod etiam nunc in ipso fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romæ.* Hæc, inquam, sunt interiecta; post quæ reditur ad eundem Theodorum per aliquot paginas, his verbis: *Præsumpserunt verò Theodori defensores* &c. Illa autem, quæ dixi interiecta esse, vel inde probari potest, quòd ineptè & falsò dicat, Origenem *etiam nunc*, hoc est, in ipso V. Concilio (sic enim interpretantur) fuisse condemnatum, & quidem à Vigilio Papa, cùm nec verbum antehac factum sit de Origene in prioribus Collationibus, & ipse Vigilius tenuerit, atque expresso scripto docuerit, neminem debere post mortem condemnari; qui scilicet in pace Ecclesiæ obierit. Sic autem obijsse Origenē suprà sæpe ostendimus. Nec verò mirum videri debet, si pauca ista in quintam illam Collationem intrusa dicam, cùm & integram Epistolam sub nomine Theodoreti confictam, atque in hanc ipsam Collationem cum hoc titulo constet esse intrusam: *Theodoreti ad Ioannem Archiepiscopum Antiochiæ epistola, scripta, cùm mortuus esset Cyrillus Archiepiscopus Alexandriæ. Serò tandem & vix malus homo defunctus est* &c. Quasi nimirum Theodoretus Ioanni Antiochiæ Archiepiscopo congratulatus fuerit de morte Cyrilli Alexandrini. De qua epistola sic scribit Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in

Epistola integra sub nomine Theodoreti conficta.

Bellarmini verba de eiusdem epist. falsitate. Theodoreto: *Exstat denique*, inquit, *in quinta Synodo, actione quinta, epistola Theodoreti ad Ioannem Antiochenum de obitu Cyrilli. Sed ea epistola non solùm falsitatis arguitur, quia constat Ioannem obijsse ante Cyrillum; sed etiam indigna est, quæ Theodoreto, aut cuius Christiano tribuatur.* Sic ille; & verum est iudicium.

ANI-

### *ANIMADVERSIO NECESSARIA PRO quibusdam posterioribus Concilijs, in quibus mentio Origenis reperitur.*

QVANDOQVIDEM non est Origenes ab eo Concilio generali condemnatus, quòd eius aduersarij vnicè proponebant; & cunctis itidem contra eum obiectionibus efficaciter à nobis responsum est; certè eâdem operâ censendum est responsum esse ijs, quæ in alijs Concilijs posterioribus, auctoritate Quinti nitentibus, repræsentantur. Diruto enim præcipuo fundamento, cetera omnia, quæ superstructa erant, corruerunt. Præcipuum autem contra Origenem fundamentum erat, quòd fuisset condemnatus à Concilio V. generali; quod falsum esse, locupletissimis testibus conuicimus. Hinc quæ ex alijs Concilijs afferuntur, per modum simplicis relationis ex illo Quinto adducuntur; nec plus valere possunt, quàm illud, vnde oriuntur. Consimili prorsus modo aduersus hæreticos, & paucos alios, defenderunt Honorium Papam complures Ecclesiæ catholicæ patroni, sicut ego nunc Origenem; quamuis damnationem Honorij multò probabiliorem faceret, quòd Honorius à Concilio vniuersali legitimo (cui Agatho Papa per suos Legatos præerat) causâ examinatâ damnabatur, cunctis Patribus, qui aderant eius damnationi subscribentibus, & primo quidem locò Legatis Pontificijs, deinde Georgio Patriarcha Constantinopolitano, & ceteris Episcopis; postremò autem ipsomet Imperatore Constantino Barbato, quem Græci Pogonatum vulgò appellant, consequentibus actutum totius Concilij acclamationibus, in laudem Imperatoris; deinde & his contra hæreticos anathematismis: *Nestorio, & Eutychi, & Dioscoro, anathema. Apollinari, & Seuero, anathema. Consentaneis eorum anathema. Theodoro Pharanitæ, anathema. Sergio, & Honorio, anathema. Pyrrho, & Paullo, anathema,* &c.

*Diruto fũdamẽto quidquid superstructum est, corruit.*

*Vt Honorius Papa perperam à duobus concilijs generalibus est cõdemnatus, sic & Origenes.*

*Nestorius, Eutyches, Dioscorus, isti 3. frequẽter iuxtim anathematizantur.*

Hæc in sexta Synodo vniuersali habentur, Actione decimâ octaua. Sed in alijs quoque eiusdem Synodi actionibus, quædam similia; nominatim autem in decima tertia, iubentur epistolæ Honorij, vnà cum aliorum scriptis comburi; & combustæ sunt. Nec solùm in hac sexta Synodo anathematizatus est Honorius, tanquam monothelita, sed etiam in 7. Synodo, actione itidem 7. in termino, seu potiùs definitione Synodi, quæ incipit: *Qui lucem agnitionis* &c. vbi sic inter alia: *Cum quibus & Origenis, & Euagrij, & Didymi fabulas anathematizamus, sicuti & Constantinopoli congregatum quintum Concilium egisse dignoscitur. Deinde quoque & duas voluntates & operationes, secundùm naturarum proprietatem, in Christo prædicamus, quemadmodum & Cõstantinopoli VI. Synodus exclamauit, abijciens Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, & eos, qui sine voluntate*

*Hæc à Patre mendacij contra tres optimos Catholicos dicta sunt.*

*voluntate sunt pietatis, atque istis similia sentientes.* Sic ibi. Cùm igitur à pluribus Concilijs generalibus anathema dictum Honorio legeretur; Bellarminus, qui rem istam libro 4. de Romano Pont. cap. X. accuratè pertractauit, perspicaci oculo animaduertit, posteriora Concilia, absque nouo examine secuta esse priorum auctoritatem, ac proinde nihil noui afferre roboris. Hinc in responsione ad tertium argumentum sic ait: *Ad tertium,* inquit, *respondeo, Patres VII. Synodi secutos esse Synodum sextam, & solùm repetiuisse, quod in ea legerant; proinde deceptos fuisse à VI. Synodo, quæ vel corrupta erat, vel per errorem Honorium damnauerat.* Hæc Bellarminus, & rectè Sic igitur & ego ad verba VII. Synodi paullo antè posita, vbi dicitur: *Origenis, & Euagrij, & Didymi fabulas anathematizamus;* dico Patres illius VII. Synodi secutos Acta Synodi V. corrupta, hoc est, ea Acta, quæ sub nomine quinti Concilij generalis, seu Constantinopolitani secundi, comprehendebant omnia, quæ Constantinopoli auspicijs Iustiniani Imp. gesta erant: primò contra Acephalos; deinde superuenientibus quorundam Monachorum querimonijs, contra Origenistas; ac postremò de Tribus Capitulis; cùm tamen fuerint tres diuersæ controuersiæ, & eo ordine, quo iam scripsi, alijs atque alijs temporibus, & Pontificibus, & Patriarchis, agitatæ. Hinc cùm sexta Synodus ex illis Actis quintæ Synodi corruptis produxisset sermonem Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium Papam, Legati Pontificij contradixerunt, dicentes ista non spectare ad Concilium quintum vniuersale, quòd illud anno demum Iustiniani 27. inchoatum sit, cùm sex annis antè Mennas obijsset, eique successisset Eutychius. Iam porrò quòd septima Synodus anathematismū aduersus istos tres iam nominatos ex Actis quintę Synodi corruptis assumpserit, indicant illa verba ibidem proximè sequentia: *sicuti & Constantinopoli congregatum quintùm Concilium egisse dignoscitur*, id est, sicut cognouimus ex Actis quinti Cōcilij, illos tres fuisse anathematizatos. Atqui in legitimis, & purioribus Actis quinti Concilij nec semel reperitur nomen Euagrij, neque Didymi; multò minùs anathematizantur; neque item Origenis, nisi, vt abundè suprà probauimus, intrusum. Quare ex illis Actis corruptis, & generali Cōcilio aliena commiscentibus, assumpta sunt; non autem ex purioribus, qualia sunt ea, quæ in tomis Conciliorum Græcolatinis ex editione Romana, & Coloniensi existunt. In quibus proinde non reperiuntur ea, quæ inde citabantur à Concilio septimo & à Legatis Pontificijs refutabantur, sed ea solùm, quæ ad Tria Capitula spectant, nempe ad Theodorum, Theodoretum, & Ibam. Denique cùm satis perspicuè ostenderimus, nihil de Origene tractatum in Concilio V. generali, sed ante illud, per edictum Iustiniani missum ad Papam, & ad Patriarchas ac nominatim ad Mennam, Patriarcham Constantinopolitanum tunc superstitem, qui obijt, antequam inchoaretur Conciliū V. generale, quod inchoatum est sub Eutychio, eius successore; hinc Origenem ab eodem

*Bona est & benè obseruanda hæc Bellarmini responsio.*

*VI. Synodus in errorem tracta est à V. & post se traxit VII.*

*VI. Concilium generale falsò dicit Euagrium & Dydimum à V. generali cōdemnatos.*

dem Menna, & ijs Episcopis, qui cum illo Cõstantinopoli agebant, condemnatum fuisse oportet, si condemnatus fuerit; sed tam iniqua condemnatione, quàm falsa fuit à Iustiniano data illis informatio, quę à nobis manifestissimæ conuicta est falsitatis. Duorum enim hîc doctissimorum Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, Ioannis de Turrecremata, & Roberti Bellarmini vestigia sum secutus; quorum ille in sua Summa, De Ecclesia, lib. 2. cap. 93. in medio; Bellarminus autem libro 4. de Romano Pontifice, cap. 11 Honorium Papam, licèt à pluribus Concilijs generalibus (vt quidem etiamnum iacent) condemnatum, optimis ac solidissimis rationibus absoluunt. Nam verbis Concilij VI. quę Honorium recẽsent inter Monothelitas, opponunt ipsa Agathonis Papæ verba, qui tum vniuersæ præsidebat Ecclesiæ, ex quibus verbis corrupta ostendunt illius acta Concilij, vel Patres ipsos, qui interfuerũt, ex mala informatione in quæstione facti, à vero aberrasse. Ita & ego in caussa Origenis vtrumque ostendi; nimirum, & Acta quinti Concilij fuisse corrupta; & eos, qui iuxta Iustiniani epistolam Origenem condemnarunt, falsa illius informatione deceptos fuisse, & in controuersia facti errasse. Qui error non perinde atque is, qui in quęstione fidei versatur, est impossibilis. Quam ad rem admodum apposité scripsit loco citato Bellarminus hæc, quæ sequuntur: *Quòd si aliquis*, inquit, *adhuc adduci non possit, vt credat, corruptam esse VI. Synodum, accipiat alteram solutionem, quæ est Ioannis à Turrecremata, lib. 2. de Ecclesia, cap. 93. qui docet, Patres VI. Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo iudicio errasse. Quamuis enim generale Concilium legitimum non possit errare, vt neque errauit hoc sextum in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorij epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium.* Ita Bellarminus.

*Ioannes de Turrecremata & Bellarminus doctissimi Cardinales.*

*Honorij Papæ defensio ab illis suscepta.*

*Concilium generale legitimum in quæstionibus facti potest errare, non in dogmatibus fidei.*

Quæ profectò verissima esse deprehendet, quisquis sextæ illius Synodi acta prudenti & attenta mente perlegerit. Nam ex omnibus, quæ contra Honorium afferunt, nihil aliud effici potest, quàm Honorium sensisse, & scripto factóque docuisse, non esse mouendam quæstionem de vna aut duplici voluntate, & operatione Christi, & hoc fouendæ pacis & tranquillitatis Ecclesiæ caussâ: nusquam autem ostendi potest, illum tenuisse vnicam esse in Christo voluntatem, & operationem, iuxta sensum scilicet Monothelitarum.

*Honorij Papæ epistola quid contineat, vt monothelita inde censeretur.*

Ego quidem, perlectis Honorij litteris, propter quas illum iudicarunt Orientales esse Monothelitam, seu assertorem vnius dumtaxat in Christo voluntatis, mirari satis non potui eius iudicij absurditatem, natam (quantum ex ipsis Actis colligere potui) ex inuidia Constantinopolitanorum, & Orientalium erga Sedem Romanam, in qua nullus adhuc Pontifex in aliquo fidei puncto errasse fuerat declaratus, tametsi alia-

rum sedium Patriarchæ complures & compluries aberrassent. Animaduerti igitur in illo sexto aduersus Monotheliras Concilio, Actione decima sexta sub finem, Georgium Archiepiscopum Constantinopolitanum ita Patres Concilij allocutum esse: *Ego*, inquit, *& quidam pauci, qui sub sede mea sunt, venerabiles Episcopi, propter dispensationem rogamus, vt si possibile est, nominatim non anathematizentur personæ in exclamationibus, id est, Sergius, Pyrrhus, Paullus, & Petrus.* Isti autem quatuor fuerant ecclesiæ Constantinop. Patriarchæ. Tum igitur plurimi è Concilio reclamare cœperunt, & dicere eos, qui semel condemnabiles demonstrati essent, etiam nominatim in exclamationibus anathematizandos esse; Quo audito idem Georgius Patriarcha dixit: *Quandoquidem multitudinis siue plurium concilium vbique vincit, necesse est etiam in exclamationibus memoratas personas nominari.* Et hoc dicto exclamauerunt vniuersi: *Multos annos Imperatori. Constantino Magno Imp. multos annos. Orthodoxo Imp. multos annos.* Et alia plura his similia: deinde sic: *Agathoni Papæ Romano multos annos. Georgio Patriarchæ Constantinopolitano multos annos. Theophani Patriarchæ Antiocheno multos annos. Orthodoxo senatui multos annos.* Post hæc autem exorsi sunt iácere in Monothelitas anathemata, nulli parcentes, & Honorium quoque Papam admiscentes, hoc modo. *Theodoro hæretico Pharanitano anathema. Sergio hæretico anathema. Cyro hæretico anathema. Honorio hæretico anathema. Pyrrho hæretico anathema. Paullo hæretico anathema. Petro hæretico anathema. Macario hæretico anathema. Stephano hæretico anathema.* Et sic de alijs.

*Acclamationes f.usta.* *Anathemata exsecrationis.*

Quemadmodum autem ipsos Honorium falsò interseruisse, multis bonis rationibus probant duo Illustrissimi atque doctissimi sanctæ Ecclesiæ Cardinales Baronius & Bellarminus; ita non minùs bonis argumentis me euicisse confido, inter anathematismos quinti Concilij perperam intrusum esse nomen Origenis. Quod si duo illi insignes Ecclesiæ proceres animaduertissent, haud ægrè, opinor, tulissent viros egregiè doctos & pios defendisse Origenem contra Concilium quintum: quandoquidem longè certius sit idem V. Concilium fuisse corruptum, quàm sextū, in quo sexto plurimis in locis, & non in vno tantùm & altero, nomen reperitur Honorij. Nam V. Concilium esse corruptum probatur ex ipso Concilio sexto generali, Actione 19. sub finem, vbi iacitur anathema in illius corruptores, his verbis: *Anathema simul omnibus, qui falsauerunt Acta sancti & vniuersalis V. Concilij*: nihil autem tale fecerunt posteriora Concilia contra sextum. Quare cùm satis constet Concilium V. esse corruptum, & insuper clarè probatum sit, non ideo esse corruptum, quòd aliqua sublata sint, sed potiùs quòd aliqua perperam addita; hinc patet, quàm vanum sit illud argumentum, quod ex dicto Concilo afferebatur, quasi fortissimum. Quo tamen magis magísque firmetur fidei Origenis integritas, & ab omni

omni hæreſeos nota penitus perpurgetur, alium rurſus producam, efficacẽ eius defendendi modum: nempe illum, quem pro S. Cypriano ſanctus tenuit Auguſtinus.

## *TERTIVS ORIGENIS DEFENDENDI modus per veſtigia S. Auguſtini.*

MVLTA in Cypriano & Origene fuerunt quàm ſimillima: integritas morum, doctrina excellens, mirus fidei propagandæ ardor, aduerſus Eccleſiæ hoſtes ſtudium feruens, in ſolandis & adiuuandis Martyribus opera indefeſſa, obeundi pro Chriſto martyrij ingens deſiderium. Scripſere ambo multa & præclara, ſed plura Origenes. Habuerũt ambo in libris ſuis ex humani infirmitate ingenij (quemadmodùm non paucis accidit alijs) aliquos circa fidem errores, ſed qui plura ſcripſit, plures. Nam Cyprianus, qui multo pauciora ſcripſit, vnum alterúmue dumtaxat habuiſſe ac defendiſſe reperitur: nempe Baptiſmi Sacramentum ab hæreticis collatum nullius eſſe pretij: nec vlla omnino extra eccleſiam valere Sacramenta. Igitur Donatiſtæ hæretici eoſdem errores ipſius moti auctoritate arripuerunt, mordicúſque defenderunt. Cùm verò identidem in ſuis aduerſus Catholicos congreſſionibus atque diſputationibus, pro ſui defenſione ſchiſmatis, identidem ſancti Cypriani iactarent, ingeminaréntque auctoritatem; S. Auguſtinus tanti viri defenſor principalis, in libro contra eoſdem Donatiſtas 1. & 2. ita eius agnouit errorem, vt ipſum tamen à macula hæreſeos, & à nota ſchiſmatis defenderet. *Origenis & Cypriani cõparatio.*

Huius ergo præclari eccleſiæ Doctoris ſtatui, in meo defendendo Origene, ſequi veſtigia, & oſtendere ea, quæ pro vno allata ſunt & valent, argumenta, valere itidem & pro altero. Age igitur, hoc agamus.

Primò fatetur Auguſtinus erraſſe Cyprianum, ſed ante habitum de re, in qua errauit, generale Concilium, in quo concilio eius error condemnatus eſt. Fateor itidem erraſſe in aliquibus Origenem, ſed antequam de ijs, in quibus errauit, vllum eſſet habitum generale Concilium. *Defenſionum Cypriani & Origenis punctâ ſimillima.*

Secundò defendit Cyprianum Auguſtinus à culpa hæreſeos, ex eius humilitate & ſtudio charitatis cum ijs, à quibus diſſentiebat, retinendæ. Itidem & ego Origenem ab iiſdem virtutibus, quas poſt eius vitam ſubtexuimus, & ex mirabili inſuper erga IESVM ſuum, cuius nomen ſæpenumero in ſcriptis ſuis ſuauiſſimè vſurpat, pietate.

Tertiò tuetur Cyprianum à tolerato, pro veritate & Chriſti nomine, martyrio. Tueor & ego Origenem à ſuperatis pro fidei defenſione tam grauibus tormentis, vt non ipſe martyrio, ſed ipſi defuiſſe martyrium meritò cenſeatur. Perſecutionem verò, propter aſſertam & propagatam vnius veri Dei religionem ſæpius ipſe, quàm S. Cyprianus, & temporibus magis neceſſarijs ſuſtinuit: quemadmodum in eius vita à me conſcripta, omnium eſt oculis clarè expoſitum.

Quartò

Quartò dicit Augustinus libro 2. contra Donatistas, cap. 1. *Non me terret auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani.* Ita & ego pro Origene: *Non me terret auctoritas Origenis, quia reficit humilitas Origenis.* Nam auctoritas Cypriani, de qua loquitur Augustinus, erat pro errore de Baptismo contra Romanum Põtificem, cui directè se opponebat, quod nunquam fecit contra vllum summũ Pontificẽ Origenes, qui permagni semper illos fecit, & qui illos adijt, & apud quos de obiectis sibi erroribus se defendit, & quibuscum, quoad vixit, semper coniunctissimus fuit. Quod tanta in doctrina rarum modestiæ atque submissionis exemplum exstitit. Humilitas autem Origenis diffusiùs descripta est suprà lib. 2. cap 2.

Quintò producit Augustinus locum Cypriani in epistola ad Quinctũ, vbi idem Cyprianus laudat Petrum, qui non tantùm moneri à Paullo, sed etiam reprehendi sustinuerit, maior à minore, caput ecclesiæ à membro eius, innuens idem & à Cornelio Papa faciendum. *Nam nec Petrus,* inquit, [verba sunt Cypriani] *quem primum Dominus elegit, & super quẽ ædificauit ecclesiam suam, cùm secum Paullus de circumcisione disceptaret, postmodum vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs oportere: nec despexit Paullum, quòd ecclesiæ priùs persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paullus vindicabat, facilè consensit: documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus.* Hactenus verba Cypriani: ad quæ paullo pòst, hæc subdit Augustinus: *Si ergo potuit Petrus,* inquit, *non rectè in aliquo ingredi secundùm veritatem euangelij, ita vt Gentes cogeret iudaizare (quod Paullus in ea scribit epistola, in qua Deum se non mentiri testatus est, &c.) cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota ecclesia tenuit, cogere hæreticos vel schismaticos denuo baptizari?* Sic ille de Cypriano.

*S. Petri principis Apostolorum humilitas & patientia erga Paullum.*

*S. Augustini verba pro Cypriano.*

Sic & ego de Origene: Cur non potuit Origenes contra regulam veritatis, quam omnis postea tenuit ecclesia, hanc vel illam siue de animabus, siue alijs de rebus opinionem tenere, tanquam probabilem; donec aliud à supremo Pontifice statueretur?

*Verba similia pro Origene.*

Sextò, dicit Augustinus cap. 4. eiusdem libri 2. Cyprianum sua humilitate, & sermonis modestia ostendisse, nequaquam se in errore esse pertinacem, sed facillimè correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstrasset Baptismũ Christi sic dari posse ab ijs, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent. Sic & ego ex Origenis humilitate, quam in locis plurimis scriptorum suorum expressam reliquit, contendo, minimè eum voluisse aduersus Ecclesiam esse pertinacem,

*Nec in Cypriano, nec in Origene fuit erroris vllius pertinatia.*

sed

sed satis indicasse, correcturum se errores fuisse, si quis illos ei claré ostendisset.

Septimò, si quis requirat, quamobrẽ Origeni, tam ingenioso, tam studioso, tam docto, tam probo, illa in quibus errauit, cælitus non reuelata sint? idem de illo respondebo, quod Augustinus de Cypriano: *Ideo*, inquit, *plerumque doctioribus minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiant, vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt.* Sic Augustinus cap. 5. In vtroque igitur, & Cypriano, & Origene, dum refellerentur, emicabat patiens & humilis charitas, seu, quod idem est, humilitas, patientia, charitas. Neutrius enim in eiusmodi occasionibus vel parua amaritudo animaduersa est. Refellit nonnunquã S. Hippolytus opiniones aliquas Origenis, sed amico animo; & Origenes itidem non minus amicè eum in Ecclesia dicentem iuit auditum, & ille præsentiam Origenis auditoribus suis aperuit, & honorauit.

*Cur viri sancti sinantur à Deo in errores labi?*

Octauò, probat lib. 2. contra Donatistas, cap. 5. Augustinus, Cyprianum in illa cum Pontifice controuersia tenuisse vnitatem cum illo, & simul placidè tulisse veritatem ab illo ostensam. Quę duo probat his verbis: *Quorum duorũ manifestatum tenemus, in beato Cypriano, vnũ quidẽ id est, quomodo tenuerit vnitatem cum eis, à quibus diuersum sentiebat. Ait enim: Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem contra id, quod sentiebat, inuentam, etsi litteræ tacent, merita clamant; si epistola non inuenitur, corona testatur; si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. Non enim paruum documentum est pacatissimæ animæ, in ea vnitate martyrium meruisse; vnde se diuersum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Vnde aliquid aliter sapere, quàm se res habet, humana tentatio est; Nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, Angelica perfectio est.* Ita ibi Augustinus.

De Origene itidem dico, & quòd tenuerit cum ijs, à quibus dissidebat, vnitatem, nec vnquam ab Ecclesia se diuiserit, immo plurimos ad Ecclesiam, seu hæreticos, seu schismaticos reduxerit, & quomodo etiam veritatem contra id, quod sentiebat, inuentam accipere potuerit, etsi litteræ tacent, merita clamant, & tormenta pro fide Christi tolerata protestantur. Quæ tormenta valde grauia ipsi admodum seni mortem intulissent, nisi Deus maiores, quàm essent tormenta, vires ad solatium Christianorum ipsi addidisset, aut nisi Decius, perquàm immanis tyrannus, tam citò occubuisset. Vix enim duos annos integros regnauit. Quo mortuo, pluri-

mi

mi Christianorum è custodijs dimissi sunt; & cum illis Origenes.

Postremo, Ibidem capite septimo excusat Augustinus S. Cyprianum de Baptismo errantem, quòd ea quæstio nondum satis fuisset tunc pertractata.

Sic illæ quæstiones, in quibus errasse dicitur Origenes, (qui priùs Cypriano floruit & scripsit) nondum satis tum agitatæ fuerant.

Et, si auctoritas Origenis propter multos errores magnæ in Ecclesia tentationis occasio fuit; quantò maioris vel vnus S. Cypriani error de Baptismo in eadem Ecclesia exstitit? Quippe quem errorem quadringenti minimùm Episcopi, Donatistæ secuti sunt, & ab Ecclesia diuisi: Episcopi autem, qui Origenis errores secuti sint, & propter illos ab Ecclesia seiuncti, nec decem fortassis reperientur, immo nec quinque, fortasse nec tres, fortè nec vnus. Certè nec vnum Episcopum est nominare, qui tanquam hæreticus ob aliquem Origeni proprium errorem ab Ecclesia proscriptus sit, vel tanquam hæreticus Origenista condemnatus. Scio quidem alios quosdam partim defunctos, partim superstites accusatos fuisse, & excommunicatos: sed Episcopum, quod quidem meminerim, neminem. Nam quòd Hieronymus Ioannem Hierosolymitanum Episcopum hæreseos Origenistarum, scripto aduersus eum libro, insimulauit: hoc ipse nec efficaciter probauit, & à Theophilo, Ioannis amico, admonitus atque correptus reuocauit. Quod & ipsiusmet Hieronymi ad eundem Theophilum litteræ satis indicant, & complures Ordinis Carmelitani insignes Scriptores certò probant. Præter alios autem videri, & perpendi possunt Thomas à IESV, & Thomas à S. Ioseph, & Petrus Wastelius, viri non minùs doctrinâ quàm pietate eximij, in ijs quos pro suo Ordine scripserunt minimè contemnendis tractatibus. Quorum vltimus, & alloquio, & mutuis inter nos litteris mihi probè notus (qui propter simillimum agnoscendæ ac defendendæ veritatis studium priùs à me amatus est, quàm visus) tomos edidit duos, quibus eiusdem Ioannis non minùs vitæ sanctitatem, quàm doctrinę pręstātiam multis incognitam, luce clariùs meridiana commonstrauit.

Idem enim ipse fecit in Ioanne Hierosolymitano, viro sanè admirabili, quod ego in Origene viro planè incomparabili efficere studui. Ambo enim nescio quâ inuidentis Diaboli arte, mundo velut reprobi, & alienæ ab ecclesia doctrinæ assertores perdiu habiti sunt, qui magna interim lumina, quibus dignus non erat mundus, extiterunt.

Hactenus satis multa in medium allata arbitror, quibus possit non iniquus Lector in admittendis quæ fecit, docuitúe Origenes, acquiescere. Vnica nunc videtur restare, pro ęterna eius salute, gloriáque demonstranda, haud parui momenti quæstio, quam vt nostri mediocritas ingenij feret, breuissimè Deo adiuuante, expediemus & clarissimè.

## QVÆSTIO XI.

# QVÆSTIO XI.

## *DE SALVTE ET GLORIA Origenis.*

TAMETSI, ex toto vitæ Origenis à me supra descriptæ decursu, satis dignosci possit, quis debeat de æterna eius salute & gloria esse sensus, tamen propter eos, qui lectionis paullò longioris impatientes, breuiter in vnum collecta inuenire malunt, quàm plurifariam dispersa requirere; non pigebit ea summariim in medio ponere, quæ certam eius salutem faciant, & quæ partas ab eo in ecclesia Dei laureolas, seu (vt Theologi vulgò vocitant) aureolas ipsi adiudicent.

Primò igitur pro salute eius asserenda facit, vita ipsius ab initio ad finem vsque integerrima, & expers grauioris delicti feliciter transacta. Propter quam morum integritatem hanc ei laudem iam dudum mortuo tradidit, & illi tradendam docuit S. Hieronymus, magnum fuisse illum ab infantia, cùm ita de illo scripsit in epistola ad Pammachium & Oceanum: *Vult aliquis laudare Origenem? laudet vt laudo, magnus vir ab infantia, & verè martyris filius:* quia scilicet dignum se tali patre filium præstiterit, tam vitæ decursu, quàm martyrij ambitu. Deinde occupans ac refellens, quod ab osoribus Origenis obijci posset, scripta eius non carere erroribus, fatetur id ipse quidem, sed non aliter errasse eum admittit, quàm Patres ceteros, nempe ex humani infirmitate ingenij, non autem ex prauitate animi. Sic enim velut subirascens ait: *Quòd si quis Iudas zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat liberè: Interdum magnus dormitat Homerus.* Et infrà: *Sic legam vt ceteros, quia errauit vt ceteri.* Hæc autem dixit post editionem latinam librorum Origenis περὶ ἀρχῶν, siue, De principijs, sed longè maiora ante illam.

Secundò, idem Hieronymus in libro De Scriptoribus ecclesiasticis cap. LIIII. haud obscurè indicat de Origenis statu ac salute quid sperandum ac tenendum sit, dum ait: *Et super Origenis statu si quis scire velit, quid actum sit; primùm quidem de epistolis eius, quæ post persecutionem ad diuersos missæ sunt, deinde & de sexto Eusebij Cæsariensis ecclesiasticæ historiæ libro, & pro eodem Origene in sex voluminibus poterit liquidò cognoscere.*

Atquin & illæ Origenis epistolæ, & ista Eusebij volumina optimum Origenis statum, & miram in perferendis pro Christi fide tormentis constantiam manifestant.

Tertiò S. Dionysius Alexandriæ Episcopus, cum animo suo reputans, quanta magister suus Origenes, cùm aliàs, tum præcipuè in Deciana perse-

cutione, velut decumana tempestate perpessus fuisset, & quanto itidem alijs martyribus solatio & auxilio exstitisset, tum ipse eadem finita persecutione librum de martyrio conscripsit, eidemque Origeni adhuc superstiti dedicauit: vita verò functum nouis quoque laudibus celebrauit.

Quartò S. Pamphilus martyr, qui eo vixit tempore, quo & videre aliquos Origenis discipulos & conuenire potuit. hic, inquam, vitâ doctrináque Origenis probè cognitâ atque perspectâ, mortui laudes in ea quam pro ipso scripsit Apologia sincerè est persecutus: consenuisse scilicet eum in ecclesia, & semper hæreticos impugnasse, ac præ omnibus alijs virtutibus, gratia præcelluisse humilitatis. Verba huius sanctissimi martyris aduersus obtrectatores Origenis sunt hæc: *In tantum autem horum, de quibus diximus, progressa est malitia, vt quidam etiam conscribere aduersus eum ausi sint, & libellis editis, derogare ei viro, qui per tot annos ecclesiæ magister fuit, qui in ecclesia senuit, qui aduersus eas hæreses, quæ illo tempore ecclesiam impugnabant, ita fortiter, ita constanter dimicauit, vt omnia eorum diabolicæ machinationis fundamenta subuerterit: non studiorum laborem, non continentiæ, non institutionis, non humilitatis, quæ supra ceteras omnes eius virtutes maximam gratiam continet, non certè illud considerantes, quod Presbyteri dignitate in ecclesia honoratus sit.* Hæc ibi. Deinde paullo pòst se ostensurum profitetur, Origenem semper & in omnibus libris, etiam in libris περὶ ἀρχῶν Apostolicam custodisse prædicationem.

Et cùm hæc omnia de Origene post eius mortem vir tantus prædicatit; certè iudicauit eum benè vixisse, benè docuisse, benè obijsse: & quod ex his consequitur, eos qui illum vel hæreticum, vel schismaticum, vel idololatram calumniati sunt, aut calumniantibus crediderunt, à veritate toto cælo aberrare.

Quintò magnus Athanasius, & S. Didymus (ita Didymum præceptorem suum appellat Hieronymus in epistola ad Lucinium Beticum) semper laudarunt ac defenderunt Origenem, vituperarunt nunquam: & hic quidem, qui propterea cæcus simul & videns est appellatus; quia nihil oculis corporeis, sed mentis acie multa sublimissima peruidebat, hic, inquam, scholia in libros Origenis περὶ ἀρχῶν difficillimos, quo calumniatoribus os obturaret, & oculos aperiret, aureo ore dictauit.

Sextò S. Theotimus Tomorum in Scythia Episcopus, vir doctus & inter Scriptores sacros ab Hieronymo recensitus, & ob miraculorum multitudinem iuxtà & magnitudinem à Græcis θαυματουργὸς id est, *prodigiorum patrator*, à Scythis autem *Deus Romanorum* appellatus, cùm ad subscribendum Origenis condemnationi incitaretur, sanctè ac generosè respondit, se tam blasphemum crimen nunquam admissurum, vt hominem præclarè mortuum ignominia afficeret, & eius scripta, quæ maiores sui non reprobassent, condemnaret.

Septimò,

Septimò, vti bene vixerat, & piè sanctéque obierat, ita etiam honorificè Tyri, vrbe totius Phœniciæ domina, in templo sancti sepulchri sepultus est: vbi & plus mille annis requieuit. Et anno quidem 1188. eiusdem Origenis titulus sepulchralis in marmorea columna gemmis autóque ornatus, teste Adrichomio, visebatur. At de hoc sepulchro ad nostra vsque tempora perdurante, in nostris ad eius vitam Notationibus tractaui fusiùs.

Iam quæro, vtrum his omnibus nunc allatis, & præcipuè tot sanctissimorum virorum testimonijs præferri debeat, vel vnius Theophili Alexandrini immane odium in Origenem, vel monachi cuiuspiam Nestoriani, hominis vagabundi, confictum somnium? quorum ille, vt in ira, sui erat impotens, non solùm de Origene horrifica, sed etiam, de S. Ioanne Chrysostomo longè horrificentissima maligno agitatus spiritu effudit: nempe hæc: *Non solùm non est Christianus Ioannes, sed peior est Rege Babylonio, multo sceleratior quàm Balthazar. Idololatris & Ethnicis sceleratior est Ioannes. Tibi iam præsens ignominia, æterna in futuris, sæculis pœna reddetur.* Hæc ille, & multa his similia, quæ refert Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, libro VIII. ad Iustinianum Imp. post medium. Hic autem Nestorianus finxit se vidisse apud inferos cum suo Nestorio, & alijs hæresiarchis, vnà quoque Origenem, vt alibi suprà pluribus narrauimus. *Suprà quæst. VI. §. 2.* Quippe volebat miserum illud mendicabulum, narratione vnius, vt ipse vocabat, visionis, vt autem re vera erat, audacis mendacij, facere fidem simplici Monacho, se ab hæresi Nestoriana resipuisse, ac desiderare cum illo habitare: quòd & facilè impetrauit. Nec magni refert, (vt etiam suprà docui) quòd illud exemplum contineatur in Prato spirituali, & idem Pratum in VII. Synodo generali citatum sit: sed tum demum aliquid haberet momenti, si ipsum exemplum citatum esset, nec refutatum. Sunt enim in eo Prato omnis generis flosculi, & inter alios soporiferi quidam ac venenati, multæque senum atque obliuiosorum monachorum narratiunculæ, parum fidei apud viros prudentes & consideratos habituræ. Qualis est & illa de S. Ioanne Chrysostomo, relata à quodam Adelphio nomine, quam meritò exsufflat & exsibilat Illustrissimus Baronius, tanquam à maligno spiritu transfigurante se in Angelum lucis profectam. *Pratum Spir. cap. CXXIX.* Nimirum erat iste Adelphius videndæ S. Ioannis Chrysostomi in cælo gloriæ percupidus; igitur illi apparuit in, exstasi scilicet, vir speciosissimus, qui eum prehensa manu in locum illustrem ac gloriosum perduxit, cunctósque illi Doctores, indicatis singulorum nominibus, ostendit, sed non Ioannem Chrysostomum. Ita non viso, quem videre maximè desiderauerat, eadem manus, quæ gaudentem introduxerat, foras mœrentem eduxit. Hactenus indicia mali Angeli, cuius caput delectat, cuius cauda contristat. Sed isti

mœrori ſuccurrit cæli ianitor ſcilicet. Digreſſo enim illo ductore, & animaduerſo derelicti hominis mœrore, quia non conſecutus fuiſſet, quod petebat, dixit illi. *Quid habes? quid triſtis es? Nemo vnquam huc ingreſſus, triſtis exiuit.* Et illo cauſſam mœroris afferente, quòd dilectiſſimum ſibi Ioãnem inter Doctores non vidiſſet; conatus eſt ianitor miſericors, eius auferre mœrorem dicens: *Ipſum homo in carne viuens videre non poteſt. Illic enim aſſiſtit, vbi thronus eſt Domini.* O nugas! O germanas gerras! Itáne non poteſt homo in carne viuens videre S. Ioannem Chryſoſtomum in cælo? & potuit S. Stephanus in carne viuens, videre Dominum *IESVM ſtantem à dextris Dei*? Ceterùm haud infitias ire velim, quin Pratum ſpirituale Ioannis Moſchi ad Sophronium, liber ſit bonus, & magna ex parte vtilis; ſed in ijs potiſſimum quæ ad mores pertinent, non autem in ijs quæ ad ſomnia & viſiones ſpectant, quibus rudes monachi ſæpiſſimè decepti ſunt, ſéque & alios in errores varios præcipitarunt.

*Act. 7. v. 55. & 56.*

Ad Origenem porrò vt redeamus, & ſolida ac non inania conſectemur; cùm tam è SS. Patribus, quàm è proprijs eius ſcriptis, ſanctæ ipſius vitæ & ſalutis in Christo IESV, quẽ mirificè adamauit, certa protulerimus argumẽta; reliquum eſt, vt ijſdem veſtigijs ad eius in cælo gloriam, quà homini licet, perueſtigandam connitamur. Habemus enim Chriſtiana fide exploratum, menſuram bonorum operum, menſuram eſſe & pręmiorum: deinde certas inſuper certis perſonis dari laureolas (Theologi vulgò aureolas vocant) magna inter ipſos conſenſio eſt. Diſtinguunt enim Auream ab Aureola: & per illam ſignificari dicunt præmium eſſentiale Beatorum, omnibus cõmune, quod in clara Dei viſione conſiſtit, reſpondetque charitati, qua quis in via, ſeu in vita hac mortali, amauit Deum: hæc eſt præcipua Beatorum gloria, ideóque *Aurea* appellata. Per *Aureolam* autem diminutiuè appellatam, indicari gloriam minùs principalem, & accidentariam tantùm, & ſine qua poteſt vera & perfecta beatitudo conſiſtere. Tales porrò *Aureolæ* tres numerantur, tribus hominum generibus debitę, vna Virginibus, altera Doctoribus, tertia Martyribus, iuxta iſtos verſus:

*Aurea Beatorum.*

*Aureola.*

*Aureolam Virgo, Martyr, fideique Magiſter,*
*Præter communem dicuntur habere coronam.*

Conſiderato autem vniuerſo mortalium beatorum numero, pauci ſunt in cælo, qui vel vnicam illarum poſſideant: pauciores qui duas, pauciſſimi qui tres, plurimi qui nullam. Poſtquam igitur ſatis oſtenſum eſt Origenẽ præcipuę illius & eſſentialis glorię videri factum conſortem, ſupereſt inquirendum, an præter iſtam coronam *Auream*, aliquâ quoque *Aureolâ* donatus ſit, ac primò, an eâ quæ Virginum eſt propria.

## *AVREOLA VIRGINVM.* §. 2.

HANC conſecutum fuiſſe Origenem haud difficilè credet, quiſquis illum, & illam cognouerit. Nam illum habuiſſe firmiſſimum conſeruandæ

seruandæ virginitatis propositum, adeóque eam perpetuò conseruasse omnes sciunt: & *Aureolam Virginum* nihil esse aliud, quàm conseruati perpetuò talis propositi præmium nemo nescit. Huius autem sui propositi firmitatem iuxtà & feruorem facto admirabili magis, quàm imitabili cõprobauit, cùm Christi verba de Eunuchis, qui se castrauerũt propter regnum cælorum, simpliciter intelligens, rem longè difficillimam ac periculosissimã sese castrando aggressus est: non facturus profectò, si vel minimum in hoc facto vitij suspicatus esset. Ita enim tum viuebat, vt nõ modò cuncta Christi præcepta strictissimè custodiret, sed consilia etiam omnia penè vltra vires obseruaret. Quod ex eius vita sincerè à nobis descripta cognosci potest. Hinc Demetrius Alexandriæ Episcopus vt factum resciuit, tantam animi magnitudinem demiratus, eum valde dilexit, scholámque Alexandrinam, tantùm viris maturis hactenus concredi solitam, illi admodum iuueni cõcredidit. Hinc & Hieronymus, idem Origenis factum itidem admiratus, inter primas eius virtutes istam in conquirenda virginitatis excellentia fortitudinem collocauit, cùm de illo ita scripsit: *Voluptates in tantum fugit, vt zelo Dei, sed tamen non secundùm scientiam, ferro truncaret genitalia: calcauit auaritiam: Scripturas memoriter tenuit, &c.* Fuit proinde Origenes ex illis Eunuchis, de quibus prædixit Esaias capite LVI. *Quia dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Tametsi enim Dominus solam spiritus castrationem & non carnis commendant, quia tamen Origenes vtrãmque commendari feruore animi inculpato arbitratus est, ita vtramque excelso & dolorum ac periculorum contemptore animo complexus est. Qua de re in vita egi diffusiùs. Nunc de *Aureola Doctoratus.*

*Matthæi 19. v. 12.*

*In epist. ad Pammachiũ & Oceanũ.*

## *AVREOLA DOCTORVM.* §. 3.

HÆC Aureola illis solis debetur, qui cùm docti fuerint, & eruditi in lege Dei, etiam seriò ac diligenter ad alios edocendos, atque ad beatum finem perducendos incubuerint, siue aliquem in Theologia honoris gradum adepti sint, siue nullum; neque enim scientiæ tribuitur, sed virtuti; neque honori, sed labori, neque habitui, sed actui. Quippe de illis solis intelligendus est ille Danielis locus, cap. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Iam autem in omni Græcia quis vnquam Origene doctior? & quis plures ad fidem atque iustitiam, quàm vnus Origenes erudiuit? Vt non immeritò Didymus atque Hieronymus, tanti Doctores eum vocauerint vnum post Apostolos ecclesiæ magistrum. Nemo enim ante illum, nec cùm illo, nec post illum, exceptis scilicet Apostolis, tot præclaros viros ab infidelitate, ab hæresi, à schis-

*Danielis 12. v. 3.*

mare, superatis omnibus satanæ machinamentis, ad sanam fidem, ad veram doctrinam, ad catholicam communionem traduxit, quàm Origenes. Nam S. Heraclas, S. Dionysius Alexandrinus, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Athenodorus eius frater, S. Firmilianus Theoctistus, Berillus, Theotecnus, omnes Episcopi, & magna ecclesiæ firmamenta, complurésque alij vita & scriptis celebres, fuerunt corona gloriæ Origenis, ad quos illa
1. ad Thessal. 2. v. 19. Paulli ad Thessalonicenses verba, iure quodam suo dicere potuit: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *estis, in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Nam eos omnes, quos nominatim recensui, Deo acquisiuit, & erudiuit, & in sancta ecclesia stellas fecit: cùm ipse quidem non tam stella, quàm fulgidi instar solis existeret. Quo etiam nomine illum dignatus est Iacobus Gretserus noster, vir multis scriptis clarus, in epistola quadam ad Amplissimum virum Marcum Velserum reip. Augustanæ Duumuirum dedicatoria, vbi ait Græcorum Philosophos, licet à vera religione alienos, incredibili Origenis eruditione commotos, eiusdem crebram mentionem libris suis inspersisse, *eo*, inquit, *fine, vt lucubrationes suas illustri hoc sole illustrarent.*
Iacobi Gretseri verba.

Ex istis porrò extraneis philosophis non paucos quoque ad Christianã perduxit Philosophiã, qui & ipsi eius adornarunt magistralem Aureolam.

## *AVREOLA MARTYRVM.* §. 4.

DE hac tertia & principali Aureola, maior existit dubitatio, an aliquatenus dici possit obtigisse Origeni.

Sunt enim, qui existiment ijs solis deberi, qui pro aliqua virtute Christiana, vel in ipso supplicio, vel haud diu pòst, morte violenta obierint: Origenes autem post varia & grauia pro fide tormenta carcere & vinculis liberatus, saltem biennio creditur superuixisse, & dictandis ad Confessores epistolis solarij plenis aliquã nauasse operã: ita vt confessor potiùs, quàm martyr dicendus videatur. Si tamen è toleratis antè supplicijs mors eius multũ accelerata sit, haud equidẽ dubito, quin Aureolã martyrij tam æquo iure meritus sit, quàm qui breui morte erepti sunt. Et inde fortàssis ortum est, quòd eum aliqui Decio Imp. affectum martyrio tradiderint, tametsi sub Gallo & Volusiano Decij successoribus demum obierit. Hoc saltem pro certo tenendum est, Origenem præ ingenti desiderio, & efficaci voluntate martyrij, non semel, sed sæpius, fuisse martyrem. Primò quidem in prima adolescentia, cùm vi & astu matris omnes illi vestes noctu sublatæ sunt, ne posset mane, vti proposuerat, ad carcerem cum captiuo patre moriturus decurrere. Secundò, postquam patre martyrij laurea coronato, Christianis, quos ad necem rapi multos videbat, veritus ne aliqui præ metu deficerent, intrepidè se immiscuit, ad martyrium animauit, verba vitę æternę Deo inspirante suggessit. Tertiò, cùm iam grandæuus, & annos sexaginta sex minimùm

nimùm natus, repetitis ſæpe vicibus lõgè grauiora paſſus eſt tormẽta, quàm ſi vno alteroúe gladij ictu obtruncato capite oppetiſſet. Ad quod ipſe ſupplicium, ſi Deus permiſiſſet, ſemper accenſum animum, ſemper paratam ceruicem gerebat. Sed hoc non agebat tyrannus, vt Origenẽ necaret, ſed vt Origenes Deum negaret. Quo nimirum de tali ſupplantato palęſtrita, & Dijs ſuis ingens gaudium, & celebrem ſibi triumphum excitaret. Verùm Deus opt. max. omnia in contrarium vertit, qui & generoſum pugilem in vita conſeruauit, & tyrannum importuniſſimum morti æternæ tradidit.

Quocirca ſi Origenes poſt diras variarum pœnarum carnificinas illam perfecti martyrij Aureolam, quæ morte è tormentis mox conſecuta traditur, fortè non obtinuit; at illam Auream, quæ è ſummi boni fruitione per internum illuminatę mentis intuitum percipitur, multò maiorẽ atque excellentiorem, quàm innumeri Martyres, qui breui & leui certamine ſuã meruere Aureolam, fructu animarum vberrimo obtinuit. Ad cuius glorię magnitudinem declarandam, quid certius afferri aut efficacius poteſt, quàm illud S. Iacobi Apoſtoli in ſua canonica epiſtola dictum vltimum, & velut aureum corollarium? *Fratres mei*, inquit, *ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quod expendens S. Bonauentura, Doctor ille Seraphicus, & verè totus ardens, dicere ſolitus erat, ſe omni ope contendere, vt vnã lucrifaceret animam: ita enim ſe de ſua ſalute certum fore, nec vllo pacto futurum, vt damnaretur. *Ecquomodo*, inquiebat, *Chriſtus illum condemnabit, qui animam, rem illi tam caram & dilectam lucratus fuerit?* *Iacobi V.*

Hoc eius dictum refert Franciſcus Quareſmius ex eodem ſanctiſſimo Minorum Ordine vir piè doctus, in ſua Elucidatione Terræ ſanctæ, lib. 3. cap. 10. Quod ſi de vnam lucrante animam dicitur; quid de lucrato innumeras dicendum eſt? Quot & quantas animas conuertit Origenes ab erroribus viarum ſuarum? Hoc ſi perpendant quicumque erga illum malè hactenus affecti fuerũt, (atque vt perpẽdant ex animo, totis votis exopto) tum & in illo Deus laudabitur, & ipſi errore illo intellectus liberabuntur, qui non maleuolos tenuit, ſed incautos. Hæc ad gloriam tuam Deus meus. Hęc pro dilecto tuo, mi bone IESV, pro illo, inquam, dilecto, qui ex amore dulcedinis nominis tui, toties dixit in ſcriptis ſuis & iterauit, *Dominus meus* IESVS, *& Dominum meum* IESVM *inuocare me oportet*. & alia his ſimilia ſui in IESVM amoris indicia, quæ eius calumniator Diabolus à piorum abſcondere oculis ſemper molitus eſt, & molitur: ſed Dominus meus IESVS æterna lux, & æterna veritas, depulſis tenebris & damnato mẽdacio, magis magiſque deinceps ſeſe quærentium illuceſcet oculis, & in cordibus ſe amantium triumphabit. Quod vt citò fiat & perpetuò, tuæ erit, ô mi pijſſime IESV, infinitæ bonitatis, & noſtræ te amantium incomparabilis felicitatis. Amen. Amen.

NOTATIONES

# NOTATIONES IN VITAM ORIGENIS

## AD CAPVT I.

A ORIGENES] Hoc fuit ei viro, cuius vitam modò conscripsimus, nomen proprium, quod nulli ante illum Scriptori inditum adhuc reperi: neque scio, an aliquis maiorum eius illo nuncupatus fuerit; an verò ex occasione loci natiuitatis, quòd in aliquo fortassis Ægypti montium natus sit, ita appellari contigerit. Nam græca vox Ὀρειγενὴς adiectiuè sumpta, & per o paruum scripta cum accentu graui in vltima, idem significat quod *montigena*, siue *in monte* vel *ex monte genitus*. *Origenes vnde dictus.*

A quo vt nomen substantiuum & proprium distingueretur, notatū est accentu acuto in penultima, & Atticè per o magnum hoc modo scriptum Ὠρειγένης, vti à Græcis perpetuò scriptum reperitur. Nam Græci omnia virorum nomina in ης propria acuunt in penultima, vt Δημοσθένης Ἰσοκράτης & cetera huiusmodi.

Potest & altero sensu Origenes, & quidem conuenientissimo, sed allegorico dici *natus è montibus*: quia scilicet è parentibus sanctis. Nam pater eius Leonides sanctus fuit & martyr; & vxor eius optima fuit, & sapientissima mulier, qui ambo sanctissimè illum educarunt. Vnde & meritò montes dici possunt. *Montes quippe Dei*, (inquit S. Augustinus epist. 120. Honorato) *Sancti eius sunt. De quibus alibi dicitur: Suscipiant montes pacem populo*. Psal. 71. Sic & longè priùs Augustino ipsemet do- *Psal. 71. v. 3.*
cuerat Origenes in homilia 3. in Canticum Canticorum, vbi significauit; alios sanctos posse dici *montes*; Christum autem *montem montium*, sicut *Regem Regum*, & *Pontificem Pontificum*. Vbi & illud psalmi 86. de alijs san- *Psal. 86. v. 1.*
ctis vsurpauit: *Fundamenta eius in montibus sanctis*.

Quin tres quoque sancti Abbates Cluniacenses, S. Odo, S. Maiolus, & S. Odilo, per tres montes in quodam cælesti viso demonstrati sunt, vt habetur in vita B. Petri Cauensis, cap. 23. apud Surium, tomo 7.

b *ADAMANTIVS* ]Huius cognomenti siue secundi nominis meminit Eusebius, Pamphili lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. in fine his verbis, ὅ γέ τοι Ἀδαμάντιος, καὶ τοῦτο γὰρ ἦν τῷ Ὠριγένει ὄνομα. *Hic autem Adamantius (nam & hoc erat Origeni nomen)* &c.

*Cur dictus sit, Chalcenterus.*

Eodem nomine *Adamantij* frequenter vtitur S. Hieronymus, qui & alterum addit *Chalcenteri*, ob librorum scilicet ab eo compositorum multitudinem, quâ imitatus est, aut etiam superauit priorem illum *Chalcenterum* scriptorem græcum. Sic enim cognominatus est Didymus grammaticus, Didymi salsamentarij filius: de quo ita Suidas:

*Didymus grammaticus. Scriptor Chalcenterus.*

Δίδυμος Διδύμου ταριχοπώλου, γραμματικὸς Ἀρισταρχειος, Ἀλεξανδρεύς, γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος, καὶ ἕως Αὐγούστου Χαλκέντερος κληθεὶς, διὰ τὴν περὶ τὰ βιβλία ἐπιμονήν. Φασὶ γὰρ αὐτὸν συγγεγραφέναι ὑπὲρ τὰ τρισχίλια πεντακόσια βιβλία.

*Didymus Didymi salsamentarij* [filius scilicet] *grammaticus Aristarcheus, natus Antonio & Cicerone Coss.* [ Malè tam in græcis quàm in latinis exéplaribus legebatur Ἀντωνίνου, *Antonini* ] *Et vsque ad Augustum Imp. perseuerauit, Chalcenterus appellatus ob suam in scribendis legendisque libris assiduitatem. Fertur enim supra tria millia & quingentos libros conscripsisse.*

*Scripsit tria millia & quingentos libros. Sed Origenes multo plures.*

Ab hoc igitur Didymo, qui Chalcenterus, hoc est, æreis intestinis præditus vocabatur, & æripector vno vocabulo reddi posset, iuxta illud Horatij, ode 3.

> *Illi robur & æs triplex*
> *Circa pectus erat, qui fragilem truci*
> *Commisit pelago ratem*
> *Primus, &c.*

Ab hoc, inquam, Didymo Chalcentero, seu æripectore Origenes propter simile pectoris robur & inuictam animi fortitudinem in perferendis studiorum laboribus, dictus est *Chalcenterus.* Quem & S. Hieronymus ex ingenti erga ipsum amore *suum Adamantium & suum Chalcenterum* appellitabat. Et in libello quodam, vbi Origenem cum M. Terentio Varrone, plurimorum scriptore librorum comparat, sic scribit: *M. Terentium Varronem miratur antiquitas, quòd apud latinos tam innumerabiles libros scripserit: Græci Chalcenterum mirificis efferunt laudibus: quòd tantos libros composuerit, quantos quiuis nostrûm alienos sua manu describere non possit* &c.

*Origenes cum M. Varrone comparatus.*

Vide ibi plura.

Deinde paulo pôst: *Quorsum Varronis & Chalcenteri mentio facta sit, quæritis? videlicet vt ad Adamantiũ, nostrúmque Chalcenterum veniamus, qui tanto in sanctarum Scripturarum studio labore sudauit, vt iustè Adamantij nomen acceperit.*

*Alia ratio cur Adamantius sit appellatus.*

Alteram porrò prioris nominis rationem adfert Photius in bibliotheca codice 118. in Pamphilo his verbis: τοῦτον τοίνυν τὸν Ὠριγένην, ὃν καὶ Ἀδαμάντιον ἐπονομάζεσθαί φασιν, ὅτι Ἀδαμαντίνοις δεσμοῖς ἐῴκεσαν, οὓς ἂν δήσειε λόγους, &c. *Hunc igitur Origenem, quem & Adamantium aiunt cognominari; quòd rationes, quas colligebat, similes viderentur vinculis adamantinis,* &c.

*Dictus est etiam Syntactes.*

Aliud Origenis cognomentum fuit Συντάκτης, *compositor, lucubrator.* Quo vsus est S. Epiphanius, sicut, & cognomento *Adamantij*, in hæresi 63. initio. Sic autem est appellatus, quòd libros composuerit longè plurimos.

c *Annus Domini vertebatur* &c. ] Quo restrictè anno natus sit Origenes difficilè dictu est, ego quod probabilissimum est, considerato eius interitu, qui sub Gallo & Volusiano Impp. accidit, cùm esset tunc vndeseptuaginta

annos

annos natus, per totidem annos retrogrediens, natum esse reperio anno Christi circiter 187. imperantis Commodi 6. iuxta Eusebianum Arnaldi Pontaci, & Auberti Miræi chronicon. Nam illi duo mihi videntur in eius chronici collectione & correctione, præ cæteris omnibus fuisse diligentissimi. Et huic sententiæ accedit Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, vbi sic de Origene: *Origenes qui & Adamantius, decimo Seueri Pertinacis anno, aduersum Christianos persecutione commota, Leonide patre, Christi martyrio coronato, cum sex fratribus & matre vidua, pauper relinquitur, annos natus circiter decem & septem.* Totidem porrò anni reperiuntur completi ab anno Christi 187. & Commodi 6. vsque ad annum decimum Seueri. Natum autem Olympiade 241. consentiunt chronicon Eusebianum, & chronicon Alexandrinum: sed Eusebianum eius Olympiadis anno 1. & bene. Alexandrinum autem anno 4. assignauit. *Quo anno natus sit Origenes.*

d *Fertur & Ammonij Saccæ* &c.] Origenem fuisse huius Ammonij Saccæ in philosophię studio auditorem (tametsi Baronio ad annum Christi 234. aliter videatur) minimè dubitandum est. *Ammonius Saccas Origenis in Philosophia magister.*

Nam hoc & eiusdem ætatis externi Philosophi profitentur, & nostri consentiunt. De externis quidem Porphyrius in libro suo tertio contra Christianos scripto, cuius ipsa græca verba referuntur ab Eusebio lib. 6. hist. Eccles. cap. vndevigesimo, latinè autem apud Christophorsonum, cap. decimo tertio.

Verba Porphyrij de Origene: Ἀκροατὴς γὰρ οὗτος Ἀμμωνίου, &c. *Auditor enim hic fuit Ammonij*, &c. Vbi quidem ipse Eusebius Porphyrium in aliis quibusdam mentiri asserit, sed in his quæ de Origenis studijs scribit, vera dicere profitetur. Idem quoque, quod Porphyrius, innuit Hierocles, alter Christianorum hostis, apud Photium in bibliotheca, codice 251. sub initium: vbi fatetur idem Hierocles Ammonium (quem & diuinum appellat) veram Philosophiam tradidisse omnibus suis auditoribus, sed præcipuè Plotino & Origeni. Idem & Christiani senserunt ac scripserunt. De eodē enim Ammonio Origenis præceptore ita B. Theodoretus lib. 6. de prouidentia Dei, cap. 6. post medium: *Hoc autem Romanum imperium moderante* (Commodo scilicet) *Ammonius cognomento Saccas, relictis saccis in quibus frumēta circumferebat, Philosophicæ vitæ se tradidit. Huius auditorem fuisse aiunt Origenem: Plotinum verò hunc, de quo nobis sermo est, fuisse aiunt Origenis auditorem. Plotini autem doctrinam Porphyrius quoque hausit.* Sic ibi. *Hierocles Philosophus Gentilis.*

Idem de Ammonio, & de auditore eius Origene refert Suidas in voce Ὠριγένης *Origenes.*

# AD CAPVT II.

IN hoc cap. describitur Seueri Imp. persecutio in Christianos, & S. Leonidis Martyris comprehensio, & eius filij Origenis patrem ad martyrij palmam consequendi ardore.

a *Decimus erat eius imperij annus* &c.] In hoc anno ita notat Eusebius in chronico: *Persecutione in Christianos facta, Leonides Origenis pater gloriosa martyrij morte transfertur.* Sed idem libro sexto historiæ suæ, capite primo locum & genus martyrij vnà designat, nempe Alexandriæ Vrbe Ægypti, capite plexum esse. *In quorum*, inquit, *numero* [Alexandrinorum martyrum] *fuit Leonides, Origenis pater, qui capite ab-*

*sciſſo filium admodum adoleſcentem poſt ſe orbum reliquit.*

Hanc perſecutionem vocat S. Sulpicius Seuerus ſextam, libro 2. hiſt. ſacræ ſub medium, ita ſcribens: *Sexta deinde Seuero imperante Chriſtianorum vexatio fuit. Quo tempore Leonides Origenis pater ſacrum in martyrio ſanguinem fudit.* Igitur iuxta Sulpicium hic eſt.

## *ORDO PERSECVTIONVM ADVERSVS Eccleſiam, à Chriſto vſque ad Seuerum Imperatorem.*

PRIMA perſecutio fuit Neronis omnium atrociſſima.

Secunda Domitiani, vt ordine, ſic & crudelitate proxima.

Tertia Vlpii Traiani, ab illis haud parum remota, & procurante Plinio Secundo mitigata.

Quarta Hadriani, tertiæ non multùm abſimilis, filio ſcilicet, imitante patrem.

Quinta M. Aurelii Antonini, duabus prioribus acerbitate non impar.

Sexta Seueri, tribus proximè antegreſſis ſæuior.

Decimo anno huius Seueri Imp. erat Origenes annos natus ſeptemdecim circiter, vt ſuperiori cap. indicauimus.

Intermedii Impp. nulla aduerſus Chriſtianos edicta propoſuerunt. Hinc ſi qua ipſis imperantibus Martyria acciderunt, non tam illis, quàm Præfectis ac Præſidibus ſunt adſcribenda.

*Scripto igitur ad eum epiſtolio hortatus eſt.*] In eo epiſtolio hæc ipſiſſima græca verba continebantur, quæ Euſebius & Nicephorus ſine varietate retulerunt: Ἐπεχε, μὴ δι᾽ ἡμᾶς ἄλλό τι φρονήσῃς.

Origenis epiſtolium ad patrem ſuũ. *Inhibe te, ne quid aliud propter nos cogites.* Quaſi dicat: Nihil ô pater noui conſilii noſtra cauſſa capias, ſed in martyrij quod elegiſti voluntate firmus perſiſte. Vxorem & me & fratres meos patri relinque orphanorum.

# AD CAPVT III.

CIRCA hoc caput, in quo admirabilem Dei prouidentiam erga Origenem omnibus ſpoliatum bonis (quæ fiſcus occupauerat) emicuiſſe in hoc oſtendimus, quòd viduam piiſſimam ſed hæreticam permouerit, vt illum in familiam receptum nutriret, rebuſq. omnibus ad ſtudia neceſſarijs adiuuaret: circa hoc, inquam, caput, eſt animaduertendum hanc rem perbreuiter dumtaxat à Baronio perſtrictam, & aliter, quàm veritas habeat, relatam. Nam tomo 2. annaliũ, in anno Chriſti 205. Seueri Imp. 11. ſub initium ita ſcribit: *Rurſum de ipſo ſcribit.* [ Euſebius ſcilicet de Origene ] *ob proſcriptionem bonorum paternorum, egentem relictum, à locupletiſſima Chriſtiana muliere adoptatum fuiſſe, magnâmque inſuper ſibi ex eo comparaſſe laudem ait, quòd, prudentiſſimè vitaret hæreticos, neceſſitatéque etiam tunc adactum, ac ardentiſſimo veritatis æſtuantem zelo, ad docendum, ludum aperuiſſe.*

Baronij verba a vero aberrantia.

Sic ille.

Atqui Euſebius nec Origenem ab ea adoptatum fuiſſe ſcribit, nec illam mu-

mulierem fuisse Christianam, immo vtrumque liquidò falsum est; prius quidem, quia Eusebij verba de Paullo hæretico adoptato, nō autem de Origene sunt clarissima: posterius verò, quia mulierem non fuisse Christianam inde etiam satis colligitur, quòd hominem hæreticum, & hæreseos doctorem celeberrimum adoptarit. Proferrem ipsa Eusebij græca verba, nî scirem complures lectorū his retardari potiùs, quàm adiuuari, præsertim cùm multa afferenda sunt. Possunt autem illa à doctoribus videri & examinari apud Eusebium Pamphili lib. 6. cap. 3. quæ sic latine reddidit IoannesChristophorsonus, quondam Cicestrensis Episcopus, eodem libro & capite. *Ioannes Christophorsonus fidelis interpres Eusebij.*

*Origenes*, inquit, *cùm vix adhuc decimum septimum ætatis suæ annum complexisset, post patris martyrium vnà cum matre & alijs sex fratribus minoribus natu, orbus relictus fuit. Ac tametsi facultates opesque patris erant in fiscum Imperatoris relatæ, adeo vt ipse in magna rerum ad vitam necessariarum egestate vnà cum cognatis suis constitutus esset, diuinâ tamen prouidentiâ apud mulierē cùm fortunis locupletissimam, tum aliis rebus facilè præstantissimam (præterquam quòd virum quendam genere Antiochenum, ipsa famæ commendatione inter alios, qui tunc Alexandriæ se eadem deprauata erroris peruersitate obstrinxissent, percelebrem, sic beneuolentia complexa est, vt eum filium adoptaret, domi haberet secum, & præter ceteros benignè foueret) valde humaniter exceptus fuit, & hospitio ac reliquis vitæ subsidijs donatus.* Sic ille, & rectè.

Antiquissima quoque Ruffini Presbyteri interpretatio habet istum Paullum hæreticum fuisse ab illa adoptatum, non Origenem. Cui concordant aliæ versiones. Sed Baronium fefellit, vt credibile est, NicephorusCallistus multis in locis corruptor Eusebij, non corrector. Nam is lib. 5. cap. 4. habet illam feminam sibi adoptasse Origenem, & hoc insuper noui mendacij, Paullum istum præconem hæreseos, fuisse illius maritum. Quod est contra Eusebium manifestè, & eius sinceros interpretes, qui expresse habent, vt diximus, illum fuisse *filium adoptiuum*, θετὸν υἱόν. Minimè autem est credibile illustrē feminam filio nupsisse adoptiuo, seu à se adoptatum assumpsisse in matrimonium. *Nicephori Callisti immanis hallucinatio.*

*Ad decimum Kal. Maij*, &c.] hoc die, qui est vigesimus secundus Aprilis, annotatur in Martyrologio Romano dies eius natalis, hisce verbis: *Alexandriæ, natalis sancti Leonidis Martyris, qui sub Seuero passus est.* Passum autem abscissione capitis, anno eiusdem Seueri Imp. decimo, indicauimus præcedenti capite, ex Eusebij tam chronico, quàm historia.

# AD CAPVT IV.

IN hoc capite referuntur, primò quidem eius in iuuentute vitæ ratio & austeritas, deinde vberes fructus in ecclesia Dei ab eo producti, qui certè tot & tanti fuerunt, quot & quanti post Apostolos & eius ætatis viros apostolicos à nemine ad illud tēpus producti sunt. Nullus enim aliorum tot insignes peperit Ecclesiæ Martyres, tot egregios cōuertit ad fidē Cōfessores, tot præclaros instruxit Antistites atque Doctores, tot in viam cæli regiam magni nominis hæreticos reduxit exerrantes. Et hoc quā arte? quā industriā? nempe Sanctam Dei & Euangelij doctrinam conformibus optimæ vitæ suæ operibus comprobando. Hoc enim Sanctus Pamphilus Martyr. in scripta pro illo Apologia: hoc Eusebius Pamphili lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. hoc Nicephorus Callistus *Fructus ab Origene in Ecclesia producti.* A

libro

libro 5. cap. 4. & alij complures post illos & ex illis professi sunt. Eusebij verba de multitudine ad Christum per Origenem ad Deum conuersa, sic latinè reddidit Ioannes Christophorsonus Interpretum ad hoc temporis diligentissimus: *Nec mirum sanè*, inquit, *Origenem tantam hominum frequentiam ad fidem conuertisse, cùm vita sua actiones & officia valde admirabilia, sincerissima, & maximè ingenua sapientiæ documenta complecterentur. Nam vt est in prouerbio, qualis eius fuit oratio, tales fuere & mores, & quales mores, talis fuit oratio. Quapropter diuina virtute & potentia illi cumprimis opem ferente, infinitos propè ad se imitandum allexit.* Sic ille.

Concionatores quinam optimi.

Et illi similia Ioannes Langus, Nicephori interpres, à nostro Frontone Ducęo recensitus.

Matt. 5. Act. 1. ver. 1.

* Habuit videlicet altè infixum cordi illud Christi Saluatoris apud Matthęum cap. 5. v. 19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.* Et illud Sancti Lucæ de eodem Saluatore: *cœpit IESVS facere & docere.* Suauissimus enim docendi, & efficacissimus persuadendi modus est, si exemplo priùs quàm verbo instruas, & quod ab alijs fieri velis, ipse primus facias.

B *Primus igitur ex eius in prima catechesi discipulis*, &c. ] In horum recensione martyrum, qui ex Origenis ludo tanquam ex equo Troiano prodierunt, ordinem secutus sum temporis, quo ad martyrij palmam processerunt: cùm eosdem alio atque alio ordine Eusebius & Nicephorus Callistus locis proximè prænotatis recenseant. Horum, igitur primus fuit Plutarchus, non ille Chæronensis Plutarchus è Bœotia, cuius hodiéque pulcherrima & vtilissima exiant scripta, sceris quoque concionatoribus ad informandos mores plurimùm vsitata: sed alius, sicut isto ætate posterior, ita multo felicitate prior ac fortunatior. Ille enim primo & secūdo Christi sæculo floruit, & Traiani præceptor Imperatoris exstitit, sola huius fugacis æui gloria clarus, veri autem Dei ignarus: hic verè melioris vitæ & viæ sciens, tertio Christi sęculo voluntaria pro illo morte beatam sibi immortalitatem comparauit.

Vetus Rom. Martyrologium correctum.

Cuius & aliorum, eadem tempestate martyrum dies natalis 28. Iunij in omnibus fere Martyrologijs adscriptus est, & in vetere quidem Romano his verbis: *Alexandriæ, Plutarchi, Seueri, Heraclidis, Heronis*, ( sic enim legendum, non *Heroïs*, docent græca Eusebij, in quibus Ἥρων scribitur. ) *Potamianæ, Marcellæ, & aliorum*: sed in vsitato seu communi Romano, omnes nominatim & distinctè iam dicto die recensentur præter Basilidem, qui in diem trigesimum dilatus est, quia minimùm triduo pòst alios coronatus est. De quo sic ibi habetur: *Alexandriæ, passio S. Basilidis sub Seuero Imp. qui cùm sanctam Potamianam virginem, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantia tutatus esset, religiosi officij mercedem ab ea recepit. Nam ipsa post triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non solùm eum conuertit ad Christum, sed etiam breui agone certantem, suis precibus martyrem gloriosum effecit.*

De alijs autem, qui die 28. passi sunt, ita scribitur. *Alexandriæ, in eadem Seueri persecutione, SS. Martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis catechumeni, Heronis neophyti, & alterius Sereni, Rhaidis catechumenæ, Potamianæ, & Marcellæ eius matris: inter quos præcipuè enituit Potamiana virgo, quæ primò immensos innumerósque agones pro virginitate desudans, deinde etiam exquisita & inaudita tormenta pro fide perpessa, ad vltimum vnà cum matre igne consumpta est.* Sic ibi.

Francisci Maurolyci Martyrologium laude dignum.

Franciscus autem Maurolycus, Abbas Messanensis, vir doctus & pius, qui ante Petrum Galesinium, & Cæsarem Baronium scripsit, bonum factum iudicauit, in suo Martyrologio etiam Origenis, à quo illi Martyres secundùm

Deum

Deum adiuti fuerant, interserere memoriam, & ita scribere: *Alexandriæ Martyrum ab Origene conuersorum, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Heronis*, &c. Nec enim talibus in ministerijs fideles Domini Iesu cooperatores sua sunt laude defraudandi.

Notandum porrò quod scriptum est in Romano martyrologio de Basilide coronato die trigesimo Iunij, siue triduo post alios, non ita intelligendum, quasi ille sit dies, quo idem Basilides martyrij honore per mortem pro fide obitam affectus est, sed quo ipse visus est sibi apparente per noctem Potamiæna coronari.

Hoc enim per noctem visum, triduo pòst Potamiænæ mortem accidit, vt ipsemet Basilides fratribus Christianis ipsum in carcere inuisentibus declarauit. Qui fratres non eodem die, quo is declarauit ipsum baptizarunt, sed postridie, vt expressè habet historia. Vnde necessariò consequitur non obijsse ipsum tertio die post alios, sed potiùs quarto, aut non diu postea. Nec enim dies certus martyrij in historia assignatur, breue dumtaxat tempus à viso illo nocturno.

Iam illud haud dubium, quin Basilides accepta Potamiænæ viuentis, & ad mortẽ incedentis sponsione, & conspecta insuper grauissimorũ tormentorũ volũtaria eius perpessione, atque admirabili cõstantia, reuoluerit animo tribus illis diebus quę ab illa audierat, & quę viderat, séque interdũ Catholicis propter intelligenda fidei mysteria miscuerit, & ab ijs inter alia intellexerit, non modò per Deos non iurandum, sed nec omnino iurandũ. Rogatus enim à commilitonibus quadam in caussa, vt iuraret; ipse *μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ τοπαράπαν ὀμνύναι διεβεβαιοῦτο. Χριστιανὸν γὰρ ὑπάρχειν, non licere sibi omnino iurare asseuerauit. Se enim esse Christianum.* *Iuramentum à Christianis quàm alienũ.*

Ita apud Eusebium lib. 6. cap. 4. sub finem, & apud Ruffinum eodem libro cap. 5. nempe illud Domini IESV apud Matthæum, cap. 5. ver. 34. *Ego autem dico vobis, non iurate omnino, neque per cælum* &c. à Christianis summo tunc studio & seruabatur, & ad fidem accedentibus inculcabatur.

*Talia enim multa vidimus* &c.] Origenem in his, quæ iam nunc ex illo citauimus, respectum habuisse ad istos paullò antè laudatos Martyres videtur esse clarissimum; vt verbi gratia ad Basilidem: cùm dicit multos penè inuitos post obiectas seu vigilantibus, seu dormientibus visiones, subitò demutatos fidem poposcisse, & mortem appetiisse: sic & ad istos alios, quibus multis apparuisse S. Potamiænam refert loco proximè citato Eusebius.

Similia habet idem Origenes homiliâ nona in Iudices sub medium, vbi post allata è vetere instrumento femineæ fortitudinis in Debora & Iudithe exempla, descendens ad recentia à se visa: *Ecquid tam longè*, inquit, *nobis antiquorum exempla reuoluimus? ipsi oculis nostris sæpe vidimus mulieres, & virgines primæ adhuc ætatis, pro martyrio tyrannica pertulisse tormenta, quibus ad infirmitatem sexus, nouella adhuc vita fragilitas addebatur.* Quasi dicat: possem vobis quas vidi, & quas ad martyrium animaui, proferre & mulieres viduas, & puellas innuptas, & ex illis, quidem sanctam Marcellam, ex his verò eiusdem sanctæ Marcellæ filiam Potamiænam, & sanctam Rhaidem catheeumenam, atque alias non paucas, quæ mirabili fortitudine, & tormenta grauissima, & mortem acerbissimam, pro sua in Christum fide testanda læto animo pertulerunt. *Origenes fortitudinis mulierum & Virginum testis oculatus.*

# AD CAPVT V.

A. QVÆ hoc cap. de Origenis peregrinationibus narrata sunt, nihil dubij habent, & partim ex ipsomet, partim ex Eusebio & alijs historicis sacris constant.

B. *Quippe vbi S. Alexandro* ] &c. Huius S. Alexandri Episcopi & Martyris vitam seorsum conscripsi, in qua pleniùs memorantur, quæ de ipso breuiter hîc perstringuntur.

C. *Iulianæ virginis & doctrina.* *In certa virginis, cui nomen Iuliana, domum confugit* ] Meminerunt huius Iulianæ, & inuentorum apud illam ab Origene commentariorum Symmachi, Eusebius lib. VI. cap. 14. in Ruffini versione, in Christophorsoni autem, cap. 12. & Nicephorus Callistus lib. 5. cap. 12. Origenis porrò apud eam Virginem latebras à Palladio Helenopoleos Episcopo in Lausiaca historia, cap. CXLVII. sincerè memoratas admittit Baronius ad annum Christi 205. Seueri 11. *De suis latebris*, inquit, *ipsemet Origenes citatur assertor. Recitat enim locum illum sincerè Palladius dum ait: Quædam iterum virgo nomine Iuliana in Cæsariensi Cappadociæ ciuitate, scholasticissima esse, & fidelissima dicebatur* &c. *Palladij in Lausiaca auctoritas.* Pro *scholasticissima*, ( quæ est vox barbara ) in græco exemplari Ioannis Meursij græcè est λογιωτάτη *doctissima*, sed sequens illa vox deest, καὶ πιστοτάτη *& fidelissima.* Quæ tamen vox in emendatioribus est exemplaribus, tam in eo quo vsus est Gentianus Heruetus, quàm in eo quod habuit ille qui bibliothecam SS. Patrum græcolatinam concinnauit: in cuius tomo 2. exstat Palladius cum doctis notis nostri Frontonis Ducæi. Illic cap. 147. inuenies græcè integra omnia & perfecta, quæ in Meursiano exemplari duobus tribusue locis desiderantur, ex librariorum fortassis ( vt ferè fit in editione è codicibus manuscriptis ) nonnulla hallucinatione. Nam Meursius exemplar Palladij græcum primus produxit in lucem, & quidem ex vnico peruetusto codice, vt ait, membranaceo bibliothecæ Palatinæ, vt mirum non sit aliqua incurtisse mēda, sed mirum magis, quòd tam pauca.

# AD CAPVT VI.

IN isto capite descriptum est Origenis admirabile studium obseruandi omnia, quæ à Christo Domino in paginis Euangelij mandata & commendata sunt, & eius vitam, quoad homini licet, quàm proximè imitandi.

Hinc præ ardentissimo perfectæ castitatis studio, sui exsectionem, siue castrationem puro regni cœlorum intuitu, & diuinæ voluntatis exsecutione magno animo aggressus est, errans quidem in verborum Domini intelligentia, sed nō errās in animi( quod in quaque re caput est bonitatis ) sincera intētione; quam omnis eius vita, præsertim in ea ætate & feruore probauit exstitisse rectissimam. Dicit Eusebius Pamphili libro VI. cap. VII. factum hoc. licet imperfecti ac iuuenilis animi, maximum tamen fidei & castimoniæ specimen præbuisse. De ista castratione nihil plus hîc dicam, cùm in exacta disquisitione ( vt illic videri potest ) quæstione tertia, §. 1. plenè tractauerim.

CA-

# AD CAPVT VII.

ORIGENIS ad vrbem Romam profectionem, siue sacram ad Apostolorum limina peregrinationem memorant Eusebius libro 6. cap. 11. iuxta Ruffinum, & cap. 12. iuxta Christophorsonum, & Nicephorus lib. 5. cap. 11. initio.

Eundi caussa fuit desiderium videndæ Romanæ Ecclesiæ, antiquissimæ, & principalissimæ, vt ipsemet Origenes scripsit, teste eodem ita scribente: *Ζεφυρίνου κατὰ τούσδε τοὺς χρόνους τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἡγουμένου ἐπιδημῆσαι τῇ Ῥώμῃ καὶ αὐτός που γράφει λέγων. Εὐξάμενος τὴν Ῥωμαίων ἀρχαιοτάτην ἐκκλησίαν ἰδεῖν. Zephyrino hisce temporibus Romanam gubernante Ecclesiam se profectum esse Romam ipsemet scribit, dicens: In votis cùm habuissem Ecclesiam Romanorum principalissimam videre* &c. Quidam *ἀρχαιοτάτην* reddiderunt *antiquissimam*, sed cùm illa vox vtrumque significet *principalissimam* æquè & *antiquissimam*, accipienda est hoc loco ea significatio, quæ Romanæ magis congruit Ecclesiæ, nimirum *principalissima*. Nec enim æquè illi congruit dici *antiquissimam*, cùm Antiochena ( vbi priùs præsedit Petrus Apostolus ) sit antiquior, itemque Hierosolymitana, vbi Iacobus.

*Nicephori Callisti in historia malignitas.*

Iam verò Nicephorus, quę bene ab Eusebio dicta sunt, non rarò corrumpens, atque Origenis simul & Ecclesiæ Romanæ dignitatem, quantum valet, imminuens, neque mentionem Ecclesiæ hîc fecit, & nomen *ἀρχαιοτάτην principalissimam* subticuit cùm Origenes vtrumque expresserit, vt suprà videre est. Ipse autē initio suprà citati capitis hæc tantùm habet: *τῷ δὲ Ὠριγένει ἔρως ἐνέσκηψε Ζεφυρίνου τῆς ἐκκλησίας ἡγουμένου, τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἰδεῖν. Origenem porrò amor incessit Zephyrino Ecclesiam gubernante videndi Vrbem Romam.* Quasi scilicet eum curiositas, non pietas, & voluptas non vtilitas illuc impulisset. Verùm longè aliter de vtroque, & multò benigniùs scripsit Papirius Massonus lib. 1. de Vrbis Episcopis in Zephyrino; vbi postquàm eundem Zephyrinum laudasset, atque Pontificem excellentissimum, & virum appellasset sanctissimum, ita subiecit: *At mihi profectò incertum est, Origene Romam veniente, vter beatior, Origenes qui Vrbis Episcopum vidit, an verò Zephyrinus, qui humaniter & comiter suscepit Origenem pro Christi caussa profugum, & Leonidis constantissimi Martyris filium.*

*Zephyrini Papæ Sanctitas, & erga Origenem humanitas.*

De hoc Romam itinere sub Zephyrino Papa meminit etiam Hieronymus, in lib. de Scriptoribus Eccles. in Origene. Quoto autem restrictè Zephyrini anno illuc peruenerit, in nullo me antiquorū legere memini. Putat Baronius peruenisse Zephyrini 18. & Antonini Heliogobali 1. quos annos iungit cum Christi Domini 220. Mihi verò magis probatur ea opinio, quæ assignat quinque annis priùs, hoc est, Christi 215. Antonini Caracallæ 3. Zephyrini 13. Hæc enim magis congruit narrationi Eusebianæ lib. 6. historiæ cap. 12. & ordini peregrinationum Origenis, qui primò in Cappadociam tetendit, etiam tum imperante Seuero, & persecutione perdurante, vti scripsimus suprà, cap. 5. Inde post duorum annorum in vrbe Cæsareâ apud Iulianam virginem latebras, Alexandriam reuersus scholam resumpsit catecheseos, in eaque mirè floruit vsque ad annum Domini 215. Zephyrini Papæ 13. Antonini Caracallæ Imperat. 3. quo anno in Italiam profectus est, & Romæ aliquantisper commoratus. Inde autem cùm redijsset, & annos aliquot Alexandriæ consuetis studiis maximâ cùm laude impendisset, tum ipse Præsidis Arabiæ litte-

*Peregrinationes Origenis.*

*Prima Origenis peregrinatio ex Alexandria Ægypti in Cappadociā.*

*Secunda ex Ægypto Romam.*

*Tertia ex Ægypto in Arabiam.*

litteris ad se, & ad Demetrium Episcopum, & ad Ægypti Præfectum scriptis euocatus, in Arabiam contendit, rebusque ob quas ierat properè prospereque confectis, ad sua remigrauit; sed ibi exorto post non multum temporis ciuili bello haud diu hæsit, verùm in Palæstinam se contulit, & Cæsareæ cœtus habuit, & ab Episcopis qui inibi erât rogatus fuit, vt coram ipsis in Ecclesia disputaret, ac sacras Scripturas explicaret. Quod tam gloriosè, & tamdiu fecit, donec Demetrius inuidia alieni boni tactus, missis litteris & Diacono, instirit vt rediret. Quod & obtinuit. Post has omnes peregrinationes eo quo posui ordine narratas, & partim sub Seuero, partim sub Antonino Caracalla, & huius successore Macrino peractas, subdit demùm lib. 6. cap. 15. Eusebius hoc modo: *Antonino, cū 7. annos & sex menses regnasset, successit Macrinus, quo quidem ad annum eo perfungente, alius iterum Antoninus* [ Heliogabalus scilicet ] *imperium capessit. Primo anno eius regni Zephyrinus Pontifex Romanorum, vbi decem & octo annos continuos Ecclesiæ ministerium procurauit, vitam cum morte commutat.* Iam porrò quis dubitare potest, quin omnia suprà dicta Origenis itinera, & illud potissimè quod Romam institutum est, ante tempora Antonini illius posterioris, siue Heliogobali, peracta sint? Nam quæ sub hoc Heliogobalo & sequentibus Impp. acciderunt, dehinc persequitur Eusebius, nulla in posterum illius Romani itineris facta mentione. Quæ mirum est nō diligentiùs attendisse Scriptorem Annalium, quando dixit se putare Romanū illud iter initum esse anno primo Heliogobali, seu ( vt ipse ex nummis vocat ) Elagabali.

*Quarta ex Ægypto Cæsaream Palæstina.*

Atque vt inchoatam peregrinationum Origenis seriem prosequamur, post reuersionem eius è Palæstina in Ægyptum, & aliquantam inibi habitationē, & complurium librorum conscriptionem, quinta inde peregrinatio fuit in Syriam accersitu Mammææ, matris Alexandri Seueri, Imp. quæ Antiochiæ tùm degebat, famamque virtutis ac doctrinæ Origenis latè dispersam audiuerat, proptereaque illum videre & audire differentem peroptabat. Voti ergo compotem eam fecit, & inde aliquanto pòst Alexandriam rebus feliciter peractis remigrauit.

*Quinta ex Ægypto Antiochiam Syria.*

Sexta dehinc peregrinatio fuit, cùm Alexandria in Græciam, necessitate cuiusdam negotij Ecclesiastici flagitante, per Palæstinam profectus est. Tum autem qui Cæsareæ erant Episcopi, eum aliquamdiu apud se detinentes crearunt Sacerdotem, sicque in Græciam dimiserunt. Quod quia Demetrio Episcopo Alexandrino non præmonito factum est, ingentes contra Origenem motus excitati sunt.

*Sexta Alexādria in Græciam per Palæstinam.*

E Græcia iterum reuersus in Ægyptum, superstite adhuc Demetrio Episcopo, ibidem eximiè claruit: deinde Alexandria Cæsaream Palæstinæ transijt annos natus circiter 48. relicta auditori suo Heraclæ Catecheseos schola. Qui Heraclas, mortuo non diu post Origenis abscessum Demetrio, in Episcopatū successit, Dionysius autem alter ex Origenis primoribus discipulis, loco Heraclæ in Magisterium Catecheseos, & post aliquot annos itidem in Episcopatum promotus est.

*Septima post reditum è Græcia alexandriam, inde rursus transmigratio in Palæstinam, & Cæsarea habitatio.*

A Cæsarea Palæstinæ ( vbi præcipuum dehinc habuit domicilium, & vbi annos 5. integros Gregorium Thaumaturgum & Athenodorum eius fratrem, ambos postea Episcopos, Philosophiam & Theologiam perdocuit ) rursus in Græciam est profectus, & Athenis quidem plusculum demoratus. Nam aliquos ibi in Scripturam commentarios scripsit & edidit, vt credibile sit vnum saltem ibi annum degisse, & tunc ætatis attigisse quinquagesimum quartum, vel aliquantò amplius. Athenis autem Cæsaream Palæstinæ regressus, ibi cōmentariorum libros V. in Canticum canticorum composuit, quos addidit alijs totidem, quos Athenis exararat, ita vt fuerint decem numero.

*Octaua è Palæstina iterū in Græciam, & præcipuè Athenas.*

Post

Post hæc inuitatu S. Firmiliani Cæsareæ Cappadociæ tunc Episcopi, altera nunc vice abijt in Cappadociam, & illic aliquamdiu detentus fuit, testibus Eusebio & Hieronymo. Est autem vero quàm simillimum, eodem itinere transeuntem per Bithyniam, aliquanto tempore demoratum Nicomediæ. Nam ibi egregiam illam epistolam, pro vindicanda Scripturis sacris historia Susannę, scriptā capite 13. Danielis, composuit, quam ad Iulium Africanum, insignē eiusdem sæculi Scriptorem misit. De qua agit Eusebius lib. 6. cap. 24.

*Nona peregrinatio fuit in Cappadociam.*

Profectus est deinde in Arabiam ad Concilium Episcoporum, qui contra Beryllum nonnullis infectum erroribus, quos pertinaciter defendebat, in vnum conuenerāt, accito itidem ob eruditionis eximiæ famam Origene, qui illum disputando conuicit, & conuertit. Quod imperante Gordiano factum est, præsidente Romanæ Ecclesiæ S. Fabiano, Alexandrinæ autem S. Heracla.

*Decima in Arabiam ad coru[m] (?) rationem Berylli Boſtrorum Episcopi in hæresim lapsi.*

Ordine vndecima ijsdē Ecclesiarū præsidibus, sed duobus Philippis regnantibus, constituitur Romana profectio, cùm Romæ Plotinum Philosophum docentem in Athenęo, auditum iuit, & à dicente multùm honoratus est. De hac profectione agit Baronius anno Christi 248. Fabiani Papæ decimo, Philippi tertio.

*Vndecima peregrinatio fuit altera vice Romam sub Fabiano Papa.*

Duodecima fuit, cùm ijsdem Philippis regnantibus orta noua hæresi in Arabia, rursus illò se transtulit, & conuentui Episcoporum interfuit, hæresimque exstinxit. De qua re scribit Eusebius lib. 6. cap. 30.

*Duodecima iterum in Arabiam.*

Decima tertia & postrema in Phœniciam & vrbem Tyrum, vbi grauissima pro fide in Christum passus tormenta, illustris meruit nomen Confessoris.

*XIII. in Phœniciā & vrbem Tyrum.*

Cùm autem Eusebius eodem lib. cap. vigesimo nono scripserit Origenem tempore imperij duorum Philipporum excessisse ānum ætatis sexagesimum, nec appareat vllum vestigium, quo probetur ante hoc tempus Origenem in Phœniciam esse profectum, & in vrbe Tyro (quæ regionis caput erat) posuisse domicilium; hinc disci potest, quàm absit à vero id quod in Epiphanio scriptum reperitur, hæresi 64. & in libro de mensuris & ponderibus, eundem Origenem annos vinginti octo Tyri habitasse; cùm ne octo quidem anni istius habitationis queant reperiri, si quidem considerentur tempora quibus alibi certò habitauit, & docuit, & scripsit.

*Epiphanij opinio de annis Origenis in vrbe Tyro prorsùs improbabilis.*

Nam multò credibilius est ipsum Alexandriæ annos 28. docuisse & scripsisse quàm Tyri: quibus si addantur octodecim quos ha[b]ebat, antequam ludum aperiret, fiunt 46. longè item verisimilius est eum quoque diutiùs habitasse Cæsareæ Palæstinę quàm Tyri, (de diuturna enim illic habitatione scripsit Eusebius certissimò, Tyri autem ne meminit quidem) & tamen Cæsareę non plus videtur habitasse, quàm annos sedecim, quibus si addas duos in Cappadocia, & vnum alterúmue Athenis, quantillum restabit vsque ad annum eius ætatis 69? Illo enim anno obiit Tyri, Gallo & Volusiano imperantibus, vt scribit Eusebius lib. 7. cap. 1. & ex illo Hieronymus in lib. de Scriptoribus, in Origene, & alij post illos.

Denique nihil video afferri probabilius posse, quàm Origenem extremis vitæ suæ temporibus, & exacto ætatis saltem sexagesimo secundo aut tertio, seu inuitatum à Phœniciæ Episcopis, seu alia quacumque de caussa illuc contendisse, ibique annos aliquot degisse, demumque exorta persecutione Deciana, ipsum ibidem tanquam notissimum fidei Christianæ præconem, & propagatorem, & Philippis Imperatoribus propterea carum, sed Decio perquam exosum, à Decij Christianorum inimicissimi satellitibus comprehensum, & dirissimè tortum, reliquum ætatis (quod fuit vnius alteriusue anni) illic transegisse,

egisse, ibidémque mortuum & sepultum esse.

Hactenus de præcipuis Adamantij nostri peregrinationibus, ex occasione illius, quæ Romam ad principalem Ecclesiam, inspectionis & venerationis & sacræ rituum disciplinæ caussa, præsidenre inibi sancto Zephyrino est instituta, quàm licuit breuissimè & fidelissimè dictum sit.

b *Meminerat enim Victore Pont.* &c. ] De quæstionibus Victore Pont. agitatis super die celebrandi Paschatis, & super forma quadragesimalis ieiunij, multa tractaui tomo 2. Illustrium Orientalis Ecclesię Scriptorum, in vita sancti Irenæi cap. 11. & in notationibus ad idem caput. Nihil igitur hîc necesse est ampliùs.

c *Grauis interuenit de noua prophetia disceptatio* &c. ] Huius disceptationis mentionem facit Eusebius lib. 6. cap. 14. his ferè verbis: *Disputatio porrò Caij viri eloquentissimi Romæ, Zephyrino Romam regente, contra Proclum erroris Phrygum propugnatorem habita ad nos peruenit: in qua & aduersariorũ temeritatẽ & audaciam in nouis scripturis contexendis reprimit, refutátque,* &c.

Itidem & Hieronymus lib. de Scriptoribus, cap. 59. sic scribit: *Caius sub Zephyrino Romanæ vrbis Episcopo, id est, sub Antonino Seueri filio disputationem aduersus Proclum Montani sectatorem, valde insignem habuit, arguens eum temeritatis super nouâ prophetia defendenda* &c.

Noua prophetia vocatur, eò quòd nouissimè, & illo ipso Christi sæculo dicebant Montanum accepisse Spiritum sanctum, & donum prophetiæ abundantius quàm Apostolos: qui à Montano dicti sunt Montanistæ in Africa, in Asia autem Κατὰ Φρύγας, secundùm Phryges, & Pepuziani, à Pepuza loco Phrygiæ. De his egi fusiùs tomo 2. in vita S. Apollinaris, cap. 2. & in Notationibus ad idem caput.

# AD CAPVT VIII.

QVOD in illo capite allatum est de præstantia Origenis in omni literatura, tam sacra, quàm profana, testatissimum est ex ijs, quę de illo scripserunt Auctores tam sacri, quàm prophani: è sacris quidem Eusebius Pamphili, S. Hieronymus, Vincentius Lirinẽsis, & alij: è profa[illegible] autem Longinus, Porphyrius, & quidam alij, omnes in philosophia celebres. Videndus Eusebius lib. 6. hist. Eccles. capite 13. Hieronymus lib. de Scriptoribus, cap. 54. vbi hæc inter cetera: *Illud*, inquit, *de immortali eius ingenio non tacens, quòd Dialecticam quoque, & Geometriam, & Astronomiam & Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, & Rhetoricam, omniúmque Philosophorum sectas ita didicit, vt studiosos quoque sæcularium litterarum sectatores haberet, interpretaretúrque eis quotidie, concursúsque ad eum miri fierent: quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione sæcularis litteraturæ, in fide Christi eos institueret.*

Hæc sunt verba Hieronymi & verissima. Ista autem sub nomine Iustiniani Imp. in epistolâ ad Ecclesiæ Patriarchas contra Origenem cẽyclicâ, sunt falsissima, & à patre mendacij insufflata: hæc inquam, initio illius epistolæ: *Origenes*, inquit, *ea quæ Pagani, Manichæi, Ariani, aliíque hæretici sentiunt, tradere studuit*, cùm Origenes è contrario. S. Gregorium Thaumaturgum, eiusque fratrem Athenodorum, postea martyrem, plurimósque alios à Paganismo ad fidem cõuerterit. Sed de his Iustiniani mendacijs, fusiùs in nostra veritatis disquisitione, cap. 11.

De Longino, Plotino, Porphyrio videndus est Eunapius Sardianus, libro de vitis philosophorum.

## AD CAPVT IX.

HIC demonstratur insigne Origenis de Ægypto spolium, in conuersione Ambrosij Valentiniani ad fidem catholicam. Erat ille inter suos nobilitate, eruditione, diuitijs, gratia, auctoritate, præpollēs. Quę omnia substrauit Christo & Ecclesiæ Catholicę, postquam Origene docente, veritatem agnouit, & Valentini atque Marcionis fabulas contempsit.

Vixit sanctè, & inter Sanctos recensitus fuit post mortem, diesque eius natalis adscriptus reperitur 17. Martij, apud Vsuardum in additionibus Molani, his verbis: *Alexandriæ natalis S. Ambrosij eiusdem Ecclesiæ Diaconi.* In catalogo autem Philippi Ferrarij annotatur 4. Aprilis, hoc modo: *In Ægypto, sancti Ambrosij Diaconi.* Sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis capite trigesimo sexto, Confessionis dominicæ gloriâ insignem fuisse prædicat.

Hic Ambrosius, vnicus Origenis Magistri sui mæcenas fuit liberalissimus, & meretur vt princeps mæcenatum Ecclesiasticorum appelletur. Quippe qui parem sibi in Ecclesiasticis Scriptoribus adiuuandis non habuerit, seu subministrādis Amanuensibus, seu suppeditādis sūptibus. Vbi enim talis hodie reperiatur Ambrosius? Et talē reperire Ambrosium si difficile sit; quanto magis talem reperire Origenem, qui tot Notarijs laborem, qui tot librarijs assiduā præbeat infractus atque indefessus defatigationem. Et ter quidem felix Origenes, qui tres sanctos viros nactus sit, quales ad sua opera necessarios sperare vix potuit adiutores, nempe hūc Ambrosium Diaconum, qui scripta promoueret; Pamphilum Martyrē, qui impugnata propugnaret, Didymum Videntē, qui ignorata dilucidaret. Enimuero ad alia properantem velut iniecta manu retinet me verecundia. Vereor enim, ne ingrati sit animi, cùm in sermonem de mæcenatibus inciderim, vnius hoc æuo præstantissimi memoriā, cui mirè obligatus sum, silentio præterire. Is est pię recordationis *Antonius de Winghe*, Lætiensis in Hannonia Abbas, Ordinis S. Benedicti, qui Societatis nostræ in Belgio Scriptoribus sacris, fere omnibus, singularem se mæcenatem præstitit, & *ἐργοδιώκτην*: his autem nominatim & simul, *Heriberto Rosvueido, Iacobo Bonfrerio, & mihi*, quibus etiam sumptus pro libris, pro amanuensibus, pro itineribus studiorum caussa suscipiendis, libenter & liberaliter, dum fuit in vita superstes, suppeditauit. *Mecenatis eximij.*

## AD CAPVT X.

IN illo recensita est euocatio Origenis in Arabiam, Fidei caussa & pietatis.

a Est autem Arabia, regio vastissima Asiæ, quam Claudius Ptolæmeus in Tabula 4. Asię describit, & tres in partes diuidit, in Arabiam Desertam, quæ à Septētrione habet Mesopotamiam, & in Arabiam Petræam, quæ Arabiæ Desertę est occidentalis, & in Arabiam Felicem, quæ spectat ad meridiem. Laudem Arabiæ describit Strabo libro XXVI. Geographiæ, & alij, In quam autem Arabiam euocatus sit Origenes, non constat (tacet enim Eusebius, qui euocationem eius conscripsit libro 6. hist. cap. 15. in editione Ruffini) sed hoc saltem constat omnem Arabiam, post ingressum

Origenis longe meliori atque suauiori redoluisse odoris fragrantia, quàm ante illum, quippe ex Christianæ fidei doctrina, & ex sanctissimorum morum adspiratione: quibus nullũ neque thus, neque casia, neq; cinnamomũ certare audeat. Probabilius tamen videtur in Arabiam felicem vocatum esse, vbi minimè dubiũ est, quin ipsius Arabię Præses à Romanis cõstitutus)iũ enim suberat Arabia Romanis, sicut & Ægyptus) domicilium suum habuerit. Ibi enim aura melior & odorifera, ibi solum diuitius ac fertilius, adeóque gemmiferum, ibi homines mitiore ingenio, & moribus cultioribus. Istò igitur Origenem potiùs quàm aliò in fide erudiendus Præses aduocauit. Nam ceteri Arabes semi sunt barbari, inculti, inhumani. Hinc de tali quopiam solẽt Galli dicere; *c'est vn Arab*. Non est porrò credibile plures fuisse tum in omni Arabia Præsides quàm vnum, vt nec in tota Ægypto.

Istum vocat græce Eusebius τῆς ἀραβίας ἡγέμενον, *Arabiæ Præsidem*: hunc autem τῆς Αἰγύπτου ἔπαρχον, *Ægypti Præfectum*. Et misit ille ad hunc quoque litteras de mittendo quàm primùm ad se Origene. Quod fuit indicium vehementis desiderij, quo ardebat tam percipiendæ veræ doctrinæ, quàm videndi Origenis, cui præter omnimodæ scientiæ præstantiam, singularis inerat in conuersatione familiari gratia. Quod ipsemet fecit testatissimum, quando nobiles duos iuuenes aliò missos, & prorsus alia cogitantes, apud se toto quinquennio detinuit, itineris sui vlterioris oblitos, & ab omni infidelitatis errore expurgatos sanctæ Ecclesiæ aggregauit, talésque effecit, quales ipsos cap. 14. vitæ huius suprà descripsimus.

b *Quod de S. Hippolyto refertur* &c. ] S. Hieronymus in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 61. in recensione librorum S. Hippolyti, recenset inter alios, homiliam de laude Domini saluatoris, & addit: *in qua præsente Origene se loqui in Ecclesia significat*. Tum etiam subijcit continenter, quod in vtriusque tam Origenis, quàm Hippolyti redundat laudem, *In huius*, inquit, *æmulationem Ambrosius, quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem in Scripturas commentarios scribere, præbens ei septem & eo amplius Notarios, eorúmque expensas, & his librariorum parem numerum: quodque bis maius est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigẽs. Vnde in quadã epistola ἐργοδιώκτην eũ Origenes vocat*. Sic ibi. Vtinã autẽ & illã & alias eius epistolas, quas scripsit plurimas, & præsertim quas ad Philippum Imp. & ad matrẽ eius misit, haberemus, quas ætate sua exstitisse indicauit Hieronymus lib. de Scrip.

# AD CAPVT X.

QVOD in eo capite de Origenis peregrinatione ad loca sancta Palæstinę agitur, id ad antiquam & cunctis vsitatam à Christi ascensione sæculis pietatem ac deuotionem pertinere certum est. Et quod hæretici quidam tales reprehendunt seu virorum, seu feminarum peregrinationes, mirus stupor est, & impietas mera. Hanc grauiter ac fortiter redarguerunt multi Sanctorum Patrum non minus exẽplis suis quàm scriptis. Non colligam eorum numerosas auctoritates, quas collegerunt è nostris non pauci, ac pręcipuè duo in terris suis egregij Scriptores, Petrus Cottonus in Gallia, Iacobus Gretserus in Germania, sed vnum pro omnibus & præ omnibus admodum luculentum proferre satis sit S. Hieronymi testimoniũ. Cuius hæc sunt verba ad nostrum propositum planè aurea: *Longum est*, inquit, *ab Ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporũ, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se Religionis, minus habere scientiæ, nec summam*

*vt*

*vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primùm, euangelium de patibulo coruscauerat. Certè, si præclarus Orator reprehendendum nescio quem putat, quòd litteras Græcas non Athenis, sed Lilybæis Latinas non Romæ, sed in Sicilia didicerat ( quòd videlicet vnaquæque prouincia habeat aliquid proprium, quod alia æquè habere non possit ) cur nos putamus absque Athenis nostris quemquam ad studiorum fastigia peruenisse? Nec hoc dicimus, quòd renuamus regnum Dei intra nos esse, & sanctos viros etiam esse in ceteris regionibus sed quò hoc asseramus vel maximè eos, qui in toto orbe sunt primi, huc pariter congregari. Ad qua nos loca non vt primi, sed vt extremi venimus, vt primos in eis omniũ gentium cerneremus. Certè flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, Monachorum & virginum chorus est. Quicumque in Gallia fuerit primus, huc properat. Diuisus ab orbe nostro Britannus, si in Religione processerit, occiduo sole dimisso quærit locum famâ sibi tantùm & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Persas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipsámque iuxtà Ægyptum fertilem Monachorum, Pontum & Cappadociam, Syriam Cœlen & Mesopotamiam, cunctáque Orientis examina?* &c. quæ scilicet ad hæc sacra loca peregrinantur, aut voti, aut pietatis gratiâ: sicut S. Alexander tunc Hierosolymorum Episcopus diuino electus suffragio: sicut Origenes ab eodem Alexandro peramicè & perhonorificè exceptus, & Sacerdotio donatus: sicut S. Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, *qui etiam sub occasione sanctorum locorum* ( verba sunt Hieronymi in Scriptoribus Ecclesiasticis ) *in Palæstinam veniens diu Cæsareæ in sacris Scripturis ab eo eruditus est*: sicut hi, inquam, & multi alij, de quibus nos in ipsorum vitis scripsimus, ad eadem loca peregrinati sunt.

*Peregrinationes ad loca sancta Palæstinæ commendatæ & defensæ.*

*Monachorum & Virginum laus eximia.*

b *Igitur illum neque dum Sacerdotem* &c. ] Nihil in hoc deliquisse Origenem videre erit in exactà disquisitione infrà posita, quæstione tertia §. 2.

c *Et Origenis abscissionem*, &c. ] De illa, præter ea, quæ cap. VI vitæ suprà perstrinxi, ea legi possunt, quæ in Disquisitione habentur fusè pertractata, quæstione 3. §. primo, in responsione ad primam obiectionem contra vitam.

*Multæ inter Antistites & in omnibus ferè sæculis* &c. ] Occasionem dissensionum inter Episcopos Catholicos attulit non exiguam multiplicatio Episcopatuum, & prouinciarum, quæ ipsis attribuebantur, alia atque alia diuisio, & incerti aut facilè variabiles earum termini. Nam vnusquisque pro amplificandæ religionis studio dilatare fines suos, & vltrà semper tendere, ac nouos sibi neophytos aggregare laborabat. Hinc inter vicinos Episcopos de locis intermedijs nasci contentiones, & diuersa pro ordinationibus studia & æmulationes, vt ęgerrimè interdum ferrent ab alienis eos, quos credebant suos, ordinari; aut aliquos in diœcesi non suâ, quæ sunt muneris Episcopalis sine proprij concessu Episcopi vsurpare. Notum est suscitatum ea re inter Epiphanium Salaminæ & Ioannem Hierosolymorum Antistites dissidium, & rursus inter eundem Epiphanium & Ioannem Chrysostomũ, de quibus infrà in exactà disquisitione fusiùs, quæst. 9.

Fuit & de diœcesibus, earúmque terminis inter Maximum Antiochiæ Syriæ, & Iuuenalem Hierosolymorum Episcopos, quod tempore Concilij Chalcedonensis, cui ambo intererant, magno omniũ gaudio finitum est, ipsismet Maximo & Iuuenali vltro inter se ita conuenientibus, vt Sedes Antiochena duas haberet Phœnicias & Arabiam, Sedes autem Hierosolymitana tres Palęstinas. Qua de re, tota est actio 7. Concilij, sed breuissima. Cùm enim Iudices paucis exposuissent in Concilio, vtriusque Episcopi voluntatem vnanimem de ineunda isto pacto concordia, & de ea ab Imper. Marciano & omni Concilio probanda atque confirmanda; tum Maximus surrexit & dixit: *Placuit*

*euit mihi & R. Episcopo Iuuenali post multam contentionem, perconsensum vt Sedes quidē Antiochensiū maxima ciuitatis B. Petri habeat duas Phœnicias & Arabiam: Sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palæstinas, & rogamus & decreto vestra magnificentiæ, & sancti Concilij hac scripto confirmari.* Tū & Iuuenalis Episcopus, *Hæc etiam*, inquit, *mihi complacuerunt, vt sancta quidem Christi Resurrectio tres Palæstinas habeat: Sedes autem Antiochensium duas Phœnicias & Arabiam. Et rogo quatenus ex decreto vestra magnificentiæ & sancti Concilij ista firmentur.* Tum Legati tres Leonis Papæ per Paschasinum sententiam dixerunt & concordiam approbarunt. Tum & alij idem dixerunt, primò Patriarchæ & præcipui Archiepiscopi: Deinde reliqui omnes Episcopi clamauerūt: *Nos etiam eadem dicimus, & consentimus his, quæ à Patribus dicta sunt.* Denique magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt. *Et hoc opus fuit sanctæ Trinitatis, & propositi diuinissimi Imperatoris nostri, vt ea quæ in lite erant apud eos, qui contendere videbantur, concordi proposito deciderentur.* Sic ibi.

Vtinam porrò simili facilitate & felicitate omnia Imperatorum, Regum, Principum, Magnatum inter se dissidia, secundo Spiritus sancti fauonio in optabilem toti Ecclesiæ pacem ac concordiam Superis plaudentibus resoluantur.

# AD CAPVT XII.

QVÆ hoc capite continentur de reditu Origenis Alexandriam, & de scriptis inibi commentarijs, partim ex ipsomet, partim ex Eusebio desumpta sunt.

Egregium autē illud factū, quòd cùm missus esset ante fanū Serapidis vt superstitioso ritu ramos distribueret hominibus ad idolorum cultum ascendentibus, ipse illos è contrario, diuini cultus cōmonuerit & se Christianum ostēderit: egregium, inquam, illud factum memorat Epiphanius hæresi 64. initio. *Multa*, inquit, *pro sancta fidei doctrina, & Christi nomine passus dicitur. Quippe sæpius per vrbē tractus, & conuitijs affectus, & atrocibus tormentis subiectus fuit. Quin & illum aliquando Gentiles adrasum, pro gradibus templi Serapidis (sic idolum suum vocabant) constituerunt, & ramos palmarum ad impios ritus exequendos, & idolo supplicandū ascendētibus porrigere iusserunt. Tali enim habitu istorum idolorum sacrificuli vtebantur. At vero Origenes acceptis ramis, magna voce & confidenti animo, nihil neque veritus, neque dubitans clamabat dicens: Adeste, adeste, accipite non idolij ramum, sed ramum Christi.* Ita Epiphanius. Porrò ad capitis rasionē quod attinet, eā in sacris Serapidis, & Isidis, qui erant Ægyptiorum Dij (quorū ille cęlū, hęc terram significabat, iuxta Marcum Varronem) vsurpari solitam veteres Auctores iudicant: & ipse S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus obiter attigit in epistola, Sabino Episcopo, cùm inter laudes S. Paullini & vxoris eius Therasiæ, qui perfectioris vitæ studio vestem mutauerant, proceribus Gētilibus id improbātibus, ita dixit: *Et cùm ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra: si forte Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant.* Sic ibi.

Sub finem huius 12. capitis notati sunt libri, quos Origenes dictauit Alexandriæ degens, priusquàm domicilium transferret Cæsaream Palæstinæ: inter quos sunt & libri περὶ ἀρχῶν *De principijs.* Quos Cæsar Baronius, Eusebij vitiatum Interpretem secutus, credit alibi quàm Alexandriæ compositos, dum tomo secundo annalium, ad annū Christi 232. ita scripsit: *Porrò libros de principijs priusquàm Alexandriam demigraret, scripsit.* Quomodo totidem

ver-

verbis habet Ioannes Christophorsonus lib. 6. Eusebij, cap. 18. at verò Græca Eusebij sic habent: Ου μὴν, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ ἀρχῶν πρὸ τῆς ἀπ᾽ ἀλεξανδρείας μεταναστάσεως γράφει. Quæ procul dubio sic vertẽda sunt: *Verum enimuerò etiã libros de principiis ante demigrationem ab Alexandria perscribit.* Crediderim tamen nullam fuisse Christophorsoni hoc loco culpam, sed typographi, qui vnica addita litteta accusatiuum fecerit pro ablatiuo, cùm Christophorsonus scripsisset: *priusquàm Alexandria demigraret.* Tales multi errores, dum græca examinantur, facilè deteguntur. Adeo iuuat ad fontes ipsos recurrere.

*Euseb. lib. 6. hist. c. 18.*

# AD CAPVT XIII.

DESCRIPTA fuit hoc capite honorifica Origenis in Syriam euocatio à Mammæâ, Alexandri Seueri Imp. matre, cui & eius filio Imp. tam salutaria infudit Origenes religionis Christianæ documenta, vt ambo vitam valde integram, & rectæ fidei admodum consentaneam, traduxerint. Quin ipse Imperator omnes, qui ipsum præcesserunt Imperatores, omni virtutum genere, longissimo spatio antecessit: vt non modò Gentilium Impp. sed etiam Christianorum non paucorum possit videri exemplar haud contemnendum. Notaui quidem multa in dicto capite 13, vitæ Origenis, Imperatoribus Christianis imitatione digna, sed multò plura reperiet, qui omnem vitam eiusdem Alexandri Seueri Imp. à Lampridio scriptam attentè perlegerit. De ipso autem & eius matre Mammæâ hæc breuiter Paullus Orosius lib. 7. cap. 18. in fine. *Anno*, inquit, *ab Vrbe condita nõgentesimo septuagesimoquarto Aurelius, Alexander, vicesimus primus ab Augusto, Senatus ac militum voluntate Imperator creatus, tredecim annis digno æquitatis præconio fuit. Cuius mater Mammæa Christiana, Origenem Presbyterum audire curauit.* Sic ille.

Eandem Mammæam Christianam fuisse, & ab Origene instructam consentit etiam Casaubonus ad vitam eiusdẽ Alexandri, per Lampridiũ, vbi ad vocem *Christum* sic notauit: *Cuius notitiam habuit per matrem, quam Christianæ religionis mysterijs initiatam, & ab Origene constat informatam.*

*Taberna meritoria* ] De loco Romæ sic vocato, tempore ipsius Augusti Imp. primus, quod sciam, è Christianis meminit Paullus Orosius S. Augustini æqualis, lib. 6. hist. cap. 26. qui eo tempore, quo Augustus Imp. solus regnare cœpit, fontem olei largissimum de *Taberna meritoria* per totum diem fluxisse memorat. Quod prodigium Christi nasciturі fuisse præsagium interpretatur his verbis: *Quo signo*, inquit, *quid euidentiùs, quàm in diebus Cæsaris toto orbe regnantis, futura Christi natiuitas declarata est. Christus enim lingua gentis eius, in qua natus est, vnctus interpretatur. Itaque cùm eo tempore, quo Cæsari perpetua Tribunitia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem fluxit sub principatu Cæsaris. Romanoque imperio per totum diem, hoc est, per omne Romani tempus imperij, Christum, & ex eo Christianos, id est, vnctum, & ex eo vnctos de meritoria taberna, hoc est, de hospita, largaque Ecclesia affluenter atque incessabiliter processuros* &c. Istam autem *Tabernam Meritoriam*, fuisse locum illum, de quo Christiani postea cum popinarijs litigarunt, & quem huius Alexandri Seueri Imp. rescripto obtinuerunt, sensit & scripsit doctissimus Baronius ad annum Christi 224. & Callisti Papæ 4. Cui ego pronus assentior.

# AD CAPVT XIV.

IN hoc capite continetur insignis gloria Origenis in conuersione duorum nobilium adolescentum ad Christi fidem, nempe Sancti Gregorij Thaumaturgi, & S. Athenodori eius fratris: quam conuersionē collegi potissimè ex ipsiusmet Thaumaturgi panegyri habita coram Origene, & omnium eius auditorum, consessu, quæ etiamnum exstat græcè, vt ab eo habita est, & latinè ex versione Gerardi Vossij Præpositi Ecclesiæ Tungrensis.

Notanda porrò est mira Nicephori Callisti oscitantia, qui duos nobis pro vno obtrudit Theodoros. Nam Eusebius lib. 6. cap. 23. (vnde iste sua desumpsit, sola eius phrasi commutata) vnicum dumtaxat nominat Theodorum, qui & Gregorius dictus sit, & Athenodorum eius fratrē. Sic & Ruffinus Presbyter, Eusebij primus interpres, & qui eum secuti sunt. Nicephorus autem lib. 5. cap. 20. de discipulis loquens Origenis. *Inter quos*, inquit, *præclariores fuere Theodorus, qui in Palæstina cum magna gloria sacerdotio est functus, & Athenodorus, atque huius frater Theodorus, qui etiam Gregorius, atque insuper mirificus est cognominatus*, &c.

Atqui prior ille Theodorus sacerdotio in Palæstina functus, planè nullus fuit, sed tantùm ex hallucinatione Nicephori adiectus. Qui & in hoc quoque ibidem errauit, quòd subdat Dionysium Alexandrinum fuisse vnà cum illis duobus fratribus, Cæsareæ Palæstinæ auditorem Origenis, quod nunquam factum est. Nam constat illum Dionysium illo tempore, quo ambo fratres studebant Cæsareę, relictum fuisse Alexandriæ, & cùm Heraclas successit Origeni, Dionysium successisse Heraclæ, & hos duos nusquam alibi auditores fuisse Origenis, nisi Alexandriæ, vbi etiam postea alter post alterum fuerunt Episcopi.

De S. Gregorio Thaumaturgo, & eius fratre Athenodoro pluribus agetur in eiusdem Gregorij vita: tantùm hîc dico nullam Origeni tam felicem piscationem, dum Cæsareæ Palæstinæ egit, obtigisse. Sed Sancto Delphino Burdegalensi in Gallia Episcopo haud absimilem duorum fratrum piscationē obuenisse reperio. Nam iste Delphinus, velut reti quodem humanorum piscium, duos itidem germanos fratres è turbido mundi huius Oceano extractos in Christi sagenam induxit, nempe Paullinum, postea Nolæ Episcopum sanctissimum, & eius fratrē, cuius beneficij haud immemor ipse Paullinus se Delphini filium prædicauit, & insignis ipse Delphinus euasit.

Ipse, inquam, Paullinus epistola ad dictum Delphinum 2. & 5. istius beneficij in se & fratrem collati commeminit ita scribens: *Meminerimus nos ab vtero terræ & cognationis nostræ segregatos, Delphini filios esse factos, vt efficeremur illi pisces, qui perambulant semitas maris. Meminerimus te non solum patrem, sed & Petrum nobis esse factum: quia tu misisti hamum ad me profundis & amaris huius sæculi fluctibus extrahendum, vt captura salutis efficerer, & cui viuebam natura morerer: vt cui mortuus eram, viuerem Domino.* Sic in 2. epistola. In 5. autem pro fratre tum mortuo eiusdem S. Delphini preces efflagitans. *Meminisse digneris*, inquit, *& illum quondam spiritalem tibi filium gratia Dei fuisse progenitum, & ideo tuæ specialiter curæ hanc esse caussam, ne pietatem tuam, quæ nobis filijs gloriabatur, dilapidata hereditariæ portionis substantia confundamus.* Sic ibi.

# AD CAPVT XV.

A HIC describitur Maximini Thracis persecutio. Natus est in Thracia, sed in vico Barbaris vicino, vnde & semibarbarus appellatus. Statura fuit maxima, & maximis viribus, & in Alexandri Seueri Imp. amicos & familiares, viros probos & continétes, Christianos præsertim, sæuus quàm maximè. Hos enim quantùm diligebat Alexander, tantùm ipse oderat. Quamuis ipsum maximi fecisset Alexander, & ad primos ordines promouisset, in hoc parùm cautus, quòd homini moribus barbaro, & cuius filio dare sororem suam, quia Barbaro, dubitabat, totum Imperij Romani exercitum commiserit. Tyranni illius & barbari immanitatem, post aliquantas dotes militares, sic in ipsius vita demonstrat Iulius Capitolinus ante medium: *Sed inter has virtutes tam crudelis fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Busiridem, alij Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, vel Gygem, vocarent.* Isti autem omnes intolerabili arrogantia, & immanitate inusitata perquam famosi fuerunt.

Et paulò post: *Erat enim ei persuasum, nisi crudelitate, imperium non teneri.* Et infrà: *Neque enim fuit crudelius animal in terris: omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi.* &c. Et paullò inferiùs: *Præterea omnes Alexandri ministros varijs modis interemit.*

B *Duo summi Pontifices, Pontianus primò, deinde Anterus*] Hi Pontifices (tametsi de Pontiano aliter quidam senserint) in persecutione Maximini Imp. martyrium passi sunt. De Pontiano quidem (multa enim de Antero est controuersia) colligitur tam ex historia Eusebij lib. 6. cap. 21. & 22. quàm ex eius chronico, vbi clarè indicat imperante Alexandro Seuero (qui adeo fauebat Christianis, vt multos ex iis in sua foueret familia) pacem ac tranquillitatem magnam fuisse in Ecclesia: sed illo interempto, grauem protinus à Maximino Tyranno concitatam aduersus Christianos persecutionem.

Sic enim dicto cap. 21. scribit de Maximino. *Qui propter grauem inuidiam,* inquit, *qua contra Alexandri familiam (in qua multi fideles & Christiani versabantur) flagrabat, acerbam persecutionis tempestatem concitauit, iussitque solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores doctrinæ Euangelicæ, neci dari.*

Per Præsides autem Ecclesiarum intelliguntur 1. summi Pontifices, è quibus tunc fuerunt (vt cap. 22. indicat idem Eusebius) Pontianus & Anterus. 2. Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, è quibus itidē duo, Ambrosius & Protoctetus plurima passi sunt: de quibus paullò pòst agemus.

Quòd Pontianus Pontifex minimè passus sit sub Alexandro, inde quoque fortius sumitur argumentum, quòd S. Firmilianus Eusebio antiquior, & ipsius Origenis discipulus, & qui ætate Pontiani vixit, testetur in epistola ad S. Cyprianum data, magnam longámque Alexandri temporibus pacem in Ecclesia floruisse: quod certè non diceret, si idem Imperator Pontificem ipsum, supremum Ecclesiæ caput, vel exsilio, vel morte multasset.

Verba Firmiliani in epistola 75. inter epistolas Cypriani sunt: *Ante viginti & duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imp. multæ istic conflictationes & pressuræ fuerunt, vel in commune omnibus hominibus, vel priuatim Christianis. Terræ etiam motus plurimi & frequentes exstiterunt, vt per Cappadociam & per Pontum multa subruerent, quædam etiam ciuitates in profundum receptæ, dirupti soli hiatu deuorarentur, vt ex hoc persecutio quoque grauis aduersum nos Christiani*

*ni nominis fuerit. Quæ post longam retro ætatis pacem repentè oborta de inopinato, & insueto malo, ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est.* Sic ibi.

In quibus verbis notandum, quòd dicat grauem persecutionem Christiani nominis post longam retrò pacem repente obortam: quia scilicet à persecutione Seueri Imp. in qua Leonides pater Origenis obtruncatus est, vsque ad Maximinum Tyrannum, qui Alexandrò successit, nulla fuit persecutio: sed iste Maximinus tanquam subitus turbo pacem turbauit. Nam medij inter ipsum & Seuerum Impp. hoc est, Antoninus Caracalla, Macrinus, M. Aurelius Antoninus Heliogabalus, & præsertim Alexander Mammææ filius, passi sunt esse Christianos. De hoc enim nominatim expressit Lampridius in eius vita his verbis; *Iudæis priuilegia reseruauit: Christianos esse passus est.* Non tantum autem esse passus est, sed illis fauit, eos fouit ac defendit. Quidni enim? cùm & matrem haberet Christianam, & vnicè eam diligeret, & ex eius consilio omnia ageret, quippe mulieris sanctissimæ & sapientissimæ, & in cuius honorem puellas & pueros Mammæanas & Mammæanos instituit. Quos ipsa procul dubio tanquam Christiana, vel reperit Christianos, vel peperit. Quis autem credat aut talis matris filium in Christianum quempiam, eo nomine quòd esset Christianus, nedum in ipsum totius Ecclesiæ caput, aliquid supplicij statuere potuisse, aut etiam ab vllo Magistratu statui permisisse, aut denique quemquam sub tali Imp. id ausum esse? Nec enim ignorare quisquam potuit, quo in Christianos animo esset Alexander, cùm nonnulli propter eius nimium, vt credebant, erga illos studium, non vererentur ipsum ἀρχιερέα appellitare.

Miror equidem virum doctum, & qui aliàs veterum martyrologiorum auctoritatem magni facit, hac in re & ab illis, & ab antiquis Scriptoribus ita discessisse, vt ipsũ Pontianũ Pontificẽ ab Alexandro Seuero, tametsi Christianorum fautore, & non à Maximino tyrãno eorum osore, & manifestissimo persecutore, relegatum occisumque diceret. Antiquissimum omnium martyrologium quod vetus nunc appellatur, & quod demum à morte Baronij (qui maximè illud desiderauerat) è tenebris à nostro Heriberto Rosuueido erutum atque in lucem editũ est, de S. Pontiano ad diem vigesimum Nouembris sic tantùm habet:

*Romæ, Pontiani Papæ & Martyris.*

Sanctus Ado autem, Viennensis Episcopus, qui vetere illo vsus est, & auctius reddidit, eadem die vicesima in suo sic notauit:

*Romæ, Natalis Sancti Pontiani Papæ, qui Maximino aduersus Ecclesiarum sacerdotes persecutionem commouente, cum Hippolyto Presbytero in Sardiniam deportatus, ibique fustibus mactatus Martyrium consummauit. Corpus verò eius à beato Fabiano Papa Romam relatum, atque in cœmeterio Callisti sepultum est.*

Eadem, & eodem die habet venerabilis Beda. Vsuardus quoque eadem, sed vno die priùs, sicut & Maurolycus, & alij, sed omnes conueniunt in eo, quòd sub Maximino Tyranno passus sit, præter Baronium, qui in suo Martyrologio malè correxit sub Alexandrò Imp. sola vt videtur nixus auctoritate Anastasij bibliothecarij, Scriptoris in temporibus primorum Pontificum scatentis erroribus. Quo pacto autem potuit Pontianus sub Alexandro passus esse, cum iuxta Eusebium, & optimos Chronographos tribus annis post Alexandri mortem adhuc viueret, nec ante secundum Maximini annum obierit.

Certè Baptista Platina, & Onuphrius Panuinius cum Iacobo Strada Mantuano, exactissimi annorum Pontificum collectores, non aliàs accidisse martyrium

tyrium S. Pontiani scribunt, quàm tẽporibus Maximini. Verba Onuphrij lib. 1. de Pontificum & Cardinalium creatione sunt hæc inter alia: *Sedit in cathedra Petri annos quinque, menses quinque, dies viginti septem, creatus 6. Calendas Julij Pompeiano & Feliciano coss. Hic in exsilium actus est, cum Hippolyto Presbytero Rom. à Maximini Imp. Præfecto: in quo etiam defunctus est 14. Calend. Decembris, anno Domini 236. L. Cæcilio Seuero, & L. Ragonio Quintiano coss.* &c.

Dicit autem Baronius tomo 2. ad annum Christi 237. eodem illo anno quẽ facit Pontiani Papę, quintum & Maximini primum, dicit, inquã, ab Alexandro decretum fuisse exsiliũ Pontiano Papę, & Deo facinus vlciscente permissum esse à suis militibus occidi, nec religionis caussa occisum Põtianũ, sed calumnia circumuentum: ita vt Pontianus iuxta illum non esset martyr.

Quæ cum haud satis cohæreant: meliùs, vt quidem sentio, credetur Eusebio, & veteribus martyrologijs atque Chronographis, quàm Anastasio bibliothecario, aut ei libro, *De Romanis Pontificibus*, qui falsò attributus Damaso Papæ, plurimos antehac decepit, & hîc præcipuè in re non parua, sed longè maxima, per Seuerinum Binium editorem Conciliorum, qui licet errorem animaduerterit, non tamen destiterit ante omnium Pontificum vitas vsque ad Nicolaum primum præfigere titulum hunc: *Ex libro Pontificali Damasi Papæ*, cùm Damasus talem librum scripserit nullum: sed illæ omnes vitæ à dicto Anastasio sint deformatæ, & fœdis hallucinationibus plenę. Horatius Tursellinus, diligens & attentus scriptor, in sua historiarum epitome, lib. 4. ad annum Christi 237. *Maximino imperante*, inquit, *cùm multi Christianorum iugulati greges, tum præcipuè Pontianus Pontifex, primùm deportatus in Sardiniã, mox pro religione occubuit. Anterus item Pontifex, qui res martyrum impensiùs conscribi iusserat.* Idem tenet de vtroque Pontifice in persecutione Maximini occiso noster Dionysius Petauius in Rationario temporum, libro sexto, capite 17.

c *Deinde Anterus.* ] Sic passim latini vocant & scribunt, tametsi græcis (è quibus ipse erat) non Ἄντηρος, sed Ἀντέρως sit appellatus per declinationem quintam.

Hunc ergo Anterum seu Anterotem Papam fatentur omnes à Maximino, non autem ab Alexandro affectum martyrio; quod magnum argumentum est, etiam S. Pontianum Papam ab eodem Maximino interfectum, cùm inter vtrumque Papam vnicus dies intercesserit, & inter vtriusque martyrium vix sesquimensis interfuerit. Nam sedes vnico die vacauit. A morte enim Pontiani in Sardinia, vbi tum Anterus aderat, secundo post die ibidem Pontifex creatus est. De quo sic ipse Baronius ad annum Christi 238. *Die*, inquit, *tertia Ianuarij, Anterus Papa, cùm vix mensem in pontificatu egisset, sæuiente, vt dictũ est, Maximino Imp. Romæ per Vitalianum Præfectum prætorio, & Sabinum Vrbi præfectum pro Christi nomine Martyrio coronatur.*

Benè autem dicit vix mensem in Pontificatu egisse, quandoquidem antea dixerit creatum tertia Decembris, & nunc defũctum tertia Ianuarij. Scripsit etiam Eusebius lib. 6. cap. 22. historiæ, & in canone chronico, Pontificatu functũ ἐπὶ μῆνα *ad mensem*, & quod idem est μῆνα α *mensem vnum*. At verò (sed non verè) Anastasius ita de illo: *Sedit annos 12. mensem vnum, dies 12. Martyrio coronatur temporibus Maximini & Africani Coss.* Et de Pontiano scripserat: *sedit annos nouem, menses quinque, dies duos*, cùm Eusebius, Baronius & alij non sex integros annos illi attribuant. Adeo in Pontificum temporibus periculosè creditur Anastasio, seù illi Romano Pontificali, quod Damasi Papæ falso nomine inscriptum est.

d *Quibus accessit inclita inter Virgines Barbara* &c. Tametsi de Imperatore sub

sub quo palmam martyrij retulerit castissima Virgo Barbara, variæ sunt opiniones: illa tamen omnium est probabilissima, quæ imperante Maximino tyranno eam retulisse tenet. Et hoc habet Romanũ martyrologium ordinarium. Nam vetus Romanum non habet nomen Imperatoris. Ado autem & Vsuardus pro *Maximino* habent *Maximianum*. Sed facilis inter simillima nomina error illabitur.

Et illapsum esse ipsa Acta S. Barbaræ sinceriora (quæ continent illam ab Origene fidei mysterijs imbutam, & quidem mutuas vtrimque missas esse epistolas) satis conuincunt. Nam constat Origenem ad Maximiani tempora nõ peruenisse, & annis triginta circiter mortẽ priùs oppetijsse. Stat autẽ à nostra sententia Cæsar Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notationibus ad quartam Decembris, vbi varia illius Sanctę Acta diiudicans sic scribit: *Sed ea quidem Acta nobis fideliora probantur, quæ habemus in nostra bibliotheca, quorum est exordium: Post Imperatorem Alexandrum, Maximinus &c. quæ eam sub Maximino Imp. qui successit Alexandro, passam testantur, feruntque eam ab Origene litteris sacris imbutam.*

*S. Barbara virgo & mart. ab Origene instructa.*

Sanè quidem quàm plures mulieres ab eo fidem Christianam edoctas scribit Eusebius libro 6. hist. Ecclef. cap. 4. & 7. Ita Baronius ad suum Martyrologiũ 4. Decemb. vbi & varios indicat vitæ Sanctæ Barbaræ Scriptores græcos æquè ac latinos.

De vtriusque litteris inuicem missis agit Iacobus Philippus Bergomas in lib. de claris mulieribus, cap. 8. & Nicolaus Horius in vita S. Barbaræ, cuius codicem ms. vidi in celeberrimo Viconiensi Ordinis Præmonstratensis apud Vallencenas in Gallobelgico monasterio, cui nunc præsidet Abbas illo loco dignissimus *Christophorus Labe*, cuius vel sola perhumanæ hospitalitatis memoria hæc me scribentem oblectat.

*Christophorus Labe Abbas Viconiensis.*

Meminit eiusdem inter Barbaram & Origenem de fidei doctrina consuetudinis Iacobus Merlinus Victuroensis sacrę Theologię in Regali Nauarræ collegio olim professor, in Apologia, sua quam scripsit pro Origene, & eiusdem præfixit operibus. Tradunt autem Petrus Equilinus Episcopus lib. 1. cap. 23. & Philippus Bergomas loco suprà citato. S. Barbaræ corpus à Valentino Presbytero (illo ipso scilicet, qui ad eam pleniùs edocendam ab Origene missus fuerat) Nicomedię sepultum fuisse, postea verò inde translatum Constantinopolim, & hinc denique Venetias, vbi etiamnum apud Crucigeros monachos in sacello sibi consecrato reuerenter asseruatur. Credibile est aliquas eiusdem sacras reliquias etiam aliis in locis haberi. Certè Guilielmus de Baldensel in suo Hodœporico ad terram sanctam (sic appellat libellum suæ peregrinationis) scribit in noua Babylone esse Ecclesiam, vbi corpus S. Barbarę in paruo monumento marmoreo conseruetur. Exstat illud Hodœporicon tomo V. Henrici Canisij, parte 2.

c *Sanctissimæ Trinitatis arcanum ita dilucidauit* &c. ] Ad singularem affectum Sanctæ Barbaræ erga Sanctissimam Trinitatem spectat, quòd in turri, quam illi pater suus ædificari cum duabus duntaxat fenestris iusserat, tertiam illo absente addi mandauerit, vt multæ eius vitæ tradunt.

d *Hunc librum Ambrosio & Protocteto* &c.] Huius loci occasio me admonet, vt locum quendam Hieronymi corruptum, nec à quoquam hactenus, quod sciam, animaduersum, in præsentia corrigam, & eadem opera quis sit hic Ambrosius, cui Origenes suum de Martyrio librum dedicauit, aperiam. Igitur locus Hieronymi in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 56. est iste: *Ambrosius primùm Marcionites, deinde ab Origene correctus, Ecclesiæ Diaconus, & confessionis Dominicæ gloria insignis fuit, cui pro Theoctisto Presbytero liber Origenis*

de

*de martyrio scribitur.* Corrigendum est: *cui & Protocteto.* Nam Origenes illũ suum librum illis duobus dedicauit, propterea quòd in Maximini persecutione multa passi essent, vt declarat Eusebius Pamphili lib. 6. hist. Eccl. cap. 21. his verbis: Τότε καὶ Ὠριγένης τὸν περὶ μαρτυρίου συντάττει Ἀμβροσίῳ καὶ Πρωτοκτήτῳ πρεσβυτέρῳ τῆς ἐν Καισαρείᾳ παροικίας ἀναθεὶς τὸ σύγγραμμα. Ὅτι δὴ ἄμφω περίστασις οὐχ ἡ τυχοῦσα ἐν τῷ διωγμῷ κατειλήφει. Quæ sic latinè reddidit Ioannes Christophorsonus vir doctus & pius: *Eodem tempore Origenes librũ composuit de martyrio, & opus illud Ambrosio Episcopo atque Protocteto Ecclesiæ Cæsariensis Presbytero (propterea quod vtrumque non exigua persecutionis procella exagitauerat,) dedicauit.* Rectè omnia, præter vocem *Episcopo,* quæ adiectitia est, nec conuenit Ambrosio, qui tantùm fuit Diaconus, nec in textu græco, quem fideliter hîc descripsi reperitur.

Videtur etiam Hieronymum fefellisse memoria, cùm eundem Ambrosium *Marcionitem* appellauit pro *Valentiniano.* Nam Eusebius è quo suos exscripsit Scriptores non Marcionitam fuisse scribit, sed Valentinianum: Discrepabant enim illæ duæ hæreses. Verba Eusebij libro 6. capite 13. sunt hæc: Ἐν τούτῳ καὶ Ἀμβρόσιος τὰ τῆς Οὐαλεντίνου φρονῶν αἱρέσεως πρὸς τῆς ὑπὸ Ὠριγένους πρεσβευομένης ἀληθείας ἐλεγχθεὶς &c. *Per idem tempus,* inquit, *Ambrosius qui Valentiniani erroris prauitate erat infectus, ipsa veritate, cuius partes Origenes in disputando susceperat, conuictus est.*

Ita Christophorsonus, & diu ante illum Ruffinus Presbyter sic conuertit: *Cum Valentini dogmatis sectator existeret.* Nec alio sensu alij Interpretes.

---

# AD CAPVT XVI.

a CONTINET hoc caput res ab Origene gestas imperante Gordiano, cuius imperium sexenne fuit, & pacificum, & faustum Christianis. Per quod tempus Origenes multa Ecclesiæ contulit operæprecia, non modò in sacrarum litterarum explanatione, & libris componendis, sed etiam in diuersis regionibus fidei caussa, & religionis aduersus hæreticos aut schismaticos defendendæ studio, peragrandis. Domicilium nunc habebat Cæsareæ Palæstinæ, vbi & cœtus agebat, sicut quondam Alexandriæ, & commentarios in Scripturam exarabat, de quibus agit Eusebius libro 6. hist. Eccles. cap. 25. vti & de ijs quos Athenis vel inchoatos absoluit, vel nouos conscripsit. Hæc fuit secunda eius Athenas profectio, de qua egi suprà ad caput septimum, in recensione eius peregrinationum.

b *Bithyniam profectionem* ] Bithynia est regio Asiæ, quam Ptolemæus lib. V. Geographiæ cap. 1. constituit in prima tabula Asiæ maioris, vbi & situm, vrbesque & promontoria describit, interque vrbes primarias Nicomediam recenset. Strabo itidem lib. 12. paullò pòst medium eam fusè distinctéque describit. *Bithyniam,* inquit, *ab ortu terminant Paphlagones & Mariandyni atque Epictetorum quidam: à Septentrione Ponticum mare &c. ab occasu Propontis, à meridie Mysia & Phrygia, quæ eadem & Epictetus & Hellespontiaca dicitur. In ore Ponti Chalcedon sita est, Bithyniæ vrbs, condita à Megarensibus* &c. Dein paullò pòst: *Chalcedonicum littus subsequitur sinus Astacenus, pars Propontidis, in quo Nicomedia sita est, nomen habens à conditore suo, aliquo Bithyniæ Rege: multi autem eodem sunt vsi nomine, vt & Ptolemæi, ob gloriam Principij.* Et paullò pòst agit de Nicæa, quam vocat μητρόπολιν τῆς Βιθυνίας *primariam vrbem Bithyniæ.* *Nicomediæ vrbis situs.*

Illa

Ista est Nicæa, primo Concilio generali mirè nobilitata: pòst autem & aliis Concilijs.

c *Nam Iulius Africanus* &c.] Fuit hic vir egregiè doctus & eloquens, magnæque apud Principes auctoritatis. Doctrinæ specimen reliquit in quinque voluminibus, quæ conscripsit de temporum & annalium serie, necnon in epistola de Christi genealogia ad Aristidem, & in alijs quibusdam scriptis, quibus Ecclesia non parum adiuta est. Videri de illo potest Eusebius Pamphili, lib. 6. hist. Eccles. cap. 24. & Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 63. & alij.

d *Cùm certum Origenis Dialogum perlegisset* &c.] Dialogus ille Origenis, quod sciam, nunc non exstat, hoc autem certò constat, docuisse in eo inter alia Susannæ historiam, quæ describitur Danielis capite 13. veram esse, adeóque partem Scripturæ, & eiusdem cum reliquo Prophetiæ Danielis corpore auctoritatis, ac pro tali ab Ecclesia passim haberi. Iulius Africanus autem, vir in sacris litteris apprimè versatus, & Origenis alioqui admirator, existimauit eum hac in re hallucinatum fuisse, quòd historiam illam de Susanna & Daniele, à Iudæis è canone Sanctorum librorum reiectam ignorasset, ideóque pro vera, & sancta habuisset. Hinc amantissimam ad eum scripsit epistolam, multisque rationibus eũ conatus est à sua deducere sentẽtia. Sed Origenes deduci non potuit, quamuis postea alij magni viri, & inter illos Hieronymus, deducti fuerint, & argumentis Africani cesserint. Digna est porrò ista Africani epistola, quæ hìc inferatur, sed tantùm latinè studio breuitatis: sic igitur habet:

*Salue Domine mi & fili, in omnibus*
*præstantissime Origenes, ab Africano.*

*In tuo ad Agnomonem sacro dialogo meministi prophetiæ Danielis, quam in iuuentute sua edidit, & eum quidem dialogum tunc, vt decebat, amplexus sum, sed hoc sum miratus, quonam pacto te latuerit partem illam libri Danielis esse adulterinam. Tametsi enim figmentum illud, gratiosum aliàs scriptum fatear, tamen recentius esse & confictum ostenditur, multísque modis conuincitur. Susannâ enim mori iussâ, Spiritu correptus Propheta exclamauit iniustam esse sententiam.*

Prima ratio. *Primò contra hoc facit, quòd Daniel alio modo prophetare solitus sit omni tempore: nimirum per visa & somnia, & Angeli apparitionem, non verò per inspirationem propheticam.*

2. *Secundò, postquam sic admirabiliter est locutus, etiam admirabiliùs ac præter omnium opinionem illos redarguit, quo modo ne mimus quidem Philistionis. Nec enim satis habuit increpasse illos per spiritum, sed postquam illos inter se disiunxit, singillatim vnumquemque interrogat, vbi mœchantem illum viderit, & vni eorum dicenti sub prino, respondet ipse Angelum πρίσειν αὐτὸν. secturum esse illum: deinde alteri dicenti sub schino, similiter eum σχίσειν, id est, sectum iri cõminatur. Atqui ista in vocibus græcis annominatio in ea quidem lingua consonat, πρῖνον scilicet cum πρίσαι, & σχῖνον cum σχίσαι aut σχισθῆναι: verùm in hebraica lingua omninò differunt, cùm tamen ex hebræis translata sint, quæcumque veteris testamenti habentur à Græcis.*

3. *Tertiò, cùm Iudæi detinerentur in Babylone captiui, & iugulati proijcerentur in plateas (sicut in priore Israëlis captiuitate narratur) & cùm filij ipsorum abriperentur, vt fierent eunuchi, & filiæ vt fierent concubinæ, vti prædictum fuerat, quomodo ipsi ferunt mortis sententiam? præsertim contra captiuam vxorem Ioachim Regis sui, quem & Rex Babyloniorum sibi fecerat confessorem? Quòd si dicatur alius fuisse hic Ioachim, & non Rex, sed aliquis è populo: vnde homini captiuo talis, tantáque habitatio, & tam amœni horti laxitas?*

*His*

*His omnibus accedit, quòd illa, pars & alia duæ quæ illi in fine eiusdem libri ad finem subiunguntur, non reperiantur adiunctæ reliquo Danieli, qui à Iudæis recipitur.* 4.

*Præterea, cùm tot Prophetæ quodam ordine alij alios præcesserint, nemo ex ijs reperitur verborum alterius sententia esse vsus. Nam ipsorum sermo cùm verax sit, ope alterius non indiget. Hîc autem Daniel istorum senum alteri interminans, mentionem Domini inducit dicentis: Insontem & iustum non occides.* 5.

*Propter hæc igitur omnia adiectitium mihi videtur istud libri segmentum.* Exod. 23. v. 17.

*Sed & dictionis character ac forma à Daniele discrepat.* 6. ratio.

*Ego pulsaui, tu mihi resona, & scribens me erudi. Dominos omnes meos saluta. Te docti omnes. Valere te cùm tuo comitatu Deum ex animo deprecor.*

Hactenus tota Africani epistola, eius doctrinæ & humanitatis certa index. Cui non minùs doctè, nec minùs humaniter respondit Origenes: cuius sententiam tota hodie sequitur Ecclesia.

Subijcerem hîc ipsius Origenis integram responsionẽ, nisi prælonga esset, & interio mea breuis. Ne quid tamẽ, nõ pręstẽ & ne Origenis, in huius resolutione difficultatis mira solertia, penitus ignoretur, rem omnem in breue contraham, vt & satis intelligi possit, & fastidio esse non possit. Principio igitur salutem sic inscripsit:

*Ὠριγένης Ἀφρικανῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ ἐν Θεῷ πατρὶ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ αὐτοῦ παιδὸς εὖ πράττειν.*

*Origenes Africano, dilecto fratri in Deo Patre, per Iesum Christum eius filium, salutem.*

Deinde, antequam ad singularem eius rationum descendat refutationem, de ipsius epistola & de sua responsione hæc præmittit generatim:

*Tua quidem epistola*, inquit, (*ex qua, cognoui ea quæ de Susanna è Daniele in Ecclesijs legi solita indicasti*) *breuis sanè videtur, sed in paucis quæstiones continet non paucas: quarum vnaquæque non leui indiget tractatione, sed tanta, vt epistolæ formam excedat, & libri magnitudinem exæquet. Ego autem ingenij mei, quatenus quidem possum, attendens mediocritatem, vt ne sensum mei ipsius habeam nullum, video mihi exactam illam, quæ ad rescribendum epistolæ tuæ necessaria est, deesse solertiam: quemadmodum nec pauci dies meæ in vrbe Nicomedia commemorationis sufficere possunt, ad plenè respondendum ijs, quæ de præsenti argumẽto quæsiuisti, & flagitasti. Quocirca mediocritati meæ tempor ísque angustijs veniam tribuens, intende, quæso, mentem huic meæ epistolæ cum omni beneuolentia, ac si quid à nobis omissum est, tu ipse supplere ne graueris.*

Post hæc ad refutationem aggreditur.

*Ac primò quidem dicebas*, inquit, *quòd, quando disserebam cum familiari nostro Basso, Scripturam Danielis iunioris attigerim, qui de ijs quæ circa Susannam acciderunt, prophetauit, idque fecerim, quòd me latuerit hanc libri partem esse adulterinam.*

Deinde repetitis eiusdem Africani ad hoc probandum argumentis, ipse ad subuertendum eius opinionis principale fundamentum (quo scilicet dicebatur illa pars in Hebræorum libris non reperiri) accingitur, dicitque non in eo tantùm libro plura esse in gręcis exemplaribus, quàm in hebraicis, sed etiam in libro Esther, in libro Iob, in libro Geneseos

fcos, & in quibusdam alijs, quorum clara profert testimonia: quæ tamen ab Ecclesia recipiuntur vt vera, ac legitima; non autem vt adulterina: ex quibus concludit idem de libro Danielis sentiendum.

Post quæ, documentum vnum adijcit maximi ab omnibus Christianis, ac præsertim à primis Ecclesiæ Antistitibus faciendum: & est huiusmodi:

*Vide ergo*, inquit, *ne imprudentes, & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in Ecclesijs, & legem statuamus fratribus nostris, vt deponant sacros qui apud eos feruntur libros, assententur autem Hebræis, atque illis persuadeât, vt puros nobis impertiant, & qui nihil figmenti habeant. An non Dei prouidentia in sanctis Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesijs ea, quæ sunt ad ædificationem necessaria? An non curam gessit eorum, qui tanto empti sunt pretio, pro quibus Christus mortuus est? qui cùm sit charitas, filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: vt cum eo nobis omnia gratis daret. Sed hoc etiam considera, an non sit bonum meminisse eius quod scriptum est? Non transferes terminos æternos, quos statuerunt Patres tui.*

Ad Rom. 8. v. 32. Deut. 19. v. 14.

Quibus in verbis docet Origenes ad diuinã spectare prouidentiam, vt non sinat Ecclesiam, pro qua fundanda Christus Dei filius mortem oppetierit, in libris sacræ Scripturæ tradendis hallucinari, & pro veris adulterinos assumere, ac proinde quos ipsa susceperit, ac filijs suis tradiderit, pro legitimis habendos, nec temerè demutandos. Nec decere Christianos pro istorum discretione librorum ad Iudæos recurrere, sed stare in ijs, quæ Patres sui ac maiores (nimirum Apostoli, eorumque successores) ipsis tradiderint, nec eorum quicquam vllatenus variare. Paria porrò Origeni eodem in argumento dixit Ruffinus Presbyter in priore sua Apologia.

Ad illud autem, quod dicebat Africanus annominationem, quæ est in vocabulis arborum & supplíciorum, reperiri tantùm in textu græco, non itidem in Hebraico, Respondet Origenes incertum esse, an non etiam in hebraico: cùm illa hebraicè iam non habeantur, alioqui intellexisse se à quibusdam doctis Hebræis, historiam illam aliquando exstitisse, & quidem nomina illorum qui Susannam calumniati sunt, ab iisdem Hebræis audiuisse nempe vocatos fuisse Achab & Sedeciam, de quibus fiat mentio in Ieremia cap. 29. versu 22. & 23. his verbis: *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo quòd fecerunt stultitiam in Israël, & mœchati sunt in vxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter.*

Ierem 29. v. 22 & 23.

Post hæc occurrit Origenes tacitæ obiectioni hoc modo: *Sed quæres*, inquit, *cur apud eos non reperiatur in Daniele hæc historia, quandoquidem, vt dicis, ipsorum sapientes ista tradant? Respondeo*, inquit, *Iudæorum Doctores abstulisse à populi cognitione, quantum quidem potuerunt, omnia quæ reprehensionem Presbyterorum & magistratuum & Judicum continebant, eáque seruasse in arcanis.*

Ita Origenes, qui idipsum pluribus probat exemplis, quæ illic apud ipsum videnda prætereo.

Iam ad modum prophetandi quod attinet, dicit Origenes sanctos Prophetas non solùm vno, nec duobus tantùm modis prophetasse, sed pluribus ac varijs iuxta illud Paulli ad Heb. c. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est in Filio.* Ita Iacob priùs per somnia, & Angelorũ apparitiones, sed postremò dũ filijs moriturus benediceret, per inspirationẽ prophetauit, & quę singulis bona vel mala esset obuētura, prædixit. Vnde nihil mirũ, si & Daniel aliter iuuenis, aliter grandior

Heb. 1. v. 1.

grandior aut senex prophetauit.

Præterea, quod Africanus examen atque iudicium Danielis contra senes illos Susannæ calumniatores tam parui facit, vt comparet cum mimo Philistionis, id est, cum re ridicula & mimica (quales erant narrationes Philistionis mimi, qui & risu perijsse creditur) ad hoc ita respondet Origenes, vt dicat eundem Africanum posse simili modo comparare iudicium Salomonis de duabus meretricibus super vno infante: cùm afferri gladium iussit, & cũ vnum duas in partes diuidi, & singulas partes singulis dari. *Nam vtriusque*, inquiebat Origenes, *compar est ratio iudicij, & si vnum illorum videatur absurdum, videri & alterum.*

Post illa reuertitur Origenes ad suprà allatam arborum & pœnarum annominationem, indicans sibi priùs non occurrisse, quod etiam in Hebraica Scriptura tales interdum reperiat annominationes, quæ in altera lingua non perinde simili possint figura annominationis exprimi; sicut in capite secundo Geneseos, quod latinè habetur: *hæc vocabitur virago: quoniam de viro sumpta est*, annominatio *vir & virago*, hebraicè reperitur nempe איש & אישה is & issa, græcè autem apud Septuaginta non reperitur, sed tantùm ἀνὴρ γυνὴ, id est, *vir & mulier*. inter quę nulla est annominatio. *Quare Septuaginta Interpretes*, inquit, *vel propriè reddiderunt dictiones hebraicas, in quibus erat annominatio, vel saltem inuenerunt voces græcas, quæ aliquo modo hebraicis annominatiuis responderent, & eundem sensum facerent.*

Iam ad illud quod quærebat Africanus, vnde captiuo amplæ domus & diuitiæ & potestas iudicandi? respondet Origenes ex Dei voluntate hęc obtigisse, qui nimirũ fecerit, vt quidã è captiuis gratiam apud Regem inuenerint: id quod pluribus probat exẽplis eorũ, qui tẽpore captiuitatis dites facti sunt. E quibus fuit Tobias, de quo scribitur Tobiæ 1. *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis, & dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens potestatem quæcumque facere voluisset.* Tobiæ 1. v. 13.

Et paullò pòst: *Cùm autem venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à Rege, habuisset decem talenta argenti*, &c. E quibus etiam fuit Mardochæus, & Nehemias & alij, de quibus in Esther & Esdra conscriptum est. Quod autem & potestas iudicia inter suos exercendi Iudæis captiuis permissa sit, nihil mirum; *quandoquidem etiamnum*, inquit, *Romanis imperantibus, & Iudæis didrachma pendentibus, tantum potestatis habeat eius gentis Præfectus, vt vix ab eo differat, qui imperium in eam gentem obtinet.*

*Quemadmodum nos, qui sumus experti, probè cognoscimus. Exercentur enim ab ipsis clandestinò iudicia secundùm leges suas, damnanturque nonnulli, & hoc quidem nec cum plena penitùs libertate, nec imperatore prorsus ignorante. Quod nos in illius gentis regione versati didicimus & pro certo accepimus.*

Deinde quod dicebatur nullus Prophetarum alterius prophetę vti testimonio atque sententia, *Dico*, inquit, *ex ipsis prophetis patere contrarium. Nam quod Esaias capite secundo prædixerat: & erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes*, &c. idem postea vsurpauit Michęas cap. 4. totidem fere verbis: Esaiæ cap. 2. v. 2.

*Et erit*, inquit, *in nouissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi* &c. Origenes Nicomediæ versatus.

Producit ibidem Origenes, vt in Scripturis longè versatissimus, alia plura exempla, quæ hîc omitto: post quæ ita subdit: *Addidissem*, inquit, *& ipsa*

*ipsa verba & plura alia, nisi vidissem ob paucitatem dierum, quibus* Nicomediæ *futurus sum, mihi plura scribendi tempus defuturum.*

*Denique quòd stili*, inquit, *diuersitatem opponebas, mihi certè aliter videtur.*

*Atque hæc est mea illius historiæ defensio. Nunc autem ea absoluta, locus erat illam laudandi, & verba eius singula expendendi, sensusque eximios ostendendi: quod aliquis alius faciet, qui res diuinas studiosè fuerit, sufficientérque meditatus. Hæc igitur ad tuam, vt vocasti, pulsationem respondi: vtinam & erudiendi potestas esset! verùm haud equidem tantum mihi arrogo. Salutat te qui huic dictandæ epistolæ adiutor fuit, totíque pro libitu suo corrigens interfuit, Dominus meus & frater, S. Ambrosius. Salutat te etiam fidissima eius coniux Marcella simul cum liberis, & Anicetus.*

*Tu quoque iubebis saluere ex me bonum Papam Apollinarem, & omnes qui me diligunt.*

Ita finit epistolam suam eruditissimus & doctorum virorum amantissimus Origenes.

# AD CAPVT XVII.

AGITVR in hoc capite de Beryllo Arabiæ Petrææ Episcopo, quem à fide aberrantem Origenes suâ doctrinâ & humanitate deuinxit, & in viam regiam reduxit.

De Beryllo agit Eusebius libro sexto historiæ Ecclesiasticæ, capite decimo quarto, vbi eum recenset inter viros illius ætatis eloquentissimos, & componit cum Hippolyto Episcopo, & cum Caio Ecclesiæ contra Proclum propugnatore acerrimo, eumdémque Beryllum primo loco nominat. Hinc eiusdem Eusebij interpres Ruffinus Presbyter præcipuum appellat libro sexto, capite decimo sexto. *Erat autem*, inquit, *inter ceteros & Beryllus Scriptorum præcipuus, qui & ipse diuersa opuscula dereliquit. Episcopus hic fuit apud Bostram Arabiæ vrbem maximam.* Pleniùs autem & meliùs ex eodem Eusebio Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, capite sexagesimo. *Beryllus*, inquit, *Arabiæ Bostrenus Episcopus cùm aliquanto tempore gloriosè rexisset Ecclesiam, ad extremum lapsus in hæresim, qua Christum ante incarnationem fuisse negat, ab Origene correctus scripsit varia opuscula, & maximè epistolas, in quibus Origeni gratias agit. Sed & Origenis ad eum litteræ sunt. Exstat dialogus Origenis & Berylli, in quo hæreseos coarguitur. Claruit autem sub Alexandro Mammææ, filio & Maximino, & Gordiano, qui ei in imperium successerunt.*

Ita Hieronymus. Cuius ista verba: *hæresim qua Christum ante incarnationem fuisse negat*, sic intelligenda sunt, non quasi tantùm negarit Christum, quatenus homo simul est & Deus, fuisse ante incarnationem (sic enim bene negasset) sed quòd negarit Christum, ne quidem secũdùm diuinitatem, & qua filium Dei, exstitisse ante incarnationem: adeóque aliam nõ habuisse diuinitatem propriam, nisi paternam in se habitantẽ. Hæc enim distinctè habet Eusebius libro sexto, capite 26. editionis græcolatinæ Christophorsoni, in græco autem textu, capite 33. & Ruffinus eodem libro, capite 24. vbi sic ipse inter alia: *Peregrina quædam*, inquit, *& aliena à veritate docere cœpit*,

*asserens*

*asserens Dominum & Saluatorem nostrum, neque propriam deitatis habere substantiam, sed hoc ipsum quòd paterna in eo deitas habitaret.*

Ibidem paullò pòst refert modum, quem obseruauit Origenes in deuinciendo & deuincendo, & Ecclesiæ restituendo Beryllo: *Primò,* inquit, *sensim eum eodem disputans, quid sentiret, diligentiùs perscrutatur; quo comperto, quid absurdè inesset huiuscemodi sensibus, & quid impietatis talia asserentem consequeretur, ostendens, abijcere ac respuere male conceptum suasit errorem, & redire ad fidem veram, sanámque doctrinam. Quódque penè in caussis talibus inauditum est, ita errorem ab Ecclesia depulit, vt emendaret, non perderet erroris auctorem. Denique fertur etiam nunc descripta ipsa disputatio Origenis & Berylli, quæ per semetipsam præclari eius operis indicio est.* Sic ibi.

# AD CAPVT XVIII.

DESCRIBVNTVR in isto capite quotidiani & assidui labores Origenis in docendo, scribendo, exhortando, dictando, cum alienis à fide nostra disputando.

*Qui venerandam senectutem* &c.] Rari fuerunt illo sæculo tam venerandi & tam laboriosi senes, quàm fuit Origenes, qui post annum ætatis sexagesimum plus laborauit, quàm simul multi trigesimo. De istis eius laboribus vide Eusebium Pamphili, libro sexto, capite vigesimo nono. De frequentia porrò concionum & disputationum ex ipsiusmet Origenis collegi homilijs, in quibus aliud agens ista indicauit.

*Celsus quidam secta Platonicus, vita Epicureus*] Fuerunt hoc *Celsi* nomine multi clari viri. Vnus, tempore Augusti Imperatoris, ad quem scripsit Poëta Horatius epistolam octauam libri prioris, quæ incipit:

*Celso gaudere & bene rem gerere Albinouano*
*Musa rogata refert, comiti scribæque Neronis.*

Alter ætate Traiani Imperatoris, à quo donatus est statua, vt refert Dio Xiphilini in Traiano, his verbis: Ἔστησε καὶ τῷ Σοσσίῳ, τῷ τε Πάλμᾳ, καὶ τῷ Κέλσῳ εἰκόνας. Οὕτω τοι αὐτοὺς τῶν ἄλλων προετίμησεν. *Posuit etiam Sossio, & Palmæ, & Celso statuas. Ita illos præ ceteris honorauit.* Traianus scilicet.

Cornelium quoque Celsum à varietate doctrinæ, quantũuis Quintilianus mediocri fuisse ingenio scribat, tamen idem illum & multi alij celebrant, quòd nimirum artes complures non addiscere modò, sed docere etiam ac litteris ad posteros mittere potuerit. Quintilianus quidem libro de institutione oratoria duodecimo, capite vndecimo, & extremo, post recensitos multiplicis doctrinæ viros, Catonem, Varronem, Ciceronem, *Quid plura*, inquit, *cùm etiam Cornelius Celsus mediocri vix ingenio, non solùm de his omnibus conscripserit artibus, sed ampliùs rei militaris, & rusticæ etiam, & medicinæ præcepta reliquerit: dignus vel ipso proposito, vt eum scisse omnia illa credamus.*

Fuit & alius Celsus à Sancto Augustino in præfatione libri de hæresibus memoratus, qui sex libros de sectis Philosophorum composuit.

Præter hos autem omnes, qui clarini fuerunt, duorum quoque aliorum facit mentio-

mentionem Origenes, quos fuisse græcos, ex eo quod inter se non distinguat, autumandum est: cùm ille, contra quem scribit, græcus fuerit. Libro igitur 1. contra Celsum non longè ab initio, *Traditur autem*, inquit, *duos fuisse Celsos Epicureos, alterum antiquiorem, ætate Neronis: hunc autem* [contra quem scilicet scribimus] *Hadriani & posterioribus temporibus*.

Epicureum vocat Origenes eum contra quem scribit, licet ex eius scriptis aduersus Christum & Christianos, magis appareat Platonicus. Quod etiam & ipse Origenes videtur non vno loco innuere, sed pluribus: & nominatim lib. 1. sub medium, vbi sic de illo: *Deprehenditur in alijs suis scriptis Epicureus, hîc autem Epicuri placita non profitens* &c. Et lib. 4. sub medium: *Nisi forte*, inquit, *Celsus per hæc subindicet (sicut plerumque Platonem sequitur) vnam esse omnium animarum speciem*. Sic ibi.

Denique quàm Platonicus, & quàm Epicuro contrarius fuerit in præcipuis tribus dogmatibus palã fecit in libro suo inscripto: *Sermo verus*, siue doctrina vera. Est enim græcè λόγος ἀληθής. vbi tenere se professus est animas esse immortales, & restare post mortem æterna vel supplicia vel præmia. Eius verba citaui in quæstione 5. exactæ disquisitionis sub finem.

Eumdem porò Celsum ingenio valuisse & doctrina, nec non de Deo quadam tenus bene acutéque philosophatum demonstrant ea, quæ ex illo pluribus in locis citat Origenes, & maximè libro aduersus eum septimo, his verbis inter alia.

*Celsi verba de Deo.* *Substantia & generatio: intelligibile & visibile. Cum substantia veritas: error cum generatione. Circa veritatem igitur versatur scientia: circa diuersum opinio. Et intelligibilis quidem rei est intellectus: visibilis autem rei est visus. Cognoscit autem intelligibilia mens, visibilia verò oculus. Quod igitur in rebus visibilibus est Sol, qui, nec oculus est, nec visus, sed oculo videndi caussa, simúlque vt per eum consistat visus,* *Deus Soli comparatus.* *& visibilibus vt videantur, omnibusque sensibilibus, vt sentiantur, atque etiam sibi ipse vt cernatur: hoc in intelligibilibus est ille: quia nec mens est, nec intellectus, nec scientia: sed homini intelligendi caussa, & intellectui vt per illum cognoscatur, & omnibus intelligibilibus ipsíque veritati, ipsíque substantiæ, vt sint, cùm ipse his omnibus intelligibilibus ineffabili sua potentia sit superior. Hæc sunt, quæ dicuntur à sana mentis hominibus: quorum si aliquid intelligitis, benè habebitis: & Spiritus (si quem putatis descendentem à Deo nunciare diuinas res) idem hic est Spiritus talia prædicans, quo repleti viri prisci multa bona annunciauerunt. Ea si non potestis auscultare, tacete & celate vestram imperitiam, néue dixeritis excutire eos qui cernunt, & claudos eos esse, qui currunt, cùm ipsi habeatis claudas animas, & mutila corpora.*

Hactenus Celsi philosophi Gentilis verba, quæ omnia Origenes approbat, præter vltima contumeliam in Christianos continentia: quibus Origenes ita sincerè modestéque respondet:

*Origenis modestia & sinceritas.* *Ad hæc nos*, inquit, *qui non solemus aduersari, cùm aliquid vel ab alienis à nostra fide hominibus benè dicitur, neque contendere, neque conari ea quæ sana sunt subuertere: respondemus quòd isti qui conuitiantur hominibus pietatē erga Deum pro virili sectantibus &c. videre debent, ne hoc ipsi qui malè loquuntur de Dei cultoribus, declarent sibi claudas esse animas, & mutilatum interiorem hominem* &c. Hæc ibi.

*Præter hos autem in Celsum libros, etiam alios &c.* ] Constant hæc è libro sexto Eusebij cap. 29. & ex alijs post illum Scriptoribus: præsertim ex Hieronymo in libro de Scriptoribus, cap. 54. vbi hæc de Origene: *Quanta autem gloria*

*gloriæ fuerit, hinc apparet: quòd Firmilianus Cæsareæ Episcopus cum omni Cappadocia eum inuitauit, & diu tenuit, & postea sub occasione sanctorum locorum in Palæstinam veniens, diu Cæsareæ in sanctis Scripturis ab eo eruditus est. Sed & illud, quòd ad Mammæam Matrem Alexandri Imperatoris religiosam feminam rogatus venit Antiochiam, & summo in honore habitus est: quódque ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem eius litteras fecit, quæ vsque hodie exstant, quis ignorat?* Sic ibi. Philippus Imp.

His similia de illo scripsit Vincentius Lirinensis in libro contra hæreses, cap. 23.

*Quàm autem*, inquit, *non solùm priuatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reuerendus imperio, declarant historiæ, quæ eum à matre Alexandri Imp. accitum ferunt, cælestis vtique sapientiæ merito: cuius ille & gratia & amore flagrauit. Sed & eiusdem epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imper. (qui primus Romanorum principum Christianus fuit.) Christiani magisterij auctoritate conscripsit.*

His & alij complures consentiunt historici: quamuis eam laudem primi Imperatoris Christiani, non Philippo, sed Constantino magno veteres quidam, & plurimi recentium attribuant; sed ea re, vt opinor, quòd Philippus haud ita palam ac manifestè vti Constantinus, se Christianum professus sit, sed inter Christianos tantummodò suum processu temporis corroboraslet imperium. Quod illi succisa vitæ tela, dum adhuc ordiretur, non concessit: Constantino autem magno plena manu hoc ingessit diuina prouidētia. Hinc istius Religio tacita & ignota fuit Gentilibus, eorumque historicis: huius autem cunctis notissima.

*Nam Philippum quidem nec dum fuisse sacris nostris initiatum* &c. ] Id probat fusè Baronius tomo 2, ad annum Christi 246. Philippi Imperat. primum. Vide illum ibi.

---

# AD CAPVT XIX.

ACTVM est in isto capite de corruptione librorum Origenis ab hæreticis aut maleuolis. Quæ corruptio caussa fuit, cur ad Fabianum Pontificem, & ad alios Ecclesiæ Præsules litteras dederit, in quibus rectam fidem suam, atque doctrinam exposuerit. Quod testatur Eusebius libro sexto, capite vigesimo nono, ita scribens de Origene:

*Scribit præterea Fabiano Romano Episcopo, alijsque permultis Ecclesiarum Præsidibus, de sua recta & orthodoxa, super fide Christiana, sententia. Quorum certa habes argumenta in sexto libro Apologiæ, quæ in Origenis defensionem à nobis scripta est.* Ipsemet quoque Origenes & Ruffinus litteras scripserunt de eorumdem librorum corruptione, quæ litteræ hodiéque exstant.

De libris Origenis hæreticorum malitia corruptis agit etiam vetus Auctor, qui abhinc mille ducentis fere annis, pro Sancti Augustini defensione scripsit, & hæresim prædestinatorum appellatam confutauit, siue is Auctor

fuerit Arnobius Iunior, vt quidam volunt, seu aliquis alius ei contemporalis. Hunc Auctorem Iacobus Sirmondus noster, à se repertum primus in lucem nuper edidit. Is ergo Auctor vicinus S. Augustini temporibus in sua epitome hæreseon, hæresi vigesima secunda, agens de Apellinis, siue Apellianis hæreticis à quodam Apelle denominatis ita scribit:

*Hos Origenes ita perfectè superauit, vt horum caussa μεθοδευτὴς periodeutes fieret, & per singulas quasque Vrbes per Orientem eundo prædicaret. Et quia innumerabilia sunt tractatorũ eius volumina, hæretici superati libros eius ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt, vt quos vellent decipere, ipsi dicerent, ita Origenem suis expositionibus definisse.*

Idem Auctor eodem libro primo, hæresi 43. vnum ex illis corruptoribus memorat nominatim, scribens corruptos esse à quodam Ampulliano hæresiarcha Bithynio, de quo hæc inter alia: *Hic dum argueretur ab vniuersa Ecclesia, cœpit proferre libros Origenis, quos ipse vitiauerat, & dicere: Ecce quia Origenes ita sensit, & præcipuè in quatuor περὶ ἀρχῶν libris.*

*Sed qui sani sensus est, & habet splendidos oculos, sic videt addita in Origenis opusculis mala ista, atque cognoscit, sicut si in stragulo coccineo pannos albos, aut cuiusque alterius coloris cernat adsutos.* Sic ibi.

Sed de his fusiùs in exacta disquisitione, quæstione prima & alibi.

# AD CAPVT XX.

A DESCRIBITVR secunda profectio Origenis Romam, temporibus Philippi Imp. & caussæ eius profectionis, & philosophorum Gentilium de Origene existimatio.

b *Ad hunc igitur Romæ in Athenæo disserentem* &c.] Erat Romæ Athenæum, siue gymnasium scientijs liberalibus exercendis deputatum, tam Græcis, quàm latinis. Quò & ipsi Imperatores audiendi gratia se nonnunquam conferebant. Iulius Capitolinus in Gordianis tribus, sic de illorum primo, sub initium: *Postea verò vbi adoleuit, in Athenæo controuersias declamauit, audientibus etiam Imperatoribus.* De Alexandro Seuero Imp. ita Ælius Lampridius in eius vita paullò ante medium: *Ad Athenæum, audiendorum & græcorum & latinorum Rhetorum vel Poëtarum caussa, frequenter processit.* Sic Athenæa vocari possent ea omnia Societatis IESV gymnasia, in quibus artes liberales docentur, & orationes habentur, & disputationes seu Rhetoricæ, seu Philosophicæ celebrantur, ἀπὸ τῆς Ἀθήνης, hoc est, à Minerua talium artium Præside.

c *Ammonium & Origenem* ] Videndus de illis Eusebius libro sexto, capite decimo tertio, vbi Origenem simul & Ammonium defendit aduersus Porphyrium, qui libro quarto operis sui aduersus Christianos, conscripti falsa quædam de illis scripserat.

Ammonij Philosophi Christiani laus.

De eodem Ammonio ita Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 55. *Ammonius vir disertus & valde eruditus in Philosophia, eodem tempore, quo Origenes Alexandriæ clarus habitus est. qui inter multa ingenij sui & præclara monumenta etiam de consonantia Moysi & IESV elegans opus composuit, & euangelicos canones excogitauit, quos postea secutus est Eusebius Cæsariensis.*

*Hunc falsò accusat Porphyrius, quòd ex Christiano Ethnicus fuerit, cum constet eum vsque ad extremam vitam Christianum perseuerasse.* Hæc ibi Hieronymus.

Nunc

Hunc Ammonium quanti fecerit suus Auditor Plotinus, scripsit in eiusdem Plotini vita Porphyrius, ex ipsiusmet Plotini magistri sui relatione. Hæc igitur sunt Porphyrij verba & Plotini inter alia: *Post hæc cùm octauum atque vigesimum ætatis suæ annum iam impleret, se Philosophiæ amore vehementer accensum, commendatum fuisse ijs, qui tunc Alexandriæ excellentiores habebantur, sed tamen ex eorum scholis tristem admodum, mæstúmque discessisse, & amico cuidam mæroris caussam declarasse, qui suæ mentis affectum planè cognoscens, ad Ammonium, cuius adhuc periculum nullum fecisset, adduxerit: deinde cùm Ammonij scholam ingressus audiuisset illum, amico dixisse: Hunc ipsum ô amice quærebam. Ex eo igitur die annos xi. sedulus audiuit Ammonium.* Ita Porphyrius ex versione Marsilij Ficini, *viri non vulgariter periti, tum sacræ theologiæ* (vt Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur & loquitur) *tum etiam Platonicæ philosophiæ.*

Cùm ergo annos vndecim Ammonij Christiani philosophi discipulus fuerit Plotinus, isque præ cæteris illi placuerit, haud improbabiliter conijcit Marsilius Ficinus, haud procul abfuisse illum à Christiana religione, ad quam multa Platonis dogmata eum conducebant. Si bonum factum iudicauit celeberrimus ille Annalium Scriptor Ecclesiasticorum Baronius, ipsa Marsilij de Plotino Philosophorum Platonicorum æui sui præstantissimo verba, in annales suos inferre: nec me pigebit eadem hîc referre, præsertim cùm Origenem huius nostri instituti patrem nonnihil attingant. Proferam igitur cum ipsius præfatione Baronij, qui ad annum Christi 247. & Philippi Imperatoris secundum, sic ait:

*Marsilius Ficinus, qui Plotini commentarios egregiè illustrauit, hæc habet in commentarijs in librum octauum Plotini, quæ ad hæc, de quibus agimus, spectant.* *Eiusdem Marsilij locus.*

*Plotini autem mentem*, inquit, *non fuisse à Christiana lege penitus alienam ex eo conijcere possumus, quòd cùm Ammonij semper Christiani discipulus fuerit, & Christianissimi Origenis semper amicus, conuenisse dicitur vnà cum Origene atque Herennio, se nunquam ab institutis Ammonij discessurum, idque sicut promiserat seruauisse. Præterea Gentilium Deorum cultum alto animo aliquando contempsisse, Æmilio ad hoc exhortante, Porphyrius ipse discipulus eius est testis. Denique ab hæreticis multis Platonem suum partim deprauantibus, partim etiam contemnentibus frequentiùs irritatus, respondit quidem latissimè, nihil tamen in respondendo commune Christianis inseruit, sed propria dumtaxat ad hæresim, cùm alioqui impunè in Christianos inuehi ea tempestate liceret, & offerretur occasio.* Hæc ipse. Ita apud Baronium.

Quòd autem Philippi Imperatoris tempore, & non aliàs, auditum Romæ Plotinum ierit Origenes, vt in vita capite hoc vigesimo descripsimus, liquet ex eodem Porphyrio iam antè citato: vbi postquam dixit Plotinum annos vndecim auditorem fuisse Ammonij, tum ita subdit: *Cùm Gordianus Imperator profecturus esset in Persidem bellum populis illaturus, Plotinus exercitui se adiunxit, quasi annos iam ætatis habens nouem atque triginta: sed postquã Gordianus circa Mesopotamiam interemptus esset, Plotinus vix aufugiens in Antiochiam sospes euasit. Deinde Imperante Philippo Romam venit quadragesimum iam natus ætatis annum.* *Porphyrij Philosophi verba.*

Iam igitur cùm ex ipsius Plotini vita constet, eum non venisse Romam, & ibi docuisse ante tempora Philippi Imperatoris, nec minùs certum sit illic auditum esse ab Origene, consequitur necessariò (vt rectè obseruauit antè nos Baronius) iam altera vice Origenem, (etsi prætereierit Eusebius) Romã adiisse,

adijsse, & hoc propter caussas à me suprà allatas. Nec vitio verti debet Eusebio huius rei in historia silentium: quippe qui Origenis non scribat vitam, sed tantùm dispersim facta quædam, prout occasio obtulit, & occurrerunt memoriæ, describat.

Neque tamen is qui alicuius scribit vitam, eius omnia nosse potest, vel meminisse, vel perscribere. Si cui enim hoc dari debuisset, cui magis quàm Apostolis & Euangelistis? quorum tamen nulli concessum, si quidem aliqua singuli prætericrunt.

*Origenes sanctorum Panteni & Heraclæ imitator. S. Heracle Episcopi Alexandrini claritas.*

d *Quos proinde Origenes data ad eos epistola,* &c.] Eius epistolæ membrum refertur ab Eusebio lib. 6. histor. cap. 13. vbi Origenes imitatum se dicit Pantænum (cuius vitam in 2. tomo illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum in lucem emisi) & Heraclam Presbyterum. Hi ambo inter sanctos sacris in tabulis adscripti sunt, ille septima Iulij, Heraclas autem decima quarta. Hic autem tametsi doctissimus fuerit, & in Philosophis illius æui post Origenem excellentissimus, adeo vt Iulius Africanus in epistola sua ad Origenem, quæ etiamnum exstat, scripserit se Alexandriam petijsse eius videndi gratia, tamen quia nihil in lucem emisisse legitur, inter Scriptores Ecclesiasticos ab Hieronymo non recensetur. Valde autem mirum esset, si tantus vir, qui Alexandrinam Ecclesiam annos vndecim administrauit, nihil scripsisset: nisi sciremus & Socratem Philosophum, à quo tanquam à fonte Platonica philosophia profluxit, nihil scripto reliquisse, sed eius doctrinam admirabilem à duobus eius primarijs discipulis, Platone & Xenophonte pereleganter & perquam scitè euulgaram.

---

# AD CAPVT XXI.

CONTINET hoc caput iter Origenis iam senis in Arabiam, ad coactum ibi Concilium cōtra hæresim nouissimè exortam, de totius hominis, hoc est animæ, & corporis exstinctione in morte, & de totius itidem resuscitatione in extremo iudicio. Quam hæresim Origenes traductis ad rectam fidem eius Auctoribus planè exstinxit. Ea de re agit Eusebius lib. 6. hist. Eccles. cap. 30. Nicephorus Callistus lib. 6. cap. 23.

*Epiphanius hæresi 19.*

*Sub hoc ipsum tempus Phil. Imp.* &c.] De altera hæresi, quæ fuit Helcesaitarū, orta primùm (vt vult Epiphanius) imperante Traiano, à quodam Elxai appellato, renouata autem Philippi tempore, & mox ab Origene suffocata, tractat Eusebius lib. 6. cap. 31. vbi verba ipsius Origenis eandem describentis hæresim referuntur ex eius homilia in psalmum octogesimum secundum habita, non est omittenda vox, *secundum*, quę omissa est à Christophorsono in dicto Eusebij cap. & à Baronio eum citante ad annum Christi 249. sub finem. Nā est grecè apud Eusebium εἰς τὸν ὀγδοηκοστὸν δεύτερον ψαλμόν, *in octogesimum secundum psalmum*, & apud Nicephorum in libro V. cap. 34. ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ δευτέρῳ ψαλμῷ eodem sensu. Vnde & Ruffinus Presbyter, primus & antiquissimus Eusebianæ historiæ interpres lib. 6. cap. 28. locū Eusebij de illa sic reddidit *Exstitit etiam alia hæresis per illud tempus, quæ dicitur Elcesaitarum, quam ille statim vt visa est apparuisse, restinxit. Fecit autem eius mentionem, cùm de octogesimo & secundo psalmo in Ecclesia disputaret,* &c. Ita Ruffinus.

*Contra*

c *Contra eandem hæresim*,&c.]Hęc è Nicephoro Callisto ducta sunt: cuius græca verba libro quinto historiæ Eccles. capite vigesimo quarto sunt hæc: Κατὰ δὲ ταύτης καὶ Ἀλκιβιάδης, ἐξ Ἀπαμείας τῆς Συρίας πάμπολλα ἠγωνίσατο. Ὠριγένης δὲ τοῖς κατ᾽ αὐτῆς ἐλέγχοις ἠρίστευε. *Aduersus hanc & Alcibiades Apamenus Syrus plurimum depugnauit: Origenes verò in ea conuincenda primas tulit.*

Quis autem sit ille Alcibiades, & vtrum aliquid aduersus hæreses scripserit, non reperio: suspicor autem illum esse, qui nascenti primùm illi hæresi repugnarit, & postea in Galliam immigrarit, atque inter Lugdunenses Martyres adscriptus sit. De quo egi in vita Sancti Irenæi, Lugdunensis Episcopi & Martyris, tomo secundo illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum.

---

# AD CAPVT XXII.

HIC Origenis pro Christi fide gloriosum certamen describitur. Quod Eusebius Pamphili enarrat lib. 6. historiæ, cap. 32. sed breuiter & summatim, remittens lectorem ad ipsiusmet Origenis litteras post Decij Tyranni mortem scriptas, ad quas & ipse remittit S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 54. ad finē, vbi sic de Origene: *Et super Origenis statu si quis scire velit quid actum sit, primùm quidem de epistolis eius, quæ post persecutionem ad diuersos missæ sunt: deinde & de sexto Eusebij Cæsariensis Ecclesiasticæ historiæ libro, & pro eodem Origene in sex voluminibus possit liquidò cognoscere.* Sic ibi.

Atqui & Eusebius & S. Pamphilus martyr (qui ab Origenis discipulis ad ipsorum vsque ætatem superstitibus certò cognouerunt, sed certiùs ex ipsiusmet Origenis epistolis tum exstantibus atque ad S. Hieronymi & Ruffini Presbyteri tempora perdurantibus) ipsi, inquam, Eusebius & S. Pamphilus Origenem, vt Sanctum & grauissima tormenta pro fide perpessum, nullo tū contradicente descripserunt.

Sunt tamen nonnulli, qui putent Origenem, tametsi tormentis inuictum, tamen formidini, ne sua violaretur castitas, & ipse à fœdo pollueretur Æthiope, succubuisse, & thus idolis adoleuisse. Quia scilicet talis quædam narratio inter scripta Epiphanij à pessimis & mendacissimis hominibus instrusa reperitur: quam ipsi pro vera sine accurato examine, sola moti auctoritate Epiphanij, cuius esse arbitrabantur, susceperunt. At verò prudentiores & qui rē attentiùs considerarunt, clarè agnouerunt meram esse fabulam, non ab Epiphanio scriptam, sed in Epiphanium malitiosè intrusam. Hinc illustrissimus Cardinalis Baronius, etsi aliàs minimè fauens Origeni, tamen, à clara & probè cognita veritate ad eam tuendam ac propugnandam fortiter impulsus, totam illam de Æthiope & Origene sacrificante scriptionem, commētum & fabulam esse contendit, & argumentis fortissimis conuincit. Quod ego itidem nouis rationibus confirmaui in mea (quam his notationibus præmisi) veritatis exacta disquisitione lib. 4. quæstione 3. §. 4.

Quam quicumque sine præiudicio legerit, & solius in ea respectum veritatis habuerit, haud dubito quin ambabus, quod aiunt, manibus amplexurus sit. Nam si quis tueri velit omnia, quæ apud Epiphanium hæresi 43. & 44. habentur, esse germana Epiphanij; debebit sanè is confiteri in plurimis

hallucinatum

hallucinatum esse Epiphanium, & multa certò falsa docuisse pro veris, non quidem malitia, cùm eius notissima sit sanctitas, sed senili & simplici credulitate.

Primò scribit duas fuisse distinctas hæreses Origenianorum, & se priores Origenianos ignorare, vnde nomen habeant, sed eos docere & patrare spurcissima. Quin & nonnullos ad se delatos fuisse eius generis homines, & inter illos quendam Episcopum, quem tamen ipse nouerit esse ex numero Confessorum: ac proinde de illo non crediderit, tametsi delatores dicerent se à mulierculis, quæ ista fœda passæ essent, audiuisse. Adijcit autē (vnde scribentis simplicitas simul & credulitas agnosci potest) se propter deferentium improbitatem coactum esse aliquando credere, aliquando non credere. Quē enim hominem prudentem & consideratum coget delatorum malitia, seu vt græce est, *κακοτροπία*, id est, *morum improbitas*, ad fidem ipsis habendam?

Equidem arbitror illud prius Origenianorum genus nullum fuisse, nec duos fuisse Origenes: & quod de illis prioribus scripsit Epiphanius, à nullo certo auctore accepisse, sed, vt sæpius aliàs, ex diuersis & falsis relationibus (quas pro animi simplicitate excepit pro veris) ita conscripsisse.

Nec mirum, si de remotis rebus ita credidit, & deceptus sit: cùm idem illi acciderit de rebus proximis, & sua ipsius ætate gestis, quemadmodum annotarunt etiam illi, qui maximè ei fauerunt, nempe Baronius & Petauius cùm de Meletiano schismate & de Ariana hæresi agunt, ille in annalibus, hic in suis ad Epiphanium animaduersionibus. De duobus porrò Origenibus sic notat Baronius tomo 2. ad annum Christi ducentesimum quinquagesimum sextum, post medium: *Sed existimamus*, inquit, *hæc de duobus Origenibus esse commentum: nec nisi vnum Adamantium exstitisse aliquando Origenem*, &c.

Secundò de Origene Adamantio, sic initio hæreseos 44. scribit: *Decio Imp. Alexandriæ claruit.* Atqui Decio Imperante, nec Alexandriæ fuit Origenes, sed Tyri in Phœnicia; neque tum dici potest claruisse, cùm senex esset, & tribus tantùm annis à morte abesset. Nam Decius non integro biennio imperauit, & primo eius anno in carcere & tormentis debilitatus Origenes fuit, cùm esset annorum circiter 66. & anno sexagesimo nono mortuus est. Non igitur sub Decio claruisse dicendus est, si communi eruditorum virorum more loqui velimus, qui tum aliquem clarere aut florere Scriptorem dicunt, cùm plena & valenti ætate multa scribit, quibus nomen & famam acquirit. Quod Origeni præcipuè accidit sub Alexandro Mammææ filio Imperatore, & aliquanto priùs. Rectè igitur aduertit Dionysius Petauius noster non congruere quod dicitur *Decio* Imp. & mallet dictum *Seuero*. Sed quia Eusebius anno Seueri penultimo notauit in suo Chronico: *Origenes Alexandriæ studijs eruditur*, meliùs videtur eius claritudo vsque ad Alexandrum, vt iam diximus, differenda. Tum enim maximè claruit, & scripsit plurima.

Tertiò narrat commentum illud de lapsu Origenis accidisse Alexandriæ, antequam inde migraret in Palæstinam: immò hanc fuisse caussam demigrādi, quòd exprobrantium Alexandrinorum non quiret ferre ludibria. Quod manifestè falsum est. Veram enim caussam, & eam sanè honorificam profert Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 54. nempe *illū propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabatur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ, Athenas per Palæstinam perrexisse, & à Theoctisto & Alexādro Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis Presbyterum ordinatum fuisse*. Idem referunt

runt Eusebius lib. VI. hist. & Nicephorus lib. V. cap. VIII. *Ceterum*, inquit Nicephorus, *cùm in Palæstina, Hierosolymorum & Cæsareæ Episcopi gloria & dignitate ceteris præstabiliores, Origenem maiore dignum duxissent honore, eàque de caussa per manuum impositionem in Presbyterorum ordinem cooptassent, ex eo tempore gloria eius crescente, nominéque & laude virtutis atque sapientiæ apud omnes fere homines inualescente; Demetrius, quia non haberet, quod in tanto viro reprehenderet, id quod ille aliquando per iuuenilem imperitiam fecerat* [ nempe corporis sui castrationem ] *ad grauem traxit calumniam, & aliquantum etiam eos, qui illum dignitate Presbyteri ornauerant, notauit.* Sic ille. *Demetrij in Origenẽ inuidia.*

Qui ergo cum litteris ecclesiæ commendatitijs, propter conuincendas hæreses in Achaiam missus est, & in transitu per Palæstinam à sanctis Episcopis Alexandro & Theoctisto honore sacerdotij dignatus est, is certè nec idolis sacrificauerat, nec propter exprobrantium ludibria Alexandriam reliquerat, vt confugeret in Palæstinam, nec in Palæstina peccatum suum, quod nullum erat, defleuit.

Quartò, scribit Origenem in Vrbe Tyro in Phœnicia viginti octo annos transegisse: hoc quoque probaui esse falsum, suprà ad cap. VII. in recensione præcipuarum Origenis peregrinationum, nec vllus hodie, quod sciam, infitiatur. Baronius etiam & Petauius Epiphanij errarum planissimè confitentur. Hæc autem, in quibus falsum dixisse Epiphanium confitentur, dicta sunt ab illo tanquam vera & certa, sine vlla dubitatione, ex falsis tantùm relationibus, vt non mirum sit, etiam id quod de lapsu Origenis dixit (si tamen ipse dixit, & non alius) ex falsa prorupisse relatione: cùm satis certum sit, non in rebus antiquioribus tantùm, quales ipsi erant res Origenis, sed etiam in ijs, quæ ipsius ætate acciderunt, falsis relationibus credidisse.

Sed non est, quamobrem diutius in hac controuersia immorer, cùm, vt antè indicaui, integram super illa re quæstionem tractauerim: rogabo duntaxat in præsentia lectores, veritatis studiosos, vt si Epiphanium græcolatinũ per numeros à Petauio distinctum legere ipsos contigerit, seriò animum aduertant, an primus numerus, toto secundo deleto tanquam adulterino, non optimè cohæreat cum tertio. Nam si statuatur vera esse, quæ in secundo numero continentur, necessariò falsa erunt, quæ ponuntur in tertio. Dicit enim in tertio Ambrosium post illam thurificationem, ab Origene conuersum fuisse, & incitasse eumdem ad scribendum, atque tum demum Origenem plurima conscripsisse. Hoc autem post Decij persecutionem, in qua istum Origenis lapsum ponit Petauius, accidere nequaquam potuit: cùm Origenes Deciana debilitatus carnificina nihil deinceps, nisi epistolas ad Confessores & ipse Cõfessor scripserit, nihil autem istorum quæ in tertio numero recenset Epiphanius. Quin ipse verus Epiphanius in libro de mensuris & ponderibus, longè post medium, non obscurè innuit ipsum fuisse martyrij candidatum, nec martyrij voluntatem ei defuisse, sed martyrium, quando post narrata SS. Babylæ & Fabiani, & Alexandri sub Decio martyria, subdit continentet: Καὶ αὐτὸς δὲ Ὠριγένης πολλὰ πεπονθὼς εἰς τέλος τοῦ μαρτυρείν οὐκ ἔφθασε. *Quin & Origenes ipse multa perpessus ad finem martyrij non peruenit*, siue, assequi non potuit, quod volebat; ob caussas scilicet à me in vita positas. Alioquin Epiphanius, si aliud indicare voluisset, clarè dixisset: *Origenes autem à fide defecit.* Aut sic: *pro castitate seruanda fidem perdidit.* Verùm nihil horum dixit, & ad labores eius enarrandos perrexit.

*Propter Seueram eius coniugem* ] Philippi Imp. coniux vocata est Martia Otacilla Seuera. Inter aurea Caroli Ducis Croyi & Arschotani vetera numismata exstat vnum, quod speciem illius Imperatricis refert cum hac circumducta inscriptione: MARTIA OTACIL. SEVERA AVG.

bium, credibile est eum scripsisse, *tenuitque anno vno & mensibus tribus*, aliquem verò praecelerem librarium sic decurtasse: *tenuitque annis tribus*. Nec enim me vllum legere alium memini, qui tres annos illi tribuat.

*Ergo illum à truculentis comprehensum satellitibus &c.* ] Eusebius lib. VI. cap. 32. tormenta & carnificinas, quibus Origenes prae omnibus alijs martyribus, sub Decio excruciatus est, breuiter ac summatim exponit, remittens pro ampliore eorum cognitione ad ipsiusmet Origenis litteras, finita persecutione in solatium Confessorum perscriptas, quę tum exstabant & passim legebantur. Nicephorus Callistus lib. V. cap. 32. postquam quae voluit, ex Eusebio more suo sublegit, tum seposito Eusebio, & relicta veritate, ad se & suas fabulas se conuertit. Nam commentum de Origenis lapsu, ne à foedo conspurcaretur Æthiope (cuius nullū est in Eusebio vestigium) ponit contigisse sub Decio, & ex illo tēpore alienas opiniones, satana instigante, induxisse. Quod quàm sit falsum, inde manifestò cognoscitur, quòd ex illo tempore nihil, nisi epistolas, vt antè dixi, scripserit; in quibus epistolis nihil prorsus à quopiam repertum est, quod à fide esset, aut diceretur alienum. Nam quae à quibusdam reprehenduntur in Origene, ea fere omnia è libris περὶ ἀρχῶν, siue, De principijs, excerpta sunt: quos libros plurimis annis ante tempora Decij constat esse scriptos, & quidem vt ab illo scripti sunt, benè & catholicè scriptos defenderunt viri docti simul & sancti, nempe S. Pamphilus Martyr, B. Didymus, & S. Athanasius, quemadmodum in nostra disquisitione pluribus in locis ostendimus. Notandum autem est Nicephorum in sua illa commenti impij narratione non proferre vllum auctorem, sed tantùm dicere id, quod in referendis fabulis aut rebus valde incertis assolet: Καὶ γάρ φασι: *Etenim aiunt*. Quinā autem? puta fabulones in triuijs. Quod magno argumento est, necdum ipsius tēpore Nicephori intrusam fuisse istam fabellā in S. Epiphanium. Nam sanè idem Nicephorus, qui in eodē capite nominatim citat Eusebiū pro Origene, multò magis citasset Epiphanium contra Origenem, si ea fabula tū fuisset in Epiphanio: & non dixisset: καὶ γάρ φασι sed potiùs: Καὶ γὰρ γράφει ἅγιος ὁ Ἐπιφάνιος. *scribit enim sanctus Epiphanius &c.* Nam Nicephorus laudes Origenis, vbicumque potuit, imminuit aut reticuit: vituperia verò vndecumque potuit, auidè excepit & adauxit. Porrò certamen Origenis pro fide Christi in persecutione Decij, tam ex Eusebio, quàm ex ipsius Origenis, quae tum exstabant, litteris, ita describit Ruffinus Prebyter lib. 6. cap. 29: *Sed in hac persecutione*, inquit, *quanta aduersus Origenem gesta sint, quibúsque contra eum pessimus daemon artibus, cum vniuerso exercitu suo, & quanta contentione pugnârit, vtque super omnes ceteros, qui per illud tempus pro Christi nomine tenebantur, nouas cruces, noua paenarum genera, ac saeculis omnibus inaudita tormenta pertulerit, vtque pro eo quod in doctrina fidei, & veritatis opinatissimus videbatur, omnia aduersus eum daemoniaci furoris arma commota sint, & ignibus intentatis, ita vt mille mortibus vexatus sit, nec tamen vna ei, quam exoptabat, acciderit; quique exitus eum susceperit, persecutore summo studio id gerente, vt nec interitus praestaretur, nec paena cessaret: & quales postmodum de his ipsis epistolas scripserit, quàm omni miseratione, & lachrymis plenas, ex ipsis manifestiùs quae scripta sunt, integram, qui cognoscere cupit, horum notitiam sumet.* Sic ille.

*Nēpe S. Dionysiū Alexandrinū, &c.* ] De libro huius Dionysij ad Origenē de martyrio agunt Eusebius lib. 6. cap. 38. & Nicephorus lib. 6. cap. 6. Meminit & Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 69. in recensione librorū Dionysij Alexādrini. Addit Stephanus Gobarus apud Photiū codice 232. ab eodem Dionysio Origenem laudatum esse post mortem, in epistola scripta ad Theotecnum Caesariensem Episcopum, qui & ipse fuerat discipulus

 Origenis.

Origenis. Ita duarum maximarum ecclesiarum Episcopi, alter Alexandrinæ in Ægypto, alter Cæsariensis in Palæstina, suauem Magistri sui memoriam recolebant. Effugerunt procul dubio hæc omnia Baronium. Nam si illa in mente habuisset, cauisset profectò his contraria & apertè falsa, ad annum Christi 248. proferre, cùm ita scripsit: *Quæ sub Demetrio olim aduersus scripta Origenis excitatæ sunt turbæ, quando, vt dictum est, ob hæreses in eis inuentas meruit ab eodem excommunicari Demetrio, eo defuncto penitùs consopitæ fuerunt, fauente Heracla Demetrij successore in omnibus Origeni. Sed eo exstincto, cùm in locū eius suffectus Dionysius esset, licet eiusdem Origenis olim fuisset discipulus, attamen veritatis æstuans ardore, nullam eius rei ducens mentionem, & Deo cuncta posthabens, ipsum Origenem, qui iam scripta sua multis erroribus adspersa euulgarat, cœpit acriter impugnare, & in multis hæreseos accusare.* Nullum tanta in re Baronius pro se auctorem adducit, cùm in omnibus S. Dionysij scriptis (quæ quidem nunc exstant, & quæ haud indiligenter propter scribendam eius vitam perlegi) nullum talis rei appareat vestigium.

Et quod dicit Origenem ob inuentas in eius scriptis hæreses meruisse à Demetrio excommunicari, id quoque falsum est, & falsum esse ipso facto cōprobarunt Sanctissimi Episcopi, Alexander Hierosolymorum, & Theoctistus Cæsareæ Palæstinæ, qui Origenem contra Demetrium defenderunt: quia sciebant illum non meruisse excommunicari, sed immeritò & ex inuidia excommunicatum fuisse. Qua de re fusiùs in nostra Veritatis disquisitione suprà egimus.

Quod autem addit, defuncto Demetrio, S. Heraclam eius successorem fauisse in omnibus Origeni, magnas ei gratias habeo. Fuit enim Heraclas tantæ eruditionis, non modò sanctitatis, vt propter istam professus sit Iulius Africanus, vir fide, doctrina, auctoritate magnus, se ad eum videndum Alexandriam contulisse. Si igitur is iam totius Ægypti creatus Episcopus fauit Origeni in omnibus, satis videtur probabile eum existimasse Origenem immeritò fuisse excommunicatum à Demetrio: itemque nōn minùs constare Dionysium, qui fuit eidem Heraclæ studio & opera coniunctissimus, & qui illi sicut in munere catecheseos, sic & postea in Episcopatus dignitate successit, minimè aduersatum esse Origeni, sed adeo ei fauisse, vt & librum illi, sicut antè diximus, dedicarit.

## AD CAPVT XXIII.

DIVINÆ *proprium benignitatis est* &c.] In describenda felici Origenis morte, non visum est aliunde ducere principium, quàm ab eius benignitate & fidelitate, qui omnis boni & omnis felicitatis auctor est & promotor, quìque Origenem primò mane in vineam suam misit, & qui illum continuò vsque ad vesperam in ea laborantem ac sudantem inuenit, quin vel tetra nocte aduersus vulpeculas vinearum demolitrices peruigilantem, & contra vrsorum hiatus, & leonum rugitus sese opponentem reperit. Nam & fraudes, insidiasque hæreticorum detexit, & Gentilium tyrannorum ac Præsidum Præfectorúmque edicta, tormentáque deuicit. Sua enim semper in Deo opt. max. fixa fiducia, semper victor, nunquam est confusus.

b *Quin Origeni à primo adolescentiæ flore* &c.] Nam anno ætatis decimo septimo

septimo, in Seueri Imp. persecutione, ad martyrium pro Christi fide anhelauit, & ad illud præuolasset, nisi vis materna impediisset, & quasi alas præcidisset; patrem tamen suum martyrij candidatum, misso ad idipsum, quò ire ipse non poterat, epistolio, ad certamen animauit, vt cap. 2. eius vitæ descripsimus.

c *Habemus igitur eum Tyri* &c. ]Illa est Tyrus, quam antea insulam Alexander Magnus Continenti iunxit. Illa est Tyrus sacris litteris nō minùs quā profanis notissima, & in vtroque testamento sæpe nominata, diuitijs, delicijs, sceleribus perdita, de cuius ruina multæ sunt in veteri testamento Prophetiæ, in nouo autem ipsiusmet Christi Saluatoris, de eius futuro statu in opprobrium obstinatæ Iudææ prædictio, Matthæi 11. vers. 21. *Væ tibi Corozaim*, inquit, *væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissiùs erit in die iudicij, quā vobis.* Illa est Tyrus tam viris & armis quondam potens, vt tredecim annorum obsidionem à magno Nabuchodonosore Babyloniorum Rege sustinuerit, sed peccatis exigentibus tandem capta, & velut in nihilum redacta sit.

Reædificata postmodum fuit, sed nunquam in pristinum colorem restituta. Post Christi autem aduentum, & speciatim post eius ingressum in fines Tyri & Sidonis (vt refert Euangelium dicens: *Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis* &c. tum, inquam, loco terrenæ & mundanæ prosperitatis & decoris & fortitudinis cælestem induere habitū cœpit, & à Christo ipso primùm, deinde & ab eius Apostolis ac Discipulis vero fidei lumine collustrari, & in sanctam crescere Ecclesiam, & à sanctis Episcopis regi, & pro turpibus idolorum fanis, illustribus beatorum cælitum basilicis exornari. In ea igitur Tyro, & in nouella ista Christi vinea etiam Origenes laborauit excolenda. Ibi & virtutis suæ ac fortitudinis in fide propugnanda & propaganda, & in tormentis pro sancta asserenda religione constantissimè toleratis egregia reliquit exempla. Ibi & præclara morte defunctus est, & religiosè tumulatus. De præclara eius morte testimonium in fronte ipsius vitæ inter sanctorū elogia posui, nempe S. Theotimi Tomotū in Scythia Episcopi, hominis vita, doctrina, miraculis admirabilissimi, qui eum cōtra suos obtrectatores post mortem defendens, asseruit ipsum *καλῶς κεκοιμημένον, præclarè consopitum*, siue *præclarè obdormisse*. Quod fere solum de bonis ac pijs Christianis, propter certam resurrectionis spem, & æterni expectationem præmij, solitum est vsurpari. Quia scilicet ipsorum mors, non tam mors appellanda sit, quàm breuis somnus, spectata nimirum vitæ illius nunquam defecturæ æternitate.

Matt. 15. v. 21.

Iam de honesta in eadem Vrbe Tyro (vbi eum obdormiuisse cuncti consentiunt) sepultura, plurimos me Scriptores memini legere, quos proferre omnes longum esset, dabo tantùm paucos, qui nunc ad manum. E quibus dabitur intelligi ad hæc nostra vsque tempora eius perennasse sepulchrum, adeóque etiamnum perennare: cùm & illi, qui eò peregrinati sunt & rediuerūt, id afferant, & scriptis tradant. Guilielmus Tyrius, insignis Scriptor, qui ipsius ciuitatis Tyri fuit Archiepiscopus, & ea scripsit, quæ oculis suis vidit, historiam scripsit de bello sacro, libris viginti tribus, in quorum decimo tertio fusè describit suam Tyrū, intérque alias eius laudes, hanc interseruit, his verbis: *Hæc eadem & Origenis corpus occultat, sicut oculata fide etiā hodie licet inspicere, & Hieronymus Pammachio & Oceano scribens in ea epistola, quæ sic incipit*: Scedulę quas misistis. *Hoc ipsum asserit dicens: Centū & quinquaginta propè anni sunt hodie, ex quo Origenes Tyri mortuus est.* Huc vsque sanctus

Guilielmus Tyrius lib. 13. historia sacræ initio.

ctus ille Archiepiscopus, qui & aliam Tyri laudem subijcit, quòd illam admirabilem Chananæam genuerit, à Domino IESV prædicatam, Matthæi 15. cùm illi pro salute filiæ deprecanti, & cum humilitate eum vrgenti respon-
Matthæi 15. v. 28. dit: *ô mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.* De qua Chananæa idem Tyrius hæc addit: *Quæ conuiuium*, inquit, *filiabus admirandæ fidei & commendabilis patientiæ monumenta relinquens prima docuit, vt in muneribus fidei, charitatis & spei Christum Saluatorem deprecarentur, iuxta verbum Prophetæ dicentis: Et filiæ Tyri in muneribus vultum*
Psal. 44. *tuum deprecabuntur.*
vers. 15. Scribebat autem illa Guilielmus anno Christi circiter 1180. quo tempore oculatus fuit testis sepulchri Origenis. De quo sepulchro centum annis pòst similia scripsit Iacobus à Vitriaco Cardinalis in historia sua Hierosolymitana, & alij post eum similiter: & nominatim Borchardus Ordinis S. Dominici Religiosus, qui vixit circa annum Domini 1283. in descriptione Terræ sanctæ cap. 2. §. 5. dum agit de vrbe Tyro, ita notat: *Origenes*, inquit, *in Tyro in sancti Sepulchri ecclesia iacet pariete conclusus: cuius titulum & vidi, & legi*: Qui & paullò post de sua diligentia hæc subiungit: *Decem dierum moras protraxi in vrbe Tyro, plurisque eam vrbem & dispositionem considerans, diligenter omnia notaui.*

Bernardus de Bredembach Moguntinæ ecclesiæ Decanus & Camerarius, scripsit ad Bertholdum eiusdem Sedis Archiepiscopum, & sacri Rom. Imperij per Germaniam Archicancellarium & Principem Electorem, opus transmarinæ peregrinationis, quam vno antè anno absoluerat. Ibi in compendiosa terræ sanctæ descriptione agens de Tyro ciuitate, sic inter alia: *Origenes ibidem in Ecclesia sancti Sepulchri requiescit in muro conclusus.* Sic ibi.

Andreas Theuetus, Cosmographus Regius, lib. VI. cap. XIII. in Tyri descriptione ita gallicè: *Ceste ville est illustree de ce, que le sçauant Ægyptien Origene y est enterré.*

Proferàm & nostratum Belgarum (vt qui piarum peregrinationum peramantes, & sacrorum terræ sanctæ locorũ perscrutatores sunt studiosissimi) aliquot super eadẽ re testimonia. *Igitur Ioannes Zuallardus* Eques S. Sepulchri, & Athensis in Hannonia Prætor, locis omnibus terræ sanctæ diligenter ac studiosè, nec minùs piè peragratis, scripsit tam gallicè, quam Italicè, suum *Iter Hierosolymitanum*, in cuius libro V. cap. IV. agens de Vrbe Tyro sic ait: *Le grand Origene y à conuersé, & y est mort: les vestiges de la sepulture, duquel se voyent en l'eglise dite du saint Sepulchre, laquel est à present reduite en Mosquee Mahometane, &c.*

Iam autem *Christianus Adrichomius* Batauus, fidei caussa è solo patrio pulsus, perquam diligens Terræ Sanctæ lustrator & illustrator, in suo *Theatro Terræ sanctæ*, ad Tribum Aser, numero 84. in fine, dum agit de victoria Christianorum aduersus Saladinum reportata apud Tyrum anno 1188. *Biennio post hanc victoriam*, inquit, *Imperatoris Friderici Barbarossæ Sueui corpus (qui tum in recuperatione Palæstinæ, dum fusos insequitur hostes, in flumine quod traijcere volebat ab equo lapsus, & armorum pondere oppressus, paullò pòst inter manus suorum mortuus erat) Tyri in cathedrali ecclesiâ celeberrimis exsequijs, omniũmque luctu sepultum est. Vbi & illustre Origenis sepulchrum, (qui ante an-*
Origenis sepulchrum. *nos nongentos quadraginta mortuus erat) in ecclesia S. Sepulchri, insigni titulo in marmorea columna auro gemmisque ornato etiam tum visebatur.* Ita Adrichomius.

*Ioannes*

*Ioannes* quoque *Cotouicus* Vltraiectinus, I. V. Doctor, & miles Hierosolymitanus, in libro quem inscripsit: *Itinerarium Hierosolymitanum, & Syriacum*, capite 19. quod amplam & doctam continet vrbis Tyri descriptionem, scribit inter alia, *etiam hodie exstare vestigia duorum templorum, quorum maius titulo Sepulchri Dominici fuerit decoratum, minus Diuo Joanni discipulo Domini dicatum, & vtrumque reliquijs multorum Martyrum sub Diocletiano passorum quondam clarum*, & addit: *In maiori pone altare maximum, Magni Origenis corpus conditum ferunt*. Vide etiam *Franciscum Quaresmium* Minoritam in Elucidatione Terræ sacræ lib 7. cap. 10.

*Nam perdiu felix eius memoria, &c.*] Disci potest è SS. Patrum elogijs tam græcorum, quàm latinorum ante vitam Origenis suprà à me productis, itidemque è nostra, quæ has notationes præcedit, exacta disquisitione, apud viros sanctissimos atque doctissimos viguisse omnibus sæculis, adeóque etiamnum apud eos qui laborem suscipiunt vitam ipsius maiore cura examinandi, vigere & perennare tanti viri nomen bonum, & præclaram existimationem, eiúsque auctoritate Documentorum vti crebrò Scriptores Catholicos, aduersus peruersas nouórum hæreticorum sectas. Hi enim Origenem, tanquam Catholicis quàm maximè fauentem, odio persequuntur immanissimo, eundemque vituperijs lacerant multò grauissimis ac putidissimis, nec intelligunt homines isti vecordes se eum laudare, dum vituperant. Clamant enim ista hæreticorum vituperia Origenem, quem vituperant, verè orthodoxum esse atque catholicum, atque à suis ipsorum erroribus abesse quàm longissimè. Placétne audire, quo Lutherus malum illud nomen prosequatur affectu Origenem? Sic de illo in suis conuiuialibus: *Origenem*, inquit, *iam dudum diris deuoui*. Et in epistola ad Philippum suas delicias, *Dico*, inquit, *Origenis commentarios, meras esse nugas & ineptias, si tuis annotationibus comparentur*. Quàm distant porrò ista à S. Hieronymi sensu, qui S. Augustino scribens, dicebat se imitari commentarios Origenis. *Quid igitur*, aiebat, *ego stultus aut temerarius, qui id pollicear, quod ille non potuit? Minimè. Quin potius in eo videor mihi cautior, atque timidior, quòd imbecillitatem virium mearum sentiens, Origenis commentarios secutus sum*.

Et Bezam fortassis illum suæ sortis hæreticorum Patriarcham audire placet, qualiter de Origene loquatur. Sic ergo in cap. 3. epistolæ ad Romanos scribit: *Certè, inquit, hoc ausim dicere, Origenē hominē fuisse selectum organū Diaboli, Apostolicæ doctrinæ prorsus euertendæ natum*. Idem in præfatione ad nouum testamentum, *Origenes*, inquit, *homo omnium, qui vnquam de rebus sacris scripserunt, impurissimus*. Si autem requiritur, quamobrem ista dicere ausus sit, caussa non reperietur alia, quàm quòd Origenes magni fecerit summos Ecclesiæ Pontifices, quòd in sola catholica eorundem Pontificum ab initio seriem reperiri dixerit, quòd Traditiones etiam non scriptas conseruandas monuerit, quòd ritus & cæremonias & censuras catholicas probauerit, quòd abstinentiam, continentiam, virginitatem, laudauerit, coluerit, amplexus sit. Hæc, inquam, in caussa fuerunt, quamobrem minimè illis placeret Origenes, & è contrario, quamobrem ijs placeret, qui veri Christiani, veréque orthodoxi essent. Placuit igitur Origenes viris sæculi sui sanctissimis, Alexandro Hierosolymorum Episcopo, in Cappadocia Confessori, in Palæstina martyri. Placuit ibidem Theoctisto Cæsareæ in eadem Palæstina Episcopo. Placuit S. Gregorio Thaumaturgo, & Athenodoro germanis fratribus, & ambobus in Cappadocia Episcopis, quorum ille Confessor, hic martyr fuit.

In proximo autem post Origenem sæculo, placuit S. Pamphilo martyri, Eusebio Cęsariēsi, magno Athanasio, Basilio, duobus Gregorijs, Nazianzeno & Nysseno, Ioanni Chrysostomo, Didymo cæco simul & videnti, & clariùs quidem videnti omnibus oculatissimis. Tempore item Hieronymi & Augustini omnibus placuit prudentibus, vt auctor est ipse Hieronymus in prologo lib. 2. super Michæam Prophetam, vbi suis respondens cauillatoribus, *Nam quod dicunt*, inquit, *Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere veterum scripta: quod illi maledictum vehemens esse existimant; eandem laudem ego maximam duco, cùm illum imitari volo, quem cunctis prudentibus & vobis placere non dubito.* Sic & posterioribus placuisse sæculis, potest, (vt ante indicaui) partim ex elogijs ante vitam cognosci, partim è quæstionibus in disquisitione nostra tractatis colligi. Verum quidem est suos quoque obtrectatores (vt magna quæque inuidiæ parent, non secus ac ventis alta montium cacumina) habuisse Origenem, sed tunc solùm, quando inimicus homo bonis & electis seminibus superseminauit zizania, & quando sparsis inter doctos viros inimicitijs optimam conatus est sementem extinguere. Quod tamen Deus opt. max. submissis quolibet sæculo præstantibus VERITATIS defensoribus efficaciter impediuit. Quanto autem in pretio & honore fuerit nomen Origenis, sub Leone Papa III declarauit ipse & tota latina ecclesia, cùm inter lectiones è sanctis Patribus in ecclesia legi solitas, plurimæ è scriptis Origenis collectæ sunt, & Breuiario Romano insertæ, & præmisso eius nomine, in templis diuinoque officio ad horas matutinas decantatæ. Quæ etiamnum, dum hæc scribo, in multis eccl. sijs & Religiosorum ordinibus obseruantur. Et supersunt ad hanc diem antiquissima Romana Breuiaria, in quibus ante lectiones festiuitatibus præmittitur & præcinitur hoc modo: *Homilia Origenis*: deinde tres lectiones ex eadem homilia recitantur. Sic in vigilia Natiuitatis: sic in Dominica infra octauam Epiphaniæ: sic Dominica tertia post Epiphaniam: sic & quarta: sic & alijs cōpluribus diebus: vti ego ipse auritus simul & oculatus testis annotaui, & ante me quoque alij, ac nominatim Thomas de Trugillo Hispanus S. Theologiæ Doctor lib. 1. sui thesauri concionatorum, vbi inter multas & veras Origenis laudes dicit hæreticorum, qui eius libros corruperunt, illuc secrete veritate detectam esse malitiam, & hęc addit: *Atque huius*, inquit, *patrocinium & caussam aduersum detractores, viri illustres suscepere, nempe Pamphilus martyr, Eusebius Cæsariensis Episcopus, Didymus Alexandrinus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Ruffinus, & alij egregij. Denique Ecclesia recitat per annum nonnullas eius homilias, Origenis nomine explicato.* Sic ille.

*Thomas de Trugillo.*

Quod sanè Ecclesia non fecisset, nec faceret, si Origenem hæreticum reputaret. Auctor porrò colligendarum è SS. Patribus lectionum fuisse traditur Carolus Magnus Imperator, de quo sic Baronius ad annum Christi octingentesimum septimum, & Leonis Papæ tertij duodecimum: *Porrò*, inquit, *idem Carolus Magnus, sicut armis, ita & religione pollens, hoc anno (vt auctor est Sigebertus) ex Patribus colligi fecit lectiones suis quasque temporibus recitandas. Ait enim: Carolus Imperator per manum Paulli Diaconi decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum, lectiones vnicuique festiuitati conuenientes per circulum anni in ecclesia legendas compilari fecit.* Adiungit ibidem Baronius eundem Carolum Magnum Imp. nihil agere solitum Episcopis inconsultis, qui & ipsi in rebus grauioribus Romanum consulerent Pontificem: vt minimè dubitandum sit, quin ad lectiones illas per totam inducendas ecclesiam, Leonis tertij tum Pontificis accesserit auctoritas.

*Sigebertus in Chronico anno Christi 807.*

E. *Certè S. Pierius Presbyter Alexandrinus, &c.*] De hoc agit Eusebius lib. 7. hist.

hist. cap. 26. sub finem. Cuius sensum verborum sic reddit Ruffinus eodem libro, cap. vltimo: *Sed Pierius quidem*, inquit, *acer ingenio, in diuinis Scripturis nobiliter eruditus, vita purissimus, atque ad Philosophiã Christianam nudus & penitùs expeditus, doctor ecclesiæ incomparabilis, priuatim & publicè mirabiliter disputans*: &c. Propter hæc igitur omnia & non solũ propter sermonis ac diuersorum tractatuum elegantiam *Origenes iunior* meritò appellatus est. Vita enim & moribus, perinde ac doctrina & eloquentia, tanquam Patrem filius repræsentauit S. Pierius Origenem. Cui Pierio post mortem non modò sacri honores, sed etiam ædes sacra Alexandriæ constituta est, & dedicata. Verùm, vt ne hîc plura, omnem quã potero eiusdem Pierij vitam statui conscribere. Multa enim scripsit, & pulchra.

O si vel partem haberemus dimidiam! nomina saltem operum, si qua fortè postea reperiri possint, recensebimus, si vita tulerit, & Deus op. max. (cui gloria in sæculum) permiserit.

*Ad diem quartam Nouembris* &c.] Illa die in martyrologio Romano Natalis S. Pierij, verbis ex parte à Ruffino suprà citato desumptis, conscriptus est. Sic enim habet pridie nonas Decembris: *Eodem die Natalis S. Pierij Presbyteri Alexandrini, qui in diuinis Scripturis nobiliter eruditus, vita purissimus, & ad Christianam philosophiam nudus penitùs & expeditus, sub Caro & Diocletiano Principibus, regente Alexandrinam ecclesiam Theona, florentissimè docuit populos, & diuersos tractatus edidit: post persecutionem verò omne vitæ suæ tempus Romæ versatus in pace quieuit.* Sic ibi. F.

In vetere Romano martyrologio Heriberti vitiosè habetur *Hiberij* pro *Pierij*, sicut & in Adone, eadem die. Et hoc plus in Adone erratũ est, quòd scripserit S. Pierium requiêsse tempore Philippi Imp. Qui error etiam Vsuardo adhæsit, qui alioqui benè in ceteris. Certò enim constat Pierium post Origenem vixisse, qui tamen Origenes Philippo Imp. vsque ad Gallum & Volusianum superuixit. Vnde ex Adonis & Vsuardi sententia mortuus fuisset Pierius ante Origenem, & Origenes iunior ante seniorem. At Origenes Adamantius obijt, vt suprà docuimus, Gallo & Volusiano Impp. Pierius autem longè postea sub Diocletiano & Maximiano.

*At magnus Athanasius; nequaquam, inquit, &c.*] Verba Athanasij è libro eius de Nicænę Synodi decretis, posui Græcè & Latinè in elogijs ante hanc vitam. G.

*Eodem, quo Origenes obijt, sæculo*] Nam Origenes tertio Christi sæculo obijt, anno Domini 255. circiter: eodem quoque sæculo sub annum Domini 280. viuebat, & eius opera demortui describebat manu sua Pamphylus Presbyter, qui postea martyr sub Galerio Maximiano Imp. cælestem adeptus est lauream. H.

*Quando etiam librum vnum pro eodem Apologeticum, &c.*] De libro S. Pãphili martyris Apologetici pro Origene, vide suprà in exacta disquisitione quęstionem primam, vbi fusè probatum est librum primum Apologiæ pro Origene, proprium esse S. Pamphili. I.

*Cùm ambo in vno eodémque carcere, &c.*] Pamphilum & Eusebium simul fuisse in carcere, & ibi composuisse libros quinque pro Origenis defensione, & se illos legisse scribit Photius in sua Bibliotheca, codice CXVIII. *Lecti*, inquit, *à nobis sunt Pãphili martyris & Eusebij pro Origene libri sex, quorũ quinque sunt à Pamphilo in carcere, præsente etiam Eusebio, elaborati: sextus verò, postquam idem martyr ferro vita priuatus ad vnicè desideratum Deum migrarat, ab Eusebio est absolutus.* Et infrà ibidem: *Eius porrò Apologiam*, inquit, *Pamphilus vnà cum Eusebio communi carcere inclusi conscripserunt*, &c. vide ibi plura. K.

Inter

L. *Inter quos præcipuus fuisse fertur Patermuthius* &c.] de hoc agit idem Photius loco iam citato: Fuit & alius eodem nomine martyr fortissimus sub Iuliano Apostata, de quo martyre & socijs ita Romanum martyrologium nona Iulij: *Alexandriæ, sanctorum martyrum Patermuthij, Copretis, & Alexandri, qui sub Juliano Apostata cæsi sunt.*

Agit de ijsdem Græcorũ menologium eadem die, vbi & Patermuthij virtutem eximiam deprædicat, qui audacter Iulianum reprehenderit, & Copretem, qui eius blanditijs deceptus Christum abnegârat, fidei martyrioque restituit, & Alexandrum militem ipsorum certamina respectantem Christo acquisiuit, & eiusdem palmæ compotem fecit.

LI. *Qui & flores ex illis excerpserunt* ] Liber continens flores ex Origene collectos partim à Basilio, partim ab eius Achate Gregorio Nazianzeno, inscriptus est *Origenis philocalia*. Sic eum appellauit ipse S. Gregorius Nazianzenus in epist. ad Theodorum Tyaneum Episcopum, quæ hodiéque exstat in eiusdem Gregorij Operibus, & vnde membrum aliquod citaui in Elogijs ante vitam Origenis.

*Et Didymus ille cæcus* &c. ] Vulgò vocatur Didymus Alexandrinus, cuius ego vitam, si Deus opt. max. meam prolongarit, propono edere. Ideo nihil opus hîc plus addere. De latinis autem, qui laudarunt aut verterunt Origenem, præter ea, quæ in textu vitæ posui, si quis plura desideret, Hieronymum in lib. De Scriptoribus, & Gennadium Massiliensem in eorumdem continuatione Scriptorum, habet, quos consulat.

Ego ad Dei opt. max. laudem & gloriam, vnde omnia venerunt, & quò omnia redeunt, vt iterum fluant, mearum hîc notationum finem statuo.

FINIS.

AD MAIOREM DEI OPT. MAX. GLORIAM, ET SANCTORVM EIVS HONOREM VINDICANDVM.

S. SCRIPTVRÆ

# S. SCRIPTVRÆ LOCI IN HOC opere vſurpati, explicati, variè accommodati.



Pſalmo

Oseę 4. v. 8.

2. Cor. 3.

# INDEX
## RERVM MEMORABILIVM.

### A.

## B.

Con-

## F.



## G.



## H.



Hære-

L.



M.



Martyro-

R.



S

## T.

Finis totius operis ad gloriam Dei, ſicut & initium fuit & medium.

## ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 11. lin 24 *ſimpliſſimo* lege *ſimpliciſſimo.*
Pag. 85. lin 28. *cap.* 14. lege *cap.* 3.
Pag. 126. lin. 7. *Vide ergo, te* lege *vide ergo tu,*
Pag 170 vſque ad 179 omnes Numeri ſunt falſi.
Pag 269. lin. penultima πατὴς lege πατὴρ,
Pag. 355. lin. 13. *on* lege *Nam.*
Pag. 360. Corrige Numerum.

## IN NOTATIONIBVS.

Pag. 12. ad Cap VIII. *cerclica,* lege *encyclica.*
Pag 39. Corrige Numerum.

